



3



CONTINUATIO
JUSTÆ DEFENSIONIS
REVELATIONUM

AGREDANARUM

NOVÆ SIC DICTÆ DEMONSTRATIONI,
& aliis recentioribus insultibus Amortianis

C & Catefoni. & S. Buena. & Palencia.
opposita,

A C

AD UTILITATEM, ET JUCUNDITATEM
legentium condita variis Resolutionibus Scripturali-
bus, Theologicis, Philosophicis, Chronologi-
cis, & Criticis, &c.

TOMUS TERTIUS.

EDITIO PRIMA.


AUCTORE

R.P. FR.DALMATIO KICK ORD. MIN.S.P.N.FRANCISCI
Reformatæ Provincie Bavarice, in Conventu & studio
Generali Ingolstadiensi olim SS.Theol.Lectore,
nunc Ministro Provinciali.

CUM SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI: Ex Typographia Causæ V.M. Mariæ à Jesu
de Agreda, Anno 1754.

LIBRERIA
CONSTITUTA
IUSTA DEDICATI

Diole ala Libreria de ese Conv. H. C. 28º
Prov. fr. Pablo & Jesus. Siendo Guard. del
H. H. 

AD ALTISSIMAM ET INFINITAM
Iscouerunt cordis vestrum Regalitatem scripturam
per Theologicas Philosophicas, Quodologi-
cas, & Quodologicas.

TOMUS TERTIUS

EDITIONIS Tertia

ANOTOLIA

PER FRANCISCUM RICCI O.P. MINTONI LUNONICI
Praesulem Societatis Dominicanae, in Consuetudine O. Veneris
Generali legi parvaz anno 22. Tempore P. P. G.

anno millesimo trecentorum

CUM SUPERIORUM PERMISSU

MATITI: Ex Typographis Quatuor M. M. Milites Ieronimi
de Agius, Anno 1724

S U M M A R I U M

T O T I U S O P U S C U L L

P A R S P R I M A.

*Defensio Revelationum Agredanarum contra novam Demonstra-
tionem Amortianam.*

Articulus I. In Præfatione Amortius 1. falso asserit, ar-
gumentum suum esse *novam Demonstrationem*. Se-
cundò incautè loquitur de Revelationibus privatis, appro-
batis à Sede Apostolica. Tertiò vanè loquitur. Numero mar-
ginali 1. 2. 3. & seq.

II. Nova sic dicta Demonstratio de morte Herodis, &
mansione Christi in Ægypto est merum figmentum composi-
tum ex contradictionibus manifestis, & falso supposito, ac
corruptione sensus Agredani, num. 8. & seqq. item num. 11.
& seqq.

P A R S II.

*Præmittuntur dicta Adversarii, & Liber de Nativitate B. Virgi-
nis, prout à D. Amort refertur, num. 17. usque ad 29.*

Articulus I. Liber de Nativitate B. Virginis criticè vin-
dicatur testimoniis gravissimis, num. 29.

II. Puncta, in quibus Scripta Agredana cum Libro de Na-
tivitate Mariæ conveniunt, stabiliuntur, num. 37. & seqq.
Tractant illa de Parentibus B. Virginis SS. Joachim & Anna,
eorum Patria, pietate &c. conjugio, conceptu prolis Virgi-
neæ: ibidem usque ad n. 45. iterum de desponsatione B. Vir-
ginis cum S. Joseph, n. 45. & seq.

Summarium

PARS III.

*Defensio Agredana contra excusione Amortianam. Praefatio
hujus Partis detegit duo falsa Amortiana.*

CAPUT I.

Excuditur Pars I. excusione Amortiana.

Articulus I. Aliqua falso & inepte dicta Adversarii de versione Latina, & Germanica Civitatis Mysticæ, hujusque versionis Auctore, & refugio perstringuntur, n. 45. & seqq.

II. Excutiuntur tria puncta excusione Amortianæ, n. 53. & seqq. & ostenditur, quod Revelationes Agredanæ bene possint in quibusdam comparari cum Revelationibus S. Birgittæ, Catharinæ Senensis &c. n. 59.

III. Discutiuntur tria alia puncta. Primum breviter tractat de Revelationibus incertis, n. 62. Secundum prolixius de Crucifixione Christi tribus clavis peracta, n. 63. Tertium de votis sanguinariis pro illibata Conceptione B. Virginis tuenda, n. 64.

IV. Varia dicta Amortii expenduntur, ubi etiam una (si non plures falsitates) ejus demonstrantur, n. 68. & seqq. Denique vanum effugium illius, de cumulo plurium Revelationum merè probabilium, præcluditur, n. 72. & seqq.

CAPUT II.

Excuditur excusio secundæ partis excusione;

Articulus Unicus. D. Amort imputatas sibi corruptiones textus Agredani minimè expungit, n. 74. & seqq.

CA-

C A P U T I I I

Excuditur excusio tertiae partis de Chronologia.

Articulus I. Perpenduntur prima dicta excussionis tertiae partis Adversarii, n. 78. & seqq. qui aperte falsum dicit, n. 80. Ostenditur, Ven. Scriptricem non insistere *Æra Vulgari*, si subsistat Catalogus Consulium Romanorum Amortianus, n. 80. & 81.

II. Series Consularis ab Amortio statuta, minimè est certa, imò Catalogo certo & demonstrato contradicit, ut ostendit ex ipsius Amortii scriptis, n. 82. 83.

III. Auctoritas Josephi Judæi excuditur, n. 84. & seqq.

IV. Alia de auctoritate Josephi Judæi. Singulariter de morte Herodis, & eclipsi eam præcedente, n. 87. 88. Plura alia ibi ab Adversario satis confusè, & minus cohærenter dicuntur, n. 90. & seqq.

V. Art. 5. Notatu est dignissimus, in quo notabiliores falsitates, deceptions, & contradictiones Amortianæ circa Chronogiam commissæ excutiuntur, n. 93. 94. & seqq.

VI. Reliqua de Chronologia, n. 100. & seqq. Non est certum, Christum esse mortuum duobus geminis Consulibus, n. 101. & seqq. Non fideliter scribit Adversarius in hac materia, n. 102. Falsum est probabilius, Christum esse mortuum 26. Martii, n. 106. Quid de Pleniluniis Paschalibus? n. 107. Quid de feriis, & litteris Dominicalibus? n. 111. Falso dicit Adversarius me nihil respondisse ipsius argumento de litteris Dominicalibus, & Pleniluniis &c. n. 107. & seqq. Tandem additur

Summarium

CATALOGUS

Consulum Romanorum Amortianus notis illustratus.

Videatur, & legatur iste Catalogus post n. 112. positus, demonstrat enim manifestè fallacias, & crassos errores Amortianos.

C A P U T I V .

Excutitur excusio Amortiana partis quartæ Justæ Defensionis Agredanae.

Articulus I. Introductio Adversarii, n. 113. In hac probabilitatem Revelationum Agredanarum non rectè impugnat, n. 114. Cumulus centum propositionum merè probabilium, in uno libro Revelationum privatuarum contentarum non officit probabilitati talium Revelationum, n. 117. 118. Adversarius falsa affingit Agreditis, & Revelationibus Agredanis, n. 116. & 119.

A R T I C U L U S I I .

Excutiuntur argumenta Adversarii ex Matheſi, & Philosophia.

Argumentum I. De distantia Hierosolymæ, Nazarethi, & domus Zachariæ, n. 120. & seq.
II. An Christus intra triduum ex finibus Iudeæ Canam Galilææ potuerit venire? Hoc in arguento Criticus priori corruptioni sensus Agredani nunc addit novam falsitatem, n. 122. & seq.

III. De discessu Magorum ex Patria 25. Decembris, & adventu in Bethleem 6. Januarii. Ubi præter alios, crisin Amortianam confutat SS. D. N. BENEDICTUS XIV. n. 124. & 125.

totius Opusculi.

- IV. De distantia Gazæ, & Hierosolymæ, n. 126.
- V. De itinere B. Virginis per desertum Bersabeæ. Ubi Amort non diluit corruptionem textus Agredani, n. 127. & 128.
- VI. De mensura diametri terræ nondum certò cognita, n. 128. & seq.
- VII. De milliaribus Palæstinis &c. ubi asseritur Revelatiōnem Divinam posse esse quoad nos dubiam, & obscuram, n. 131.
- VIII. & IX. De Patria trium Magorum contermina, n. 132. 133. & seq.
- X. Quo tempore B. Virgo ante partum suum Bethleemum advenerit : ubi technis utitur Criticus, n. 135.
- XI. De translatione specierum consecratarum in cor B. V. ubi Amort continuat suas falsitates, n. 136. 137.
- XII. De formatione corporis Christi in utero Virgineo ex purissimo sanguine cordis Materni, n. 138. & seq.
- XIII. De corruptibilitate lactis B. Virginis, ubi iterum Criticus sibi est dissimilis, n. 142. & seq.
- XIV. An secundinæ Maternæ in Nativitate Christi venerint ex utero, n. 144. & seq.
- XV. De sanguine, quem Virginea Mater Christo in utero ministravit, n. 147. & seq.
- XVI. An B. Virgo plus lachrymata fuerit, quam omnes homines, n. 149.
- XVII. De scientia B. V. Mariæ in utero Materno. Hic infidelis est D. Amort, n. 151. & seq.
- XVIII. De motu cœlorum in morte Christi. Ubi Adversarius corrupit textum Agredanum, & technis utitur, n. 155. & seq.
- XIX. An caro Christi sit caro B. Virginis. Ubi Criticus unam falsitatem renovat, & ad alias ipsi verè imputatas cœt, n. 158.
- XX. De ætate 33. annorum, n. 159,

Summarium

XXI. De gratia B. Virgini concessa. Ubi loquitur Criticus contra sensum communissimum, & simul dissimul corruptionem, quam commisit, Epistolæ SS. D. N. BENEDICTI XIV. n. 160.

XXII. Criticus falsò afferit, juxta Ven. Scriptricem cœlos esse solidos, n. 162.

XXIII. & XXIV. De quatuor humoribus in corpore humano, præsertim B. Virginis, & eorum temperamento, n. 163, 164. ac seqq.

XXV. De dolore Sanctorum, n. 167.

XXVI. Quanta à Deo acceperit B. Virgo, n. 169.

ARTICULUS III.

Excusio Argumentorum ex Historia Biblica.

A Rgumentum I. De Diabolo tentante Evam, n. 171.

II. De Libro Numerorum.

III. An omnia Mysteria Novæ legis fuerint declarata in Prophetis, & Psalmis. Ubi Criticus aperte falsum dicit, n. 175. & seq.

IV. An Christus in ultima cœna ingruente nocte discesserit è coenaculo, n. 177.

V. An B. Virgo Christo patiente fuerit tota Ecclesia, n. 178. & seq. Ubi Casimirus Oudinus Apostata, in quo se D. Amort plurimum fundat, describitur ut homo nullius fidei, præsertim circa opera SS. Thoma, & Bonaventuræ, n. 180. & seq. Dein Amortius duplicitis falsitatis convincitur, n. 182. Hoc argumentum est lectu dignissimum.

VI. An ante 7. Diaconos primos, alii 6. viri fuerint constituti: conatur Criticus sua prius dicta modis negare, n. 184. & seq.

VII. De Communione sub una specie tempore Apostolorum ab aliquibus usitata. Ubi Criticus prius corrupit texum Agredanum, nunc corruptum suum proprium assertum, n. 186. & seq.

totius Opusculi.

VIII. De mansione Christi in Iudaea post Baptismum susceptum, n. 188.

IX. De Adventu Christi Adamo non peccante , n. 190.

X. De B. Virgine in Apocalypsi ostensa, S. Joanni, n. 192.

XI. An Simeon fuerit Summum Sacerdos, n. 192.

XII. De mansione B. Virginis in Aegypto, n. 196.

XIII. De sententia Mortis Christi , n. 197.

XIV. De S. Jacobo Majore occiso. Hic Criticus corruptioni textus Agredani novam fraudem addit , n. 198. & seq.

XV. De Templo Diana*e* inferius redit.

ARTICULUS IV.

Argumentum negativum Amortianum excutitur.

§. I. **R**esponsio Amortiana, ad illa de argumento negativo dicta in Defensione justa Agredana, partim vera transit, partim falsa assert, n. 201. & seqq.

§. II. & III. Recensentur ab Adversario argumenta , quæ videntur ipsi incredibilia, n. 208. & seq.

§. IV. De Templo Diana*e* Ephesiis, imperante B. Virgine, diruto. Ubi plura de hoc Templo, & relatione Plinii, n. 212. & seqq. Falsum etiam auctori justè Defens. Agredanæ Criticus affingit, n. 214. ad finem.

ARTICULUS V.

An Revelationes Agredanæ aliquid contineant contra opiniones ab Eruditis receptas , & moraliter certas.

Argum. I. De libris S. Dionysii Areopag. an illi sint genuini, n. 215. Hoc argumentum suum ipse Criticus immutat , n. 216. ac corrumptit in eo textum Agredanum, n. 217. simulque falsum affirmat, n. 218.

Summarium

II. An Christus statura fuerit æqualis Adamo, n. 220. corrumputur textus Agredanus, n. 221.

III. De Chronologia ab orbé condito ; ubi de versione septuaginta interpretum , n. 222. & seq. Notatur etiam modica sinceritas Anti-Agredani in referendis dictis Agredanorum. Videatur n. cit. & seqq.

IV. De Conceptione B. Virginis &c. n. 226. Non refert D. Amort totum suum argumentum , nec impugnationem totam illius , n. 227. Infideliter allegat opera SS. D. N. BENEDICTI XIV. ac eis tribuit sensum à mente tanti Pontificis omnino alienum. Hinc fraudulenter truncatus per Amortium textus operum illorum integrè pohitur , n. 228. & seqq. & inde deceptio & fraus Amortiana multiplex deducitur , num. 231. & seqq. Doctrina Amortiana opposita est Constitutionibus Apostolicis de cultu Conceptionis B. Virginis editis , num. 236. Varia commenta Amortiana breviter refelluntur , n. 247. & seq. Peccat Amortius contra modestiam & veritatem. Ubi de Conceptione rationali B. Virginis die 8. Decembris facta , n. 248. Amortius variat in suis assertis , n. 249. Minis vanis agit , n. 250. Tandem falsa huic arguento de Conceptione Virginis inspersa ab Amortio paucis lineis recapitulantur , n. 251. Dicta Amortiana in hoc arguento sunt attentionis & animadversionis altioris indiga. Placeat tantum ea , & Defensionem ipsi hic objectam legere.

V. An in luce naturali videri possint objecta naturalia , n. 252. falsitates , & fraudes Amortianæ iterum palam fiunt , n. 253. & seqq.

VI. De duratione operationum Angelicarum , n. 258. & seq.

VII. De Juda à diabolo tentato &c. n. 260. Ubi etiam taxatur conclusio quartæ partis Amortianæ , n. 262.

CAPUT V.

Excutitur quinta pars excussionis Amortianæ.

Artic. I. Expenditur ingressus Amortianus. In hoc multa falsa dicit Amortius , n. 265. & seqq. qui afferens Ven. Scriptricem esse inconstitutam , & garrulam in suis Scriptis, clarissimis testimoniosis castigatur , n. 266.267. Quibus auctoribus usus sim in Defensione Civitatis Mysticæ , quibus D. Amort , n. 268. Pro Defensione Revelationum Agredanarum rectè adhibentur Revelationes aliarum SS. Mulierum à S. Sede approbatæ , n. 269. Canones à D. Amort conficti nihil evincunt contra Civitatem Mysticam , qui & emendantur , aurea Doctrina SS. D. N. BENEDICTI XIV. n. 270. & seqq. ubi plura de Revelationibus privatis utilissima scitu , n. 271. & seqq. Duo exempla BEATISSIMI NOSTRI PONTIFICIS Adversario apprimè notanda , n. 277. & seqq.

II. Criticus nihil respondet Defensioni justæ probanti , per Revelationes Agredanas non mutari statum Religiosis , n. 280. aliis in eadem Defensione dictis , de examine Civitatis Mysticæ , non satisfacit , n. 280. & seq. Idem Amortius irreverenter scribit de SS. Pontificibus , & Regibus Hispaniæ , n. 282. Injuria ab Amortio præfatis illata explicatur , & vindicatur , n. 283. & seqq. Neque INNOCENTIUS XI. aut BENEDICTUS XIV. iniquè egerrunt aliquid indulgentes in favorem Revelationum Agredanarum , contra stylum alias in his negotiis usitatum , n. 286. utiliter interdum Decreta Pontificia prius edita mutantur , ibidem.

III. Justam Defensionem de Titulis B. Virginis, Amort nec tangere audet , n. 288. & 289. ac seq. Corrumptit

tex-

Summarium

extum Cⁱvitatis Mysticæ , nova prius non commissa fal-
satione , n. 293. Tandem ostendit ipse suas crises nullius esse
momenti , n. 294. & seqq.

IV. An B. Virgo sit passa , sicut Christus , pro humano ge-
nere , n. 295.

V. An B. Virgo meruerit Incarnationem quoad substan-
tiam , n. 301.

VI. Quomodo omnes gratiæ profluant ex Maria , num;
304.

VII. De dominio B. Virginis ut Reginæ , n. 305.

VIII. De impeccabilitate B. V. Mariæ , n. 311. & seq.

IX. De scientia B. V. Mariæ , n. 313. Hoc in argumēto,
sicut in omnibus ferè aliis , Criticus fallaciter agit , n. 314.

X. Quomodo B. Virgo sit extinctrix omnium hæresum ,
n. 317.

XI. Revelationes Agredanæ an servire *debeant* pro norma
vitæ , n. 320. Adversarius auctori Defens. Justæ Revelatio-
num Agredanarum affingit falsum , de dispositione ad virtutes
supernaturales , n. 321. De Patrocinio B. Virginis sua dicta
Amort obscurat , & negat ; sed convincitur falsi , n. 323. &
324. An totum caput Proverbiorum octavum sit explican-
dum de B. V. n. 325.

XII. De cap. 12. Apocalypseos : ubi D. Amort priori fal-
siti duplēcēm aliam addit , n. 328. Quinque Paragraphis
meæ Justæ Defensionis omnino nihil respondet Criticus , n.
330.

XIII. Falsa fingit Criticus , n. 331. & seq. Inconstans est
in suis assertis , n. 333. Perstringit non satis reverenter Supe-
riores Regulares , n. 334. Ubi aliqua de probabilismo , & actu
indifferenti , ibid. Iterum injurius est Ordini Franciscano , n.
336. & seqq. Impedit famam quorumdam Reverendissimo-
rum Ordinariorum , n. 340. & seq. Frustra se fundat in Epi-
stola SS. D. N. BENEDICTI XIV. ipsi contraria , n. 341. Ubi

plu-

totius Opusculi.

plura de paupertate Franciscanorum , & eleemosynis annuis,
quas recipiunt , n. 336. An Ven. Scriptrix licet à Deipara,
vel Deo, consilientibus Confessariis petierit majorem Revela-
torum declarationem , n. 344. & seqq.

XIV. De Civitate Mystica extradenda ad examen : ubi no-
va falsitas Adversarii , n. 350. De sensu litterali falso mihi
affingit , n. 353. qua convenientia se Deus communicet ad ex-
tra , n. 355.

XV. Ven. Scriptrix nihil scripsit in vilipensionem Eccle-
siae , n. 359. Adversarius tenuo non candidè procedit , n. 360.
361. & seq. Aliqua de infantibus ab Herode occisis , n. 361.
& seq. De Canonizatione veterum Sanctorum , n. 364.

XVI. Memoria visionis beatificæ transunter præhabitæ
non est intuitiva , n. 365. & seq. Corruptio notabilis Amor-
tiana remissivè ad priora dicta , n. 367. De inclinationibus
nostris ebellendis , n. 368. De impeccabilitate B. Virginis , n.
369.

XVII. De impassibilitate B. Virginis , n. 372. Hoc in
puncto Amort deserit suum argumentum , n. 372. & 373. ac
fingit , n. 373. & 374. ac peccat contra regulas Summulisti-
cas , n. 375. 376. iterum fingit , aut suis dictis confutatur ,
n. 377. atque addit palpabilem falsitatem , n. 379. sequitur
alia corruptio nondum expuncta , n. 380.

XVIII. De lætitia dœmonum , n. 381. Amort negans dœ-
monibus potentiam memorativam , & oblivionem , refelli-
tur , n. 382. & seq. Colloquium trium Personarum de B.
Virgine male impugnatur à Critico , adjecta recenti falsitate ,
n. 385. & seq.

XIX. Concluduntur hactenus dicta , & vaniloquium Amor-
tianum castigatur , n. 387. 388. & seqq. His omnibus accedit

Summarium

APPENDIX.

IN qua excutitur problema Amortianum suo auctore dignum, & ostenditur primò, malè Revelationes Agredanas comparari cum Pseudo-Evangelio de Infantia Christi. Secundò assertur utilis doctrina de Libris Apocryphis. Quibus omnibus subjungitur

CONCLUSIO

TOTIUS OPUSCULI,

QUÆ ex aureis Operibus SAPIENTISSIMI D. N. BENEDICTI XIV. vel affectatam, vel veram ignorantiam Amortianam manifestat, ac alia ei bene nota inculcat.



MISSA

PRÆ-

PRÆFATIO.

Prodiit anno 1750. in lucem *justa Defensio Revelationum Agredanarum* contra insultus novos tentatos adversus easdem à plurimū Reverendo Religiosissimo, ac Clarissimo D. Eusebio Amort in sua Controversia. Adhibitum est moderamen inculpatæ tutelæ, & præ oculis habita sola veritatis inquisitio. Verū Adversarius etiam modelissimè refutationis impatiens statim tumultuarie concessit aliam Apologiam, cui hunc speciosum (si Superis placet) titulum præfixit : *NOVA DEMONSTRATIO DE FALSITATE REVELATIONUM AGREDANARUM CUM PARALLELIO INTER PSEUDO-EVANGELIA, ET EASDEM REVELATIONES, ADDITA EXCUSSIONE NOVÆ DEFENSIONIS AGREDANÆ AB A. R. P. DALMATIO KICK, ORD. MIN. LECTORE EDITÆ. AUTHORE P. EUSEBIO AMORT, CANONICO REGULARI POLLINGÆ &c. &c. 1750.*

Quam inscriptionem sic forniciatam, etiam antequam è typō emerserat opus, jam fecit distrahi, ante victoriam canens triumphum. Eo facto excitavit quidem Altiorēm Protestatē, ut impediret, ne similis Apologia, quæ solum animos & oculos legentium offendere posset, per Bavariam & alias terras vulgaretur: quia nihilominus dubitavi minime, quin ea extra fines Bojcos publicè, & intra hos claviculū sit spargenda, mérito jam ante duos fermè menses Volui in synopsi ac paucis foliis benigno, prudenti ac indifferenti Lectori offerre aliquas *Reflexiones*, quas supra prima quatuor ejus folia, quæ tunc temporis tantum ad manus meas venuunt, conscripsi. Credebam enim, ex his paucis facilè quemvis conjicere posse, quid de opere toto sentiendum sit. Cæterū cum modo à bono quodam amico integrum hunc novum partum Amortianum acceperim, ei toti bellum movendū esse censem illi, quorum jussis refragari haud licet.

Ho-

Horum itaque animatus imperio, ac præcipue Dei ter
Optimi, & Deiparæ semper illibatae confisus auxilio, opus
istud aggredior, atque primo ea, quæ in Reflexionibus illis
attuli, repeto, dein materias alias secundum eum, quem
Criticus iis statuit, ordinem, in tribus magis principalioribus
Partibus pertracto, stylo plano & modesto, qui nempe Reli-
giosum & Christianum decet. Præmitto semper totum Ad-
versarii argumentum, prout illud ipsius verbis est conceptum,
& propositum, cui subin addo brevem Defensionem.

PROTESTATIO AUTHORIS.

SIcut in justa Defensione sumi professus, ita & nunc in
continuatione ejus, Decretis URBANI VIII. demissi-
simè morem gerens protestor, omnia, quæ de Visionibus,
Miraculis, Revelationibus, Sanctitatis fama &c. alicujus ab
Ecclesia nondum inter Beatos aut Sanctos relati, hoc in
Opusculo dicuntur, me accipere, & accipi ab omnibus velle
eo duntaxat sensu, quo solent accipi, quæ humana solum
auctoritate, non vero Divina, aut Sedis Apostolica, vel Ro-
manæ Ecclesiæ nitantur, illis tantum exceptis, quæ præ-
dicta Sedes Apostolica approbavit, aut confirmavit.

Insuper omnia hic & alibi scripta judicio prudentium,
præsertim Sedis Apostolica, ac S. R. Ecclesiæ, omni, qua par-
est, reverentia subjicio.

PARS.



PARS I. DEFENSIO REVELATIONUM

Agredanatum

CONTRA N O V A M. SIC DICTAM
demonstrationem Amortianam, & Præfationem
toti suo Opusculo Recentissimo
præmissam.

ARTICULUS I.

EXPENDITUR PRÆFATIO

Adversarii.



UO novo operi D. Amor
hanc præfigit præfationem:
Edidi anno 1744 typis
Augustanis Librum sub ti-
tulo: De Revelationibus
Regulæ tutæ, Cum au-
tem in exemplificatione
tangerem Revelationes Agredanas, in earum De-
signis

P.I. Cont. Def. Rev. Agred.

,, fensionem calamuin strinxerunt P. Gonzalezius , &
,, P. Landelinus Mayr , ambo ex Ordine Minorum
,, S. Francisci. His respondi alio libro , quem dedi-
,, cavi Sanctissimo D. N. BENEDICTO XIV. sub
,, titulo : Historia Controversiæ Agredanæ. Prius
,, etiam opus , de Revelationibus Regulæ tutæ , recu-
,, sum est de novo Venetiis apud Tyberinum anno
,, præsente exeunte 1750. Patroni tamen Causæ Agre-
,, danæ minimè acquiescendum rati post ferme bien-
,, nale silentium pepererunt junctis plurium quatuor
,, Virorum , ut dicitur , viribus novam Defensionem ,
,, ut vocant , justam servato moderamine inculpatæ
,, tutelæ. In hac Defensione præter responsiones Po-
,, tulatoris in Causa Agredana , à me in historia Con-
,, troversiæ Agredanæ consulto omissas , vix quid-
,, quam occurrit novi , cui non in prefata historia
,, abundè satisfecerim. Quia tamen nequid satisfac-
,, tum clamant , respondendum breviter censui , non
,, ignarus , Romæ , & qui uspiam reperiuntur , sa-
,, pientibus , etiam hæc pauca suffectura pro forman-
,, do æquo in his rebus judicio. Primo loco ponam
,, novam Démonstrationem , de qua in prioribus meis
,, de hac re Libris ne quidem ullam feceram mentio-
,, nem. Parallelum inter Pseudo-Evangelia & Reve-
,, lationes Agredanas ex eo motivo præmittendum ju-
,, dicavi , quia Patroni hujus Causæ , cum videant ,
,, Romanum minimè inclinari ad serendum in favorem
,, earundem Revelationum judicium , protestantur ,
,, se nihil postulare , quam ut eæ agnoscantur tan-
,, quam probabiles , & tanquam probabiles more alia-
,, rum Revelationum maliciebrium tolerentur ac per-
,, mittantur. Sperant enim ex ejusmodi tolerantia , aut
,, permissione eximium suæ spei emolumentum. Ve-
,, rum ad hujusmodi spem ratione dirigendam nil ap-
,, tius

„tius mihi occurrit, quam, si ostendam, etiam in
 „primitiva Ecclesia tolerata, atque pro lectione pri-
 „vata permissa esse, non solum innumera scripta apo-
 „crypha, sed etiam ipsa Pseudo-Evangelia, quin ta-
 „men ea unquam fuerint aut existimata sint proba-
 „bilia. Primum anno 494. S. Gelasius Papa per suum
 „Decretum de Libris apocryphis, ea à Foro Eccle-
 „siastico, & usū Fidelium recedere jussit. Priori au-
 „tem tempore, prout ex pluri bus Ss. Patrum texti-
 „bus ostendere possem, legebantur non solum impu-
 „nè, sed etiam inculpatè à Fidelibus. Si ergo partus
 „impostorum, ac hæreticorum pro lectione privata
 „in Ecclesia veteri tolerantur, nec tamen propterea
 „probabilia judicantur, neque ex tolerantia Revela-
 „tionum Agredanarum, in quibus tot insinuationes
 „Divinæ Pietatis, ac Virtutis continentur, pro earum
 „quoad Quæstiones facti probabilitate sumi poterit
 „argumentum. „ Hucusque Anti-Agredani Praefatio.
 Contra quam ponitur sequens

DEFENSIO.

IN Præmissa Praefatione D. Amort primò falsum dicit: secundo incaute: tertio vanè loquitur. Primò ait Adversarius in titulo: *Nova Demonstratio*: in Praefatione vero ita se explicat: *Primò loco pono Novam Demonstrationem, de qua in prioribus meis de hac re Libris, ne quidem ullam feceram mentionem.* Ita Criticus. Sed enī manifesta falsitas: dicit *novam Demonstracionem, cuius ne quidem ullam mentionem fecerat in prioribus suis Libris Anti-Agredanis*; & tamen hic antiquam recoquit falsitatem iam in substantia allata in Observationibus suis Anti-Agredanis &

4 P.I. Contr. Def. Rev. Agred.

Controversia. Nam tota hæc sic dicta nova Demonstra-
tratio (ut ex verbis Amortianis Artic. 2. afferendis pa-
ter) quoad substantiam in hoc consistit, quod ex
mansione B. Virginis post Nativitatem Christi integro
septennio in Ægypto usque ad obitum Herodis dedu-
catur inter se non cohærente Chronologianam Agreda-
nam, cum moës Herodis in plures, quam deberet,
annos differatur post Christum natum. At vero hoc
ipsius argumentum antea ab Adversario fuit produc-
tum in medium contra Civitatem Mysticam in Con-
troversia pag. 399. ubi ita habet: Argumentum 12. Re-
velationes dicunt, Beatissimam Virginem integrō septennio
mansisse in Ægypto usque ad obitum Herodis. Sed hoc dici
nequit, cum ostendatur Herodem obijisse statim primo, aut
secundo post Nativitatem Christi anno, & quidem jam ante
Æram Vulgarem anno Julianò 41. aut 42. P. 2. n. 669.
700.

Hæc in Controversia: in Observationibus autem
prius editis pag. 530. ait: Quartò asserit (Venerabilis
Scriptrix) Beatissimam Virginem integrō septennio man-
sisse in Ægypto, nempe usque ad obitum Herodis. P. 2. n.
669. 700. ex hoc sequitur, Herodem obijisse sexto anno
post Nativitatem Christi, aut certè quinto, hoc autem est
difficillimum. Nam certum est, Herodem obijisse anno Ju-
lianò 41. aut 42. Atque adeò Adversarius hujus ar-
gumenti, quod modò novæ Demonstrationis enco-
miò honorat, duplo in Libro de hac re tractante me-
minit: ergo aperte falsum est, quod hoc argumen-
tum, vel hæc putatitia demonstratio sit nova, quod
ejus ne quidem ullam mentionem fecerit in Libro de
hac re tractante: ergo iterum falsa est prima vox ti-
tuli: Nova, &c. Nam novum non est, quod jam an-
te fuit propositum, & à me dissipatum est in Defen-
sione Agredana pag. 436. Ubi etiam præter renova-

cam falsitatem anteriorem, & corruptionem textū, aut sensū Agredani nova palmatis contradic̄tio Adversarii ostendetur. Sic orditur suam Apologiam novam Anti-Agredanam, falsitatem in fronte collocans, ut omnes noverint, quo tendant omnes ejus conatus Anti-Agredani, nempe ut agnītam quoque veritatem impugnet, & obscuret.

3. Secundò incautè dicit Criticus: Parallelum inter Pseudo-Evangelium, & Revelationes Agredanas ex eo motivo premittendum judicavi, quia Patroni hujus Causæ, cùm videant, Romānū minime inclinari ad ferendum in favorem earum Revelationum judicium, protestantur, se nihil postulare, quam ut eæ agnoscantur saltem tanquam probabiles, & tanquam probabiles more aliarum Revelationum muliebrium tolerentur, ac permittantur. Sperant enim ex ejusmodi tolerantia, aut permissione eximium spei fructum. Verū ad hujusmodi spem ratione dirigendam nūl aptius mihi occurrit, quam si ostendam, etiam in primitiva Ecclesia tolerata, atque pro lectione privata permissa esse non solum innumera scripta apocrypha, sed etiam Pseudo-Evangelia, quin tamen ea unquam fuerint, aut existimata sint probabilia. Et reliqua, quæ superiùs in Præfatione leguntur, & satis incautè ab Anti-Agredano in chartam sunt effusa.

Transeo plura, unum tamen breviter perstringo, nimirum quòd ex tolerantia, permissione, & approbatione Revelationum Agredanarum: (quam utique Agredistæ sollicitant:) obtinenda, non sint eximium fructum consequuti, imo, quòd Revelationes ejusmodi etiam obtenta approbatione, & permissione simili illi, quæ Revelationes aliarum mulierum Sanctarum sunt approbatæ, aut legi permisæ, non sint alio loco habendæ, quam Libri apocryphi hæreticorum, & impostorum, & Pseudo-Evangelia à S. Gelasio prof.

proscripta. Ex qua Amortiana Doctrina non potest sequi alia quam sequens Catholicò Theologò sanè indigna conclusio : ergo Revelationes S. Birgittæ , S. Catharinæ Senensis , & aliarum Sanctorum Mulierum à Sede Apostolica approbatæ , vel legi permisæ non sunt pluris faciendæ , quam Pseudo-Evangelia , & Scripta hæreticorum , ac impostorum , &c. Quis non videt , quam parùm cauta , quam parùm Ecclesiæ , & Sedi Apostolicæ honorifica sit ista illatio & doctrina Anti-Agredana. Audet bonus hic vir comparationem facere inter Revelationes mulierum à Sede Apostolica examinatas , & post rigidum examen ab Ecclesia legi permisæs , ac inter Libros apocryphos hæreticorum , aut Pseudo-Evangeliorum ideo toleratos , quia nondum erant examinati , & sic eorum errores ac figura adhuc occulta.

Audet dicere , quod Revelationes Agredanæ , et si post discussionem Sedis Apostolicæ more aliarum Revelationum muliebrium agnoscantur tanquam probabiles , & permittantur , non tamen pro earum probabilitate quoad quæstiones facti , possit duci argumentum , sicut partus hæreticorum , & impostorum in veteri Ecclesia tolerati : (nimur ante eorum examen:) non propterè probabiles judicantur. Ista est mens Adversarii integro contextu in posteriore Parte Præfationis manifestata ; sed hæc non est mens Ecclesiæ , neque illorum Fidelium , qui de discussionibus Sedis Apostolicæ in simili negotio , eâ , qua per est , modestiâ scribunt : hi enim uno ore fatentur , Revelationibus privatis ab Ecclesia examinatis , & approbatis non inesse quidem certitudinem Fidei Divinæ , bene autem aliquam probabilitatem , quod nihil contineant manifestè erroneum contra Fidem , bonos mores , aut sanam doctrinam. Hæc probabilitas vero deest dictis

Libris apocryphis, Pseudo-Evangelii nondum discussis, & ideo solum toleratis, quia necdum ab Ecclesia ad trutinam sunt vocata.

4 Essent sane otiosa examina, & post factæ permissiones Sedis Apostolicæ, si ex ijs non major queretur fructus, quàm ex omissione earum.

Percipiamus ea de re sententiam Sanctissimi P.N. BENEDICTI XIV. Hic in aureo suo opere de Beat. & Canon. lib. 2. cap. 32. ita sapientissimè loquitur: „ Sermonem autem instituendo de earum: (Revelationum privatarum) approbatione sciendum est, „ approbationem istam nil aliud esse, quam permissionem, ut edantur ad fidelium institutionem, & „ utilitatem post matrurum examen: siquidem hisce „ Revelationibus taliter approbatis licet non debeantur, nec possit adhiberi assensus Fidei Catholicæ, „ debetur tamen assensus fidei humanæ juxta prudenter regulas, juxta quas nempe tales Revelationes „ sunt probabiles, & piè credibiles, uti, loquendo „ de Revelationibus Beatae Hildegardis, quæ ab Eugenio III. S. Birgittæ, quæ à Bonifacio IX. & S. Catharinæ Senensis, quæ à Gregorio IX. approbatæ dicuntur, docet Arauxo loc. cit. §. 2. & sequitur Lamindus Pritanius de ingeniorum moderatione „ l. 1. cap. 7. nec etiam ex earum aliquando inter se „ contrarietate ulla absurditas deduci potest &c. „ Ita sapientissimus Pontifex: Cui in hoc suo novo partu minimè consentit D. Amort, qui tamen se jaçtat, cum eodem Sanctissimo Domino nostro habere communia dogmata, ut in mea defensione in excusione Præfationis Amortianæ ex ipso D. Amort retuli.

Sed mirum non est, quod à sensu Sanctissimi, & Sapientissimi Patris alienus sit, qui sibi ipsi est contrarius in materia Agredana; in sua enim Controver-

sia Anti-Agrædana pag. 571. hæc scribit: „Approba-
„tiones non solum Theologorum , sed ipsius etiam
„Ecclesiæ editæ in forma communi , in materia
„Revelationum non conciliant eis moralem certitu-
„dinem , sed tantum probabilitatem , quod nihil
„contineant manifestè erroneous in rebus fidei , &
„morum. Ita docet P. Gavina Ord. Prædicat. in suo
„Lapide Lydio ad discernendas Revelationes Part. I.
„ubi sit scribit: Revelationes B. Hildegardis ab Archi-
„Episcopo Moguntino subjectas fratre judicio Euge-
„nij III. Qui eas iusserit à duobus viris doctis exami-
„nari , factoque examine permisit publicari. Revela-
„tiones S. Birgittæ Cardinalis Turrecremata censet
„Divino Spiritu inspiratas , eò quod magnorum vi-
„rotum ac etiam Summi Pontificis judicio appro-
„batæ fuerint , ut patet ex Prologo in cap. I. ea-
„rum Revelationum. Dicendum tamen , quando hæ-
„Revelationes ab Ecclesia approbantur , non pro-
„bantur , ut illis certitudine fidei assentiamur , sed
„ut eas velut probabiles recipiamus. Neque de Reve-
„lationibus B. Hildegardis , aut S. Birgittæ statutum
„est , ut de fide recipientur , sed quod in ijs nihil
„contineatur absconni fidei , vel bonis moribus. Cæ-
„terum quantum ad facta particularia , proponuntur
„tanquam probabilia , & fidelium pietatem promo-
„ventia , & nullam continere absurditatem. Sic etiam
„scribit P. Castaldo Ord. Prædicat. Inquisitionis Ro-
„manæ Qualificator tom. I. de Potest. Ang. tract. 31.
„cap. I. & 5. & Cardinalis Cajetanus ab eo lib. cap...
„relatus , qui sic habet : Revelationibus Sanctorum
„quorum doctrinam Ecclesiæ suscipit , tanquam pro-
„babilibus inhæremus. „ Hucusque ipse D. Amort.
Ecce ! in Controversia Anti-Agrædana Revelationibus
ab Ecclesia approbatis tribuit probabilitatem , nunc

vero eandem conatur negare, vel sui oblitus, vel ex proposito uti veritati, ita suis anteā dictis vim infrens.

Tertiò vanè Criticus suæ Præfationi hæc pimmissit: *Patroni Causæ Agredanæ post fermè biennale silentium peperunt junctis plurimum, quatuor virorum, ut dicitur, Viribus novam Defensionem, ut vocant, justam servato moderamine inculpatæ tutelæ.* Hæc assert Adversarius, vel tarditatem, vel imbecillitatem Franciscanorum, sua opinione plurimum, contra ipsum scribentium reprehendens; quæ nos filii humili Patriarchæ S. Francisci non multum moramur, inanis gloriæ ceu fratres minores minimè avidi. Interca ut veritatem rei doceam Dominum Amort, hæc ejus asserta strictim percurram. Primò ait: *Post biennale silentium pepererunt novam Defensionem.* Fateor, annum, & 8. circiter menses fluxisse à Controversia Amortiana impresa usque ad Defensionis Agredanæ impressionem absolutam: verum hoc tempus totum non est impensum: (prout videtur imputare Criticus:) elaborando huic operi: etenim Controversiam Anti-Agredanam, qiram impugnandam suscepeream, pri-
mum circa mensēm Februariū anno 1749. accep-
eram, & opusculum defensivum illi Controversiæ op-
positum jam 10. Februario 1750. integrum, non so-
lū compositum, sed & lectum & approbatum erat
à Reverendissimo Domino Episcopali Censore, qui
nec unum foliū restituit, nec censuram concessit,
antequam totum legisset, & omnia, quæ in eo trac-
tabantur, à capite ad calcem usque diligenter inter-
se contulisset.

Secundò dicit: *Pepererunt junctis plurimum, quatuor virorum (ut dicitur): Viribus novam Defensionem.* Recte addit: *ut dicitur.* Hic enim modus loquendi incerti-

tudinem afferentis significat. Sed quid deinde? dicatur hoc! etiam de D. Amort multa dicuntur, quæ tamen haec tenus credere nolui; dictum fuit, & dicitur de eo, quod Observationes Anti-Agredanæ, quas in lucem emisit, & quæ initium his controversiæ inter ipsum, & Agredanos dederunt, tanquam parentem non agnoscant Dominum Amort, sed alium Theologum Romanum, qui dum suo nomine illas non auderet publico obtrudere, dederit plus audenti Eusebio, ut saltem sub hujus nomine lucem aspicerent. Dictum fuit, & dicitur de eodem D. Amort, quod habeat suos adjutores, & quidem plures, qui ipsum adjuvent laboribus, & consiliis suis in Causa Agredana persequenda, qui & *Amortiani* vocantur in epistola Nonneminis ad Nonneminem pag. 19. quæ epistola nota est Adversario, quam etiam imitatur ejus recens partus, qui *Revelationes Agredanas* comparat cum *Pseudo-Evangelii*, sicut ille Nonnemo per calumniam eas appellat *Evangelium Familia Seraphicæ*. Hæc & plura alia dicuntur de D. Amort, quæ tamen ego nec crediderim, nec dixerim, bene gnarus illius: *qui cito credit, levius est corde*: existimo ergo, Dominum Amort non statim habiturum fidem quibusvis aliorum dictis. Ast ne existimet benevolus lector, me per ista vanam aucupari gloriolam, candide aperio omnia, quæ forte Adversariis nostre tangit. Usus sum utique consiliis aliorum, & quidem complurium non solum Franciscanorum, sed etiam exterorum, non in omnibus, sed aliquibus materiis, maximè iis, circa quas defectum librorum patiebar, proposui illis mea dubia, rogavi etiam absentes, ut in Bibliothecis inquirent in libros illos, quos Ingolstadii, ubi tunc degebam, non potui repetire: institi, ut fideliter annotarent, quæ Au-

tho-

thores de talibus materiis scriberent. Et Deo sint laudes ! ex nostris , & exteris quoque inveni , qui libentiissimè suam mihi hac in re commodârunt operam. Unde non diffiteor , quòd in aliquibus materiis excerpta ex annotationibus aliorum (quibus propereà me singulariter obstrictum profiteor) : inferuem defensioni à me editæ. Non enim conscribendò istud opus quæsivi ostentationem eruditionis , aut grande nomen , sed tantum Dei , & Deiparæ honorem , ac nudam veritatem.

7 Inter vanè dicta rejici quoque petunt ista : *In hac defensione præter Responsiones Postulatoris in Causa Agredana à me in Historia Controversie Agredanæ consultò omisas , vix quidquam occurrit novi , cui non in præfata Historia abundè satisfecerim.* Ad talia , quibus Adversarius suam Controversiam Anti-Agredanam prædicat , ac meam Defensionem contemptui habet , respondere non est animus , ne in causa propria judicem videar agere. Agat hunc benevolus lector , & indifferens ; ejus enim sicut & Sedis Apostolicæ iudicio totum , quod conscripsi , Defensionis Agredanæ opusculum , in protestatione ipsi præfixa , omni , quæ par fuit , demissione jam subjeci , & iteratò subiectum volo. Judicabit (ut spero) aliquando eruditus , & veritati studens mundus , quis æquiorem , meliorisque causam foveat , Anti-Agredanus , in suis objectionibus contra Mysticam Civitatem excogitatis , an Agredani in suis responsionibus pro eadem Civitate repositis ? His igitur etiam satisfactum sit vanè ab Adversario dictis in Præfatione. Nunc ad ipsam novam (ut eam vocare placet) demonstrationem.

ARTICULUS II.

DISCUTITUR NOVA AMORTIANA demonstratio.

8. Præmittitur ipsa sic dicta nova demonstratio, prout apud Adversarium à pag. 2. usque ad 2. legitur, ubi sic sonat: „ Nova palpatibilis demonstratio de falsitate Revelationum Agredanarum. Revelationes Agredanæ mortem Herodis Infanticidæ differunt usque ad annum à Nativitate Christi octavum. Id autem absolute falso & impossibile est, nisi concorditer mentiantur, aut fallantur omnes antiqui Historici, tam Romani, quam Hebraici cum ipsis fastis Consularibus. Ipsi met enim Historici Romani partim coevi, partim proxime coevi illis temporibus non solum Josepho Judæo tanquam veraci in hac re consentiunt, sed eum etiam exscribunt. Utrumque ostenditur in sequenti deductione, in qua præmitto Tabulam Romanorum Imperatorum, & Consulum correspontentium annis æræ vulgaris juxta ipsummet Apologistam Agredanum fol. 262.

Hic inserit Criticus aliquam Tabulam Romanorum Imperatorum, & Consulum ab anno 1. æræ vulgaris, quæ tamen à me comodius ponitur in Parte 3. hujus Opusculi, & ibidem quibusdam notis illustratur, omissa itaque Tabula pergo ad reliqua, quæ de putatitia demonstratione restant, & sic sonant.

9. „ Revelationes Agredanæ testantur, quod Herodes Infanticida primum obseruit anno octavo post „ Na-

„ Nativitatē Christi. Id ostenditur ex sequentibus
 „ harum Revelationum textibus. Primo , Part. 2. lib.
 „ 4. cap. 27. num. 624. sic scribunt : Sexto incise à
 „ Nativitate Domini hoc mandatum Regis Hérodis
 „ (de occidendis infantibus) emanavit.
 „ Secundò. Ibidem cap. 26. num. 669. sic scribunt:
 „ ex his tam prodigiosis operibus colligi potest , qua-
 „ lia & quanta fuerint reliqua , quæ spatio integri sep-
 „ tenij Heliopoli in Ægypto commorantes effecerunt
 „ (Jesus , Maria , & Joseph) siquidem singula nume-
 „ rare omnino impossibile foret.

„ Ex his textibus patet , quòd sex menses à Nativi-
 „ tate Domini effluxerint usque ad Decretum Herodia-
 „ num Infanticidii. Successit fuga in Ægyptum conti-
 „ nuata per unam , vel alteram hebdomadam. In
 „ Ægypto morabantur integrō septenniō. Ægyptum
 „ reliquerunt statim annuntiata per Angelum morte
 „ Herodis. Id enim patet ex textu proximè referendo.
 „ Ergo manifestum est , mortem Herodis juxta Reve-
 „ lationes Agredanās primum scutam esse anno post
 „ Nativitatem Domini octavo jam mediante. Textus
 „ Agredanus Part. 2. lib. 4. cap. 30. num. 702. sic ha-
 „ bet : „ Destinatum ab Æterna Sapientia exilij tempus jam
 „ expletum erat , postquam Puer Iesus cum Parentibus suis
 „ in Ægypto commoratus etatem Septem annorum attigit.
 „ In versione Germanica legitur : Das Kindlein Iesus
 „ hatte annoch in Ægypten das sibente Jahr erfülltet. Ubi
 „ advertendum in versione Germanica ponи numeros
 „ 670. 675. 705. ubi in Latina versione ponuntur
 „ numeri 669. 674. 702. Textus Agredanus numer,
 „ 702. & 704. 705. sic pergit : Nocte apparuit Angelus
 „ Domini in somnis Ioseph , eumque monuit , ut accipe-
 „ ret Puerum , & Matrem ejus , & vaderet in terram
 „ Israel , defunctos enim esse , qui quarebant animam Pue-

„ri, Herodem scilicet, & Ministros nefarii operis. Re-
 „licta ergo Heliopoli in Palæstinam abierunt. Cum
 „Palæstinæ appropinquaret Virgineus Sponsus sciens,
 „quod Archelaus regnaret in Judæa pro Patre suo,
 „timuit, & præteritâ Judæa declinavit in Galilæam.
 „In Evangelio Matth. cap. 2. expressis verbis scribi-
 „tur: *Consurgens (S. Josephus) accepit Puerum, &*
 „*Matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum, & erat*
 „*ibi N. B. usque ad obitum Herodis = defuncto autem*
 „*Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph*
 „*in Ægypto dicens: Surge, & accipe Puerum, & Ma-*
 „*trem ejus, defuncti sunt enim, qui querebant animam*
 „*Pueri. Et venit in terram Israel; audiens autem, quod*
 „*Archelaus regnaret in Iudæa pro Patre suo, timuit,*
 „*illò ire, & admonitus in somnis secessit in partes Ga-*
 „*tilæa.*

„Ex his manifestum est, coincidere mortem He-
 „rodis, & redditum Christi ex Ægypto. Ergo cum
 „juxta Revelationes Agredanas reditus ex Ægypto
 „contigerit anno octavo post Nativitatem Christi,
 „necessæ est, eodem anno octavo contigisse mortem
 „Herodis.

PERGIT D. AMORT.

10 „ **F**alsum, & impossibile est, Heroden
 „objisse anno octavō post Nativita-
 „tem Christi. Id probatur convincentibūs argumen-
 „tis. Nam indubitatō constat ex Josepho, & Dione,
 „& aliis antiquis Scriptoribus, Archelaum filium He-
 „rodis fuisse ab Atigusto exauthoratum anno Regis
 „minis sui post mortem Patris sui nono completo,
 „decimo incompleto, & quidem sub Consulatu Æmi-

„ llii Lepidi , & L. Aruntii , qui incidit in annum
 „ Ærae Vulgaris quintum. Cum ergo iuxta Revela-
 „ tiones Agredanas & Kickium hoc anno Herodes
 „ adhuc vixerit, imò adhuc duobus annis supervixe-
 „ rit, impossibile est, eodem anno Archelaum exau-
 „ thoratum esse , anno post mortem Patris sui deci-
 „ mò. Aut ergo falluntur , & fallunt simul concordes
 „ Historici Romani , Græci , & Judaici , quid morali-
 „ ter impossibile est circa ejusmodi acta publica , aut
 „ falsæ sunt Revelationes Agredanæ . Quòd autem
 „ Dio , & Josephus in hac re consentiant , fatetur Ba-
 „ ronius ad annum Christi decimum sextum , quam-
 „ vis ex præjudicio , quòd Herodes non potuerit mori ,
 „ & Christus non potuerit nasci ante Æram Vulgarem ,
 „ utrumque rejiciat , & exauthorationem Archelai in
 „ ultimum annum Augusti rejiciat , qui non potest dif-
 „ ferri ultra annum decimum tertium , vel ad summum
 „ decimum quartum , aut decimum quintum Ærae
 „ Vulgaris , consequenter et si falleret Josephus & Dio ,
 „ impossibile tamen foret Herodem objisse anno Ærae
 „ Vulgaris octavo , & ejus filium exauthoratum esse
 „ anno regiminis sui nonò completo , ac decimò in-
 „ completò ab Imperatore Augusto , qui ab ipsomet
 „ Kickio fol. 792. conceditur , jam objisse anno Ærae
 „ Vulgaris decimo tertio , vel decimo quarto. Baronius
 „ lib. 4. num. 1. sic scribit : *Dio Josephum secutus , dam-*
 „ *natum dicit Herodem Palæstinum* (sic enim Archelaum
 „ nominat) *& trans alpes relegatum sub Consulatu M.*
 „ *Æmilii Lepidi , & L. Aruntii anno ab urbe condita 759.*
 „ quo ipso anno à Josepho exactus dicitur. Josephus
 „ autem lib. 17. Antiquitat. cap. 18. sic scribit : „ De-
 „ cimò anno Principatus Archelai Primates Judæo-
 „ rum , non ferentes Tyrannidem ejus , apud Cæsarem
 „ accusationem instituunt : Archelaus in exilium trudi-
 „ præ-

„ præcipitur. Hæc omnia consimiliter demonstrantur
 „ etiam ex diçendis infra in excussione Partis 3. ubi
 „ ostenditur ex Josepho, Philippum Tetrarcham fi-
 „ lium Herodis objisse anno Æræ Vulgaris trigesimo
 „ quarto, regiminis vero sui trigesimo septimo; hoc fie-
 „ ri nequit, si Herodes ejus pater primùm objit anno
 „ octavo post Æram Vulgarem, aut Nativitatem
 „ Christi. Ibidem ex Josepho ostendam, Herodem
 „ Agrippam filium Herodis infanticidæ objisse tertio
 „ anno Imperii Claudi, qui incidit in annum Æræ
 „ Vulgaris quadragesimum quartum, postquam iam
 „ prius per triennium Tetrarchiam sui fratri Philippi
 „ obtinuerat. Jam si ceteram gratus concederetur, quod
 „ hoc triennium computaretur tribus ultinis annis
 „ ejus vitæ, nihilominus cum Philippus 37. annis suum
 „ principatum teste Josepho tenuerit, sequitur, de-
 „ ductis 40. annis à 44. Herodem necessariò objisse
 „ anno quartò Æræ Vulgaris. Itaque omnium Histo-
 „ ricorum calculo demonstratum est, falsum esse, quod
 „ Herodes objerit anno octavo post Nativitatē
 „ Christi, dum econtra in nostrorum Authorum sen-
 „ tentia, quod Christus natus sit sexto anno ante
 „ Æram Vulgarem, omnia plana sunt, & concor-
 „ dia, ac uniformia in Josepho, & Dione, & aliis,
 „ quæ uniformis dictorum consensio non reperitur in
 „ historia mendaci, aut fallaci. „ Sic sonat Nova Anti-
 „ Agredani Demonstratio.

DEFENSIO.

NOvam sanè, & hucusque inauditam
 demonstrationem producit Criticus.
 Nova utique est, quia in ea Author ipsius sibi non
 tantum sc̄mel, sed saepius palpabiliter contradicit, ac
 dein

deinde falsum necessariò supponit, vel affirmat. *Nova*, inquam, demonstratio est, quæ ex pluribus manifestis contradictionibus, quibus Criticus contra se ipsum, & suam Anti-Agredanam doctrinam pugnat, & ex falso supposito, vel asserto consuta est. Novitatis causâ inspiciamus eam penitus.

ORDIOR A CONTRADICTIONIBUS.

Primò in Observationibus Anti-Agredanis anno 1744. editis D. Amort ex Scriptis Agredanis, & mansione per septennium in Ægypto infert sequi, quod Herodes obierit sexto, vel quinto anno post Christum natum. Verba Observationis pag. 530. sunt ista: *Quartò afferit (Ven. Scriptrix) B. Virginem integrō septennio mansisse in Ægypto, nempe usque ad obitum Herodis. Part. 2. num. 669. 700. Ex hoc sequitur, Herodem obiisse sexto anno post Nativitatem Christi, aut certè quinto. Hoc autem est difficile. Nam certum est, Herodem obiisse anno Julianò 41. aut 42.* Hæc est observatione Amortiana, in qua vides palpabilem contradictionem: modo enim, seu in sua nova sic vocata demonstratione, ait, scripta Agredana mortem Herodis differre in octavum annum post Christum natum, cum prius, nimirum in mox citata Observatione ex eisdem scriptis statuerit annum quintum, vel sextum. Imò & in novo suo opusculo sibi & suæ novæ confitæ demonstrationi repugnat, dum in excusione tertiae Partis justæ defensionis ad calcem ait, à Revelationibus Agredanis differri mortem Herodis (N.B.) in annum *septimum* post Christum natum. Vide dicenda num. 100.

12 Secundò ait Criticus superius in sua nova demonstratione ferè ad finem, quod Philippus Tetrar-

cha filius Herodis objerit anno Ærae Vulgaris trigesimo quarto: & quidem non solum hoc dicit sub finem novæ fictitiæ demonstrationis, sed simul se remittit ad excursionem (prout eam pro sua in me humanitate vocat) tertiae Partis, in qua asserit, constare ex fastis Consularibus Blanchini, quod annus obitus Philippi in trigesimum quartum Ærae Vulgaris, & vigesimum secundum Tiberii sub Consulatu Aceronii Proculi, & Pontii Nigrini sit referendus. Jam verò hæc non una, sed duplex est contradictionis, & quidem ex proposito à Critico admissa, ut inexcusabilem in Chronologia errorrem coram rudibus saltem aliqua ex parte tegeret; quod pluribus ostendetur in responsione ad excusationem tertiae Partis paulò liberalius impertienda. Hic autem breviter, & in transitu designâsse sufficiat utramque contradictionem. Una militat contra Controversiam Amortianam, in qua pag. 223. demonstrative certum esse contendit, quod mors Philippi filii Herodis incurrat in annum trigesimum sextum Ærae Vulgaris, cui certè contradicit, quod Philippus non primùm trigesimo sexto, sed trigesimo quarto anno ejusdem Ærae fuerit mortuus. Hanc antilogiam firme pende premit altera, dum Criticus dicit, quod Consulatus Aceronii Proculi, & Pontii Nigrini sit referendus in annum trigesimum quartum Ærae Vulgaris. Hoc enim est contra ipsum Catalogum Amortianum Consulum, tam in Controversia pag. 219. quam nova demonstratione pag. 6. qui uterque Catalogus non anno Ærae Vulgaris trigesimo quarto, sed trigesimo sexto affigit Consulatum Aceronii Proculi, & Pontii Nigrini. Ecce quam benè contradictionibus facta sit nova hæc demonstratio. Plura de hoc puncto inferiū Part. 3. ubi in aliqua Tabula cuiilibet spectandas, imo & palpandas exhibebo falsitates, ac antilogias ad-

mòdum crassas in Chronotari commissas. In præsentiarium tantum quærere liceat, quid de Chronologia Adversarii adeò versatili censemendum sit? ascendit illa, & descendit pro libitu D. Amort, sicut mercurius in Barometro pro diversitate tempestatis, crescit & decrescit in annis, sicut Luna. Ast patiturne etiam veritas & demonstratio similes vicissitudines? Eam immutabilem hucusque credidit sanus intellectus, qui proin nihil veritatis, aut demonstrationis Amortiano argumento inesse æquò decidet judiciō.

13 Antilogias sequitur falsum, vel suppositum, vel assertum Anti-Agredani. Totius novæ (ut appellatur) demonstrationis vis in eo ponitur, quòd Revelationes Agredanæ differant mortem Herodis in annum octavum post Christum natum, cùm tamen juxta probatos Historicos antea ultimum obseruit diem. Pro probatio-
ne hujus assumpti adducuntur Revelationes affirmantes, sexto mense à Nativitate Christi decretam esse ab Herode cædem infantū, huic Decreto successisse fugam in Ægyptum, eam continuatam esse per unam, & alteram hebdomadam, atque Christum moratum esse in Ægypto integrò septennio, inde rediisse annuntiata per Angelum morte Herodis. Hoc argu-
mentum, ut aliquid probet, simul vel necessariò supponit, vel affirmat, in Revelationibus Agredanis adstrui, quòd S. Familia statim, ac Herodes mortuus est, redierit ex Ægypto. Id quod satis etiam indicant ipsissima verba Adversarii superius recitata, quæ in ejus nova sic dicta demonstratione ita sonant: *Ex his (textibus) manifestum est, coincidere mortem Herodis, & redditum Christi ex Ægypto. Ergo cùm juxta Revelationes Agredanas redditus ex Ægypto contigerit anno octavo post Nativitatem Christi, necesse est, eodem anno octavo contigisse mortem Herodis.* Hoc igitur in asserto, ut cui-

libet rem perpendenti liquet , tota machina novæ demonstrationis quiescit , quo prain prostrato , & illam corrueire oportet . *mūnētus illud h̄c cōbā iñfr̄vba*

At verò nil minus in Civitate Mystica , quamvis eam totam volvas & revolvas , reperies , quām quòd Ss. hi Peregrini mortuo Herode statim ex Ægypto in Palæstinam sint reversi . Evidem Part. 2. Civit. Myst. num. 702. dicitur : *Angelus monuit eum (Josephum) ut acciperet Puerum , & rediret in terram Israel , defunctos enim esse , qui quarebant animam Pueri , Herodem ejusque nefarii operis Ministros.* Verùm in isto textu non affirmatur , Angelum statim mortem Herodis , ac illa accidit , mantiisse Josepho : potuit mors , quæ plurib⁹ antea annis contigit , primum postea indicari Sancto Nutritio , singulariter , quia hæc annuntiatio facta est non post solam mortem Herodis , sed aliorum quoque , qui cum Herode in interitum Christi conspirabant : nam ex cap. 2. Matthiæ intelligimus , non solum Herodem , sed & Sacerdotes , & Scribas eodem tempore necem Domini fuisse meditatos , ut legitur in Homilia S. Hieronymi in Vigil. Epiph. Monitum itaque Angelicum de reditu S. Joseph accepit post mortem horum omnium , quorum plures primum posterioribus temporibus , mortuo prius Herode omnino probabiliter obierunt , ut discurrat clarissimus P. Antonius Mayr inferius allegandus . *2. h̄c p. imi*

14 Neque alter textus , seu num. 705. Part. 2. Civit. Myst. ab Adversario pro se allegatus , pro ipso facit , imò ex eodem sequitur , non statim , sed notabiliter tempore post mortem Herodis rediisse S. Familiam ex Ægyptiaco exilio . Textus Civit. Myst. conformiter Evangelio ita loquitur : *Cum jam Palæstine propinquarent Ss. Peregrini reduces , Virgineus Sponsus sciens , quòd Archelaus regnaret in Iudea pro Patre suo*

timuit &c. ergo jam tunc regnayit Archelaus: atqui non statim post mortem Herodis patris regnayit: etenim defuncto Herode Romam petiit, (ut notant Siuri, Spondanus, Antonius Mayr, & alii, ibique dicto teste Siuri) moratus est, donec Regnum à Cæsare Terrarchiæ nomine administrandum acceperit. Unde colligitur, licet Herodes jam primò, vel secundò anno defunctus sit post Nativitatem Christi, nihilominus seriùs, & non statim post mortem Herodis S. Familiam reversam esse in Patriam suam. Hæc omnia jam reposui huic argumento Adversarii pag. 436. iustæ Defens. Revelat. Agred. ubi illud jam solvi. Videatur quoque Gonzalezius num. 206.


150 Nec ex textu Evangelii S. Matth. cap. 2. aliquid pro se elicit Criticus, licet enim ibi dicatur de S. Josepho: *Erat ibi (in Ægypto) usque ad obitum Herodis*, hoc tamen solum significat, quod S. Joseph non ante mortem Herodiū redierit, non verò simul asseritur, quod statim defuncto Herode reversus sit, ab hoc enim ille textus abstrahit. Idem dic ad ista verba: *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto dicens: Surge, & accipe Puerum*. Ista enim verum sensum faciunt, licet multo post mortem Herodianam tempore Angelus Josepho primum apparuerit &c. Unde non obstantibus istis textibus Doctissimi Siuri, Spondanus, & Antonius Mayr cum aliis affirmant, quod Christus non statim post mortem Herodis, sed multò tardius in Palæstinam cum B. Virgine, & S. Josepho ex Ægypto redierit, quod hi viri celeberrimi haud facerent, si Evangelium certò, & evidenter diceret (prout Adversarius prætendit, utpote demonstrans) mortem Herodis, & redditum Christi ex Ægypto coincidere.

Videatur clarissimus P. Antonius Mayr de Primo

& secundo Adventu Christi num. 223. ubi eas ipsas rationes, quas pro me contra Adversarium adduxi, declarat, nempe de Archelao jam regnante, dum redibant Ss. Peregrini, & quia prius mortui erant alii quoque Christo infensi præter Herodem.

16 Ex quibus iterum pater, quod hæc nova demonstratio pro fundamento suo, & principali fulcro habeat corruptionem textus Agredani, dum Revelationibus Agredanis (concomitanter etiam mihi) affingit, quod juxta eas, & me Herodis mors, & reditus Christi ex Ægypto simul coincidant, & sic ultra septennium mors Herodis post Christum natum differri debeat. Quam assertionem non contineri in Civitate Mystica, aut mea defensione nōrunt omnes, qui utramque legerunt. Ea propter tota hæc demonstratio est merum coagulum ex contradictionibus, & falsitatibus. Si D. Amort hanc novam demonstracionem se authore dignam judicet, mea pace: ego vero cum candidis veritatis amatoribus exclamo: à Logica, in qua docentur, & creduntur ejusmodi novæ demonstrationes, libera nos

Domine!





PARS II.

JUSTA DEFENSIO REVELATIONUM

Agredanarum contra sic dictum Parallelon
Amortianum inter Pseudo-Evangelia,
& easdem Revelationes.

PRÆFATIO.

QUAM laudem sibi comparârit Criticus hac sua comparatione Revelationum Agredanarum cum Pseudo-Evangelii, nôrunt ij , quibus perspecta sunt, quæ in Bavaria , uti Ecclesiæ Romanæ , ita & B. Virginis constanter devotissima , fuere ex zelo justissimo gesta , vel solò titulô operis Amortiani evulgatô , in quo hujus Paralleli mentio fiebat. Hoc sic dictum Parallelon nunc examinabo. Priùs præmitto verba Adversarii , subin per aliquot Articleos eorum vim expendo.

exterior surfaces typical, dark brownish reddish brown to brownish yellowish, *Heterodon* is a little congeneric, dis-

DICTA ADVERSARII
Pseudo-Evangelium

DE NATIVITATE
B. VIRGINIS MARIAE.
PRÆFATIO.

17 „ **U**t pateat, quid Scriptores Catholici
„ de Pseudo-Evangelio sentiant, præ-
„ mitto quorundam testimonia. In ipso autem Pseu-
„ do-Evangelio apposui numeros marginales cum aste-
„ riscis, per quos indicantur textus paralleli Revela-
„ tionum Agredanarum inferius N. 3. subjiciendi.

SIXTUS SENENSIS. BIBLIOTHECÆ
Sanctæ lib. 2. p. 107.

Matthæus Evangeliſta ſtingitur eſſe Author
duorum librorum, quorum alter de ortu,
ſive ſirpe Mariæ, alter de infantia Salvatoris inscri-
bitur, qui Valentianorum, & Gnosticorum com-
menta ſunt. His libris inepti quidam authoritatem
afferere cupientes, præfationes addiderunt ſub no-
mine Chromatii, & Heliodori Epifcoporum ad Hie-
ronymum, & Hieronymi ad ipſos confeſtas, quæ
utrumque opus teſtarentur, ab Hieronymo in gra-
tiani eorumdem Epifcoporum ex Hebraico Matthæi
volumine traſlatum, & ab hæreticorum falſationi-
bus expurgatum. Sed cum in his libris eadem nunc
extant aniles fabulæ, quas Irenæus in primo ad-

„ ver-

„ versus Valentianorum hæreses , & Epiphanius pri-
 „ mo Panarilii , Sectione tertia ex ijsdem voluminibus
 „ refellunt , palam apparet impostorum deceptio . Hæc
 „ Sixti Senensis ad verbum , ut solet , repetit Anto-
 „ nius Possevinus in Apparatu Sacro , voce Matthæus.
 „ T.2. p.87.

MELCHIOR CANUS LIB.II. LOC.THEOL.

cap. 6. p. 536.

HUJUS generis fabula etiam illa est insulsa æquè,
 „ ac barbara de Nativitate Sanctæ Mariæ ad
 „ Chromatiūn , & Heliodorū Episcopos . Hujus ge-
 „ neris sunt alia multa , quæ & rectissimè , & diligen-
 „ tissimè Erasmus refutavit .

CÆSAR BARONIUS APPARATU AD
Annales Ecclesiasticos, num.44.

NEC innitimus scriptiōni illi , quæ haecenus
 „ Hieronymi nomine ad Chromatium , & He-
 „ liodorum scripta vulgata est . Nam licet in ea com-
 „ plura veritate constantia reperiantur , quæ à dictis
 „ Authoribus (Epiphanio , Nissenio , &c.) sibi vendi-
 „ cent authoritatem , & fidem : tamen non tantum
 „ eam Hieronymi non esse diximus , sed Authoris
 „ planè ignoti , sic prorsus imperiti , qui in ea con-
 „ denda , & conscribenda non novit aperta vitare
 „ mendacia , dum ait , illis temporibus , quibus ea
 „ acciderunt , fuisse Iaschar Summum Pontificem , &c.
 „ Vide & ad annum Christi 44. num.44.

DIONYSIUS PETAVIUS LIB. 14
de Incarnatione cap. 7. num. 3.

Sanè opinio illa de viduitate Josephi , & liberis:
„ Sab eo susceptis ex apocrypha illa historia mana-
„ vit, quæ de Natali B. Mariæ ac reliqua ejus vita
„ perscripta est in Prot Evangelio Iacobi , & in stra-
„ mentitia quadam epistola , quæ inter rejicula Hiero-
„ nymi legitur ex Hebræo Matthæi , ut planus ille
„ mentitur. Vide eundem lib. 19. cap. 3. num. 12.

EVANGELIUM DE NATIVITATE
Mariæ.

18 „ I. **B**eatæ , & Gloriosa semper Virgo Maria de
„ stirpe Regia , & familia David oriunda, in
„ Civitate Nazareth nata , Hierosolymis in Templo
„ Domini nutrita fuit. Pater ejus Joachim , mater
„ verò Anna dicebatur. Domus paterna ex Galilæa , &
„ Civitate Nazareth. Maternum autem genus ex Beth-
„ lehem erat. Vita eorum simplex , & recta apud Do-
„ minum , apud homines irreprehensibilis erat , & pia.
„ Nam omnem substantiam suam trifariam diviserunt:
„ unam partem Templo , & Templi servitoribus im-
„ pendebant : aliam peregrinis , & pauperibus eroga-
„ bant : tertiam suæ familiae usibus , & sibi reserva-
„ bant. Ita isti Deo chari , hominibus pii , per annos
„ circiter viginti , castum domi conjugium sine libe-
„ torum procreatione exercebant. Voverunt tamen,
„ si forte Deus donaret eis sobolem , eam se Domini
„ servitio mancipatueros , cuius rei gratiâ , & Tem-
„ plum Domini singulis per annum festis frequentare
„ solebant.

19 „ II. Factum est autem , ut Encæniorum festi-
 „ vitas appropinquaret , unde cum nonnullis contri-
 „ bulibus suis Hierosolymam , & Joachim ascendit.
 „ Ea verò tempestate Isachar ibi Pontifex erat. Cùm-
 „ que inter cæteros concives suos etiam Joachim cum
 „ oblatione sua videret , despexit eum , & munera ejus
 „ sprevit , interrogans , cur inter fœcundos infœcun-
 „ dus ipse stare præsumeret. Dicens munera nequa-
 „ quam Deo digna posse videri , quem ipse prole in-
 „ dignum judicâisset , Scriptura dicente , *maledictum*
 „ *omnem esse , qui non genuisset masculum in Israel*. Di-
 „ cebat ergo , prius eum ab hac maledictione sobolis
 „ generatione solvendum , & sic demum in conspectu
 „ Domini cum oblationibus esse venturum. Cujus
 „ opprobrii objectu pudore magno suffusus Joachim
 „ ad Pastores , qui cum pecudibus erant , in pascuis
 „ suis secessit. Neque enim domum repetere voluit,
 „ ne fortè à contribulibus suis , qui simul aderant , &
 „ hoc à Sacerdote audierant , eodem opprobrii elogio
 „ notaretur.

20 „ III. Verùm cum ibi aliquamdiu esset , qua-
 „ dam die cùm esset solus , Angelus Domini ei cum
 „ immenso lumine astitit. Qui cum ad ejus visionem
 „ turbaretur , Angelus , qui ei apparuerat , timorem
 „ ejus compescuit dicens : noli timere Joachim , ne-
 „ que in visione mea turberis , ego enim sum Ange-
 „ lis Domini , missus ab ipso ad te , ut annuntiem tibi,
 „ preces tuas esse exauditas , & eleemosynas tuas af-
 „ cendisse in conspectu ejus. Videns quippe vidit pu-
 „ dorem tuum , & audivit sterilitatis opprobrium nec
 „ rectè tibi objectum. Peccati namque , non naturæ
 „ ultor est Deus , & ideo cùm alicujus uterum clau-
 „ dit , ad hoc facit , ut mirabilius denuo aperiat , &
 „ non libidinis esse , quod nascitur , sed Divini muneris

„ cognoscatur. Prima enim Gentis vestræ Sara mater,
 „ nonne usque ad octogesimum annum infœcunda
 „ fuit, & tamen in ultima senectutis ætate genuit Isaac,
 „ cui promissæ erat benedictio omnium gentium? Ra-
 „ chel quoque tantum Domino grata, tantumque à
 „ Sancto Jacob adamata diu sterilis fuit, & tamen Jo-
 „ seph genuit, non solùm Dominum Ægypti, sed
 „ plurimarum gentium fame periturarum liberatorem.
 „ Quis in Dicibus, vel fortior Samsone, vel sanctior
 „ Samuele? Et tamen hi ambo steriles matres habu-
 „ re, si ergo ratio verbis meis non persuadet, crede
 „ re, dilatos diu conceptus, & steriles partus mirabi-
 „ liores esse solere. Proinde Anna pariet tibi filiam,
 „ & vocabis nomen ejus Mariam, hæc erit, ut vovis-
 „ tis, ab infantia sua Deo consecrata, & Spiritu Sanc-
 „ tò replebitur adhuc ex utero matris. Omne immun-
 „ dum neque manducabit, neque bibet, neque inter-
 „ populares forinsecus turbas, sed in Templo Domi-
 „ ni conversatio ejus erit, ne quid de ea sinistrum,
 „ vel suspicari possit, vel dici. Itaque ætate proce-
 „ dente, sicut ipsa mirabiliter ex sterili nascetur, ita
 „ incomparabiliter Virgo generabit Altissimi Filium,
 „ qui Jesus vocabitur, secundum nominis Etymolo-
 „ giam Salvator omnium gentium erit. Et hoc tibi
 „ eorum, quæ annuntio, signum erit: cùm veneris ad
 „ auream Hierosolymis portam, habebis ibi obviam
 „ Annam uxorem tuam, quæ de tuæ regressionis tar-
 „ datione modò sollicita, tunc in aspectu tuo gaude-
 „ bit. His dictis Angelus discessit ab eo.

21 „ IV. Deinde apparuit Annæ uxori ejus di-
 „ cens: ne timeas Anna, neque phantasma esse pu-
 „ tes, quod vides; ego enim sum Angelus ille, qui
 „ preces, & eleemosynas vestras obtuli in conspectu
 „ Dei, & nunc missus sum ad vos, ut annuntiem

„ vobis nascituram filiam , quæ Maria vocata super
 „ omnes mulieres erit benedicta. Hæc à Nativitate
 „ sua statim , Domini gratia plena , tribus ablactatio-
 „ nis suæ annis in domo paterna permanebit , posteà
 „ servitio Domini mancipata , à Templo usque ad in-
 „ telligibiles annos non discedet ; ibi denique jejuniis ,
 „ & orationibus nocte , ac die Deo serviens ab omni
 „ immundo se abstinebit ; virum nunquam cognos-
 „ cet , sed sola sine exemplo , sine macula , sine cor-
 „ ruptione , sine virili commixtione Virgo Filium ,
 „ ancilla Dominum , & gratia , & nomine , & opere
 „ Salvatorem mundi generabit. Itaque surge , & af-
 „ cende Hierusalem , & cùm perveneris ad portam ,
 „ quæ aurea pro eo , quod deaurata est , vocatur , ibi
 „ pro signo virum tuum , pro cuius incoluntatis sta-
 „ tu sollicita es , obvium habebis. Cùm hæc igitur eve-
 „ nerint ita , scito , quòd quæ annuntio , sine dubio
 „ complenda erunt.

22 „ V. Igitur juxta Angeli Præceptum uterque
 „ de loco , in quo erant , promoventes , ascendunt
 „ Hierusalem , & cùm ad locum pervenissent Angelii-
 „ cō vaticinio destinatum , ibi sibi invicem obviave-
 „ runt. Tunc de mutua sua visione lati , & promissæ
 „ prolii certitudine securi debitas Domino humilium
 „ exaltatori gratias egerunt. Itaque adorato Domino
 „ domum regressi Divinum promissum certi , & hilas
 „ res exspectabant. Concepit ergo Anna , & peperit
 „ filiam , & juxta mandatum Angelicum vocabant no-
 „ men ejus Mariam.

23 „ VI. Cùmque trium annorum circulus vol-
 „ veretur , & ablactationis tempus completum esset ,
 „ ad Templum Domini Virginem cum oblationibus
 „ adduxerunt. Erant autem circa Templum , juxta
 „ quindecim graduum psalmos , quindecim ascensionis

„ gradus. Nam quia Templum erat in monte consti-
 „ tutum, Altare holocausti, quod forinsecus erat,
 „ adiri nisi gradibus non valebat. In horum itaque
 „ uno Beataam Virginem Mariam parvulam parentes
 „ constituerunt, cumque ipsi vestimenta, quae in iti-
 „ nere habuerant, exuerent, & cultioribus ex more
 „ vestibus se, & mundioribus induerent, Virgo Do-
 „ mini cunctos singillatim gradus sine ducentis, & le-
 „ vantis manu ita ascendit, ut perfectæ ætati in hac
 „ diu taxat infanthia magnum quid operabatur, &
 „ quanta futura eset, hujus miraculi indicio præ-
 „ monstrabat. Igitur, sacrificio secundum consuetudi-
 „ nem legis celebrato, & voto suo perfecto, Virginem
 „ intra Templi septa cum aliis virginibus educandam
 „ dimiserunt, ipsi verò domum regressi sunt.

24 „ VII. Virgo autem Domini cum ætatis pro-
 „ cessu, & virtutibus proficiebat, & juxta Psalmistam;
 „ Pater, & mater dereliquerunt me, Dominus autem af-
 „ sumpsit me. Quotidiè namque ab Angelis frequen-
 „ tatur, quotidiè Divina visione fruebatur, quæ eam
 „ à malis omnibus custodiebat, & bonis omnibus
 „ redundare faciebat. Itaque ad quartum decimum
 „ annum usque pervenit, ut non solum nihil de ea
 „ mali reprehensione dignum configere possent, sed
 „ & boni omnes, qui eam noverant, vitam, & con-
 „ versationem ejus admiratione dignam judicarent.
 „ Tunc Pontifex publicè denuntiabat, ut Virgines,
 „ quæ in Templo publicè constituebantur, & hoc æta-
 „ tis tempus explessent, domum reverterentur, &
 „ nuptiis, secundum morem gentis, & ætatis maturi-
 „ tatem, operam darent. Cui mandato cum cæteræ
 „ pronæ partiissent, sola Virgo Domini Maria hoc
 „ se facere non posse respondit, dicens, se quidem,
 „ & parentes suos Domini servitio mancipasse, &

„ insuper seipsum Domino virginitatem vovisse, quam
 „ nunquam viro aliquo commixtionis more cognito
 „ violare vellet. Pontifex vero in angustia constitu-
 „ tus animi, cùm neque contra Scripturam, quæ di-
 „ cit: *Vovete & reddite*, votum infringendum puta-
 „ ret, neque morem genti insuetum introducere
 „ auderet, præcepit, ut ad festivitatem, quæ immi-
 „ nebat, omnes ex Jerosolymis, & vicinis locis pri-
 „ mores adessent, quorum consilio scire posset, quid
 „ de tam dubia re faciendum esset, quod cùm fie-
 „ ret, omnibus in commune placuit, Dominum su-
 „ per hac re esse consulendum, & cunctis quidem
 „ orationi incumbentibus, Pontifex ad consulendum
 „ Deum ex more accesit. Nec mora cunctis audienc-
 „ tibus de oraculo, & de Propitiatorii loco vox facta
 „ est secundum Isaiæ vaticinium, requirendum esse,
 „ cui Virgo illa commendari, & despontari deberets
 „ liquet enim, Isaiam dicere, *egredietur Virga de ra-*
 „ *dice* *fesse*, & *flos de radice ejus ascendet*, & *requies-*
 „ *cet super eum Spiritus Domini*, *Spiritus sapientiae*, &
 „ *intellectus*, *Spiritus consilii*, & *fortitudinis*, *Spiritus*
 „ *scientie*, & *pietatis*, & *replevit eum Spiritus timoris*
 „ *Domini*. Secundum hanc ergo Prophetiam cunctos
 „ de domo, & familia David nuptui habiles non con-
 „ jugatos, virgas suas allatueros ad altare prædixit, &
 „ cuiuscumque post allationem virgula florem ger-
 „ minasset, & in cuius cacumine Spiritus Domini
 „ consedisset, ipsum esse, cui Virgo commendari, &
 „ despontari deberet.

25 „ VIII. Erat autem inter cæteros Joseph homo
 „ de domo, & familia David grandævus, cunctis ve-
 „ rò virgas suas juxta ordinem deferentibus, solus ip-
 „ se suam subtraxit, unde cùm nihil Divinæ voci
 „ consonum apparuisset, Pontifex iteratò Deum con-
 „ su-

„ fulendum putavit , qui respondit , solum illum ex
 „ his , qui designati erant , virginam suam non attulif-
 „ se , qui Virginem despōnsare deberet. Proditus ita-
 „ que est Joseph , cūm enim virginam suam attulisset,
 „ & in cacumine ejus columba de Cœlo veniens con-
 „ sedisset , liquidò omnibus patuit , ei Virginem des-
 „ ponsandam esse : igitur nuptiarum jure de more ce-
 „ lebrato , ipse quidem in Bethlehem recedit Civita-
 „ tem , domum suam dispositurus , & nuptui necessa-
 „ ria procuraturus. Virgo autem Domini cum aliis
 „ septem virginibus , & collactanciis , quas à Sacer-
 „ dote acceperat , ad domum Parentum suorum re-
 „ versa est.

26 „ IX. His igitur diebus , scilicet adventus
 „ sui in Galilæam tempore , missus est ad eam Gabriel
 „ Angelus à Deo , qui ei conceptum Dominicum nar-
 „ raret , & conceptionis , vel modum , vel ordinem
 „ exponeret , denique ingressus ad eam , cubiculum
 „ quidem , ubi manebat , ingenti lumine perfudit ,
 „ ipse verò gratantissimè salutans , dixit : Ave Maria
 „ Virgo Dei gratissima , Virgo gratia plena , Domi-
 „ nus tecum , benedicta tu in mulieribus præ omni-
 „ bus haētenuis natis hominibus. Virgo autem , quæ
 „ jam Angelicos benè noverat vultus , & lumen cœ-
 „ leste insuetum non habebat , neque angelica vi-
 „ sione territa , neque luminis magnitudine stupe-
 „ facta , sed in solo ejus sermone turbata est , &
 „ cogitare coepit , qualis ista salutatio tam insolita
 „ esse posset , quidve portenderet , vel quem finem
 „ esset habitura. Huic cogitationi Angelus divinitus
 „ inspiratus occurrens : ne timeas , inquit , Maria ,
 „ quasi aliquid contrarium tuæ castitati hac saluta-
 „ tione prætexam. Invenisti enim gratiam apud Do-
 „ minum , quia castitatem elegisti , idèoque Virgo

„ sine peccato concipies, & paries filium. Hic erit
 „ magnus, quia dominabitur à mari usque ad ma-
 „ re, & à flumine usque ad terminos terræ, & Fi-
 „ lius Altissimi vocabitur. Quia, qui in terris nasci-
 „ tur humilis, in Cœlo regnat sublimis ; & dabit
 „ illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, &
 „ regnabit in domo Jacob in æternum, & Regni
 „ ejus non erit finis. Ipse quippè Rex Regum, & Do-
 „ minus dominantium est, & Thronus ejus in sa-
 „ cultum sœculi. His Angeli verbis Virgo non incre-
 „ dula, sed modum scire volens respondit : Quomo-
 „ dò istud fieri potest ? nam, cùm ipsa virum juxta
 „ votum meum nunquam agnosco, quomodo sine
 „ virilis semenis incremento parere possum ? Ad hoc
 „ Angelus, ne existimes, inquit, Maria, quod hu-
 „ mano more concipias, nam sine virili commixtio-
 „ ne Virgo concipies, Virgo paries, Virgo nutries,
 „ Spiritus enim Sanctus superveniet in te, & virtus
 „ Altissimi obumbrabit tibi contra omnes ardores
 „ libidinis, ideòque quod nasceretur ex te, solum erit
 „ sanctum, quia solum sine peccato conceptum, &
 „ natum vocabitur Filius Dei. Tunc Maria manibus
 „ expansis, & oculis ad Cœlum levatis dixit : Ecce
 „ Ancilla Domini (neque enim Dominæ nomine dig-
 „ na sum) fiat mihi secundum verbum tuum. C.
 „ Longum fortè, & quibusdam tedium erit, si cuncta
 „ opusculo inserere voluerimus, quæ Nativitatem Domi-
 „ nicam, vel præcessisse, vel subsecuta fuisse legimus,
 „ unde his omissis, quæ in Evangelio plenius scripta sunt,
 „ ad ea, quæ minus habentur, narranda accedimus.

27 „ X. Joseph igitur à Galilæa in Iudeam ve-
 „ niens desponsatam sibi Virginem uxorem ducere
 „ intendebat, jam enim tres fluxerant menses, &
 „ quartus instabat ex eo tempore, quo sibi despon-

sata fuerat ; interea paulatim utero puerperæ in-
 tumescere puerperam se manifestare coepit , neque
 hoc latere potuit Joseph. Nam sponsi more libe-
 riis ad Virginem introiens , & familiarius cum ea
 loquens gravidam esse deprehendit. Aestuare itaque
 animo , & fluctuare coepit , quia ignorabat , quid
 sibi potissimum esset faciendum , neque enim eam
 traducere voluit , quia justus erat , neque fornicati-
 onis suspicione infamare , quia pius. Itaque co-
 gitabat clam dissolvere conjugium , & occultè di-
 mittere eam. Hæc autem eo cogitante , ecce An-
 gelus Domini ei apparuit in somnis dicens : Joseph
 fili David , noli timere , hoc est , ne velis fornicati-
 onis suspicionem in Virginem habere , vel ali-
 quid sinistrum cogitare , neque timeas eam in-
 uxorem ducere , quod enim de ea natum est , &
 nunc animum tuum angit , non hominis , sed Spi-
 ritus Sancti opus est. Pariet enim omnium Virgo
 sola Dei Filium , & vocabis nomen ejus Jesum , id
 est , Salvatorem , ipse enim salvum faciet popu-
 lum suum à peccatis corum. Igitur Joseph secun-
 dum Angeli præceptum Virginem uxore duxit ,
 nec tamen cognovit eam , sed castè procurans cus-
 todivit. Jamque nonus à Conceptione instabat
 mensis , cùm Joseph , uxore cùm aliis , quæ neces-
 faria erant , asumpta , Bethleem Civitatem , unde
 ipse erat , tendit ; factum est autem , cùm essent ibi ,
 impleti sunt dies , ut pareret , & peperit Filium
 suum primogenitum , sicut Ss. Evangelistæ docue-
 runt , Dominum nostrum Jesum Christum , qui
 cum Patre , & Spiritu Sancto vivit , & regnat
 in sæcula sæculorum.

III. PARALLELUM

*HUJUS PSEUDO-EVANGELII
cum Revelationibus Agredanis.*

28 „ **Q**UI attente legerit præfatum Pseudo-
„ Evangelium, & sequentia excerpta
„ Revelationum Agredanarum, facile
„ advertere earum similitudinem. Itaque V. Maria de
„ Agreda Part. 1. lib. 1. sic scribit:

„ I. 163. 164. ante adventum Christi impietas,
„ quolibet mortaliū pro phantasia sua Deos sibi
„ efformante, jam supremum gradum tenuit, ut
„ Deus habuisset jus destruendi mundum, & creata
„ omnia in pristinum chaos; ac nihilum rejiciendis;
„ hinc tempus congruentissimum ostendendi miseri-
„ cordiam.

„ II. 165. Christus præmisit duo lumina, Joa-
„ chim, & Annam. Joachim habebat suam habita-
„ tionem, & cognitionem in Nazareth Galilææ.

„ III. 166. 167. Anna nata in Bethleem no-
„ titiam confusam Scripturarum, Mysteriorumque,
„ ac Sacramentorum ibi reconditorum obtinuerat, in
„ virtutibus jam infusis, Fide, Spe, ac Charitate pa-
„ rem non habebat. Supplicabat continuò pro ad-
„ ventu Messiæ, & non est dubium, ejus preces pro
„ adventu Messiæ accelerando plurimum valuisse. Ea-
„ dein postulabat à Domino sibi dari conjugem pium.
„ Itaque missus est ad Annam Angelus Gabriel in vi-
„ sione corporali eam consolans, eo quod paritura
„ esset Matrem Dei, hoc tamen non manifestavit
„ (quod & ceteri Angeli tunc non cognoverunt,
„ cum ea revelatio, seu illustratio Gabrieli immedia-

„ tè à Deo facta esset) sed præcisè cam adhortabatur,
 „ ut esset constans in oratione, Deum enim illi pro-
 „ pecturum.

„ 168. Apparuit Gabriel etiam Joachimo, sed in
 „ somno, non corporaliter: Joachim advertit ad se
 „ dirigi hæc verba: *Sis benedictus &c. sume Annam in*
 „ *conjugem, curam illius habe, eam honora, ut pignus à*
 „ *Deo tibi concreditum, & gratias age, quod ea divinitus*
 „ *tibi obtigerit.* Paruit statim voci, & habitavit cum
 „ illa in Nazareth, per aliquot tamen annos non ma-
 „ nifestaverant sibi invicem Mysterium, quod illis
 „ contigerat. Cæterum rerum domesticarum adminis-
 „ trationem sic ordinabant. Redditi omnes in tres
 „ partes annuatim distribuebant, unam offerebant ad
 „ Hierosolymitanum Templum pro cultu Divino. Se-
 „ cundam largiebantur pauperibus, tertiam se fami-
 „ liamque decenter alebant, & quia sic liberales erant
 „ in distribuendo, augebantur bona illorum.

„ IV. 171. Viginti annis Sancti conjuges erant in-
 „ fœundi, ob quod valde erant contempti apud vi-
 „ cinos, & cognatos, cum liberis carentes velut ex-
 „ tranei haberentur, quibus in adventu Messiae ex-
 „ spectati pars nulla futura esset: itaque votum emi-
 „ serunt, quod prolem essent Deo oblaturi in Tem-
 „ plo, si quam Deus ipsis concederet.

„ V. 173. Postquam anno integro ab accepto Di-
 „ vino ardentes hasce preces fundendi mandato, in
 „ ijsdem pro impetranda prole persisterunt. Joachim
 „ profectus est Jerosolymam, ut pro ea gratia impe-
 „ tranda in Templo offerret Deo, sed dum inter po-
 „ pulares suos præsente Summo Sacerdote vellet offer-
 „ re, alius quidam inferior Sacerdos, Isachar nomine,
 „ verbis durissimis exceptit Venerabilem senem, quod
 „ aliis sacrificaturis sese immisceret, cum infecundus
 „ esset,

„ esset , dicens : Quomodo tu audes offerre Deo , homo
 „ inutilis , & infæcundus Appage , & cave , tuis sacri-
 „ ficiis indignetur Deus , utpote non acceptis coram ejus Di-
 „ vinis oculis . Joachim totus confusus se convertit ad
 „ Deum , dicens : tuo imperio accessi , sed is , qui
 „ tuas vices agit , me repellit , tunc recessit à Templo
 „ in suam villam , ubi hanc orationem Deo obtulit.
 „ Aeterne Deus &c.

„ VI. 175. Intereà Angelus revelavit Annæ pla-
 „ citum Deo , si ab eo prolem peteret , itaque sic ora-
 „ vit : Altissime Deus recordare , famulam tuam An-
 „ nam Matrem Samuelis sterilem à liberali misericor-
 „ dia tua sumimam votorum suorum consecutam.

„ VII. 177. Tunc voluntas Divina S. Angelis ma-
 „ nifestata fuit , tribus Sacratissimis Personis (nostro
 „ concipiendi modo) ita ad eos locutis : Statuimus in-
 „ carnare Verbum , & in eo redimere genus humanum &c.
 „ Joachim , & Anna invenient coram nobis gratiam.....
 „ Angelus Gabriel legatus noster hæc lata ipsis nuntiet
 „ &c.

„ VIII. 178. Postquam ea voluntas Dei manifes-
 „ tata fuit Angelis , exivit vox de Throno Dei dicens:
 „ Gabriel perge ad Joachim , & Annam , & nuntia , An-
 „ nam concepturam esse Filiam , cui imponemus nomen
 „ Mariam.

„ IX. 179. Tunc Gabriel statim descendit ad Joa-
 „ chim , quem reperit orantem , dixit autem ad illum:
 „ Anna pariet Filiam , quæ erit benedicta inter mulie-
 „ res , & illam Beatam dicent omnes generationes:
 „ ille , qui potens est , mittit me ad te , quia opera , &
 „ eleemosynæ tuæ placuerunt illi , Dominus ipsemet
 „ posuit nomen illius Maria. Ab infantia offeratur in
 „ Templo Deo , sicut promisisti ; hæc Filia erit mag-
 „ na , & electa , & repleta Spiritu S. — Ascende in

„ Templum , & in signum eorum , quæ nuntiavi , re-
 „ peries ad Portam Auream conjugem tuam , ex hac
 „ ipsa causa properantem in Templum .

„ X. 180. Totum hoc nuntiatum fuit Joachimo
 „ in somno , qui ipsi fuit immisus in longa sua ora-
 „ tione .

„ XI. 181. Eodem tempore orabat Anna Deum
 „ pro accelerando adventu Messiæ , sicque orabat :
 „ Summe Rex &c.

„ XII. 182. Omnia autem hæc conferebat Anna
 „ cum Angelo suo Custode , qui ei sæpius , & tunc
 „ clarius solito apparuerat , & erat occupata in medi-
 „ tatione de futura Matre Messiæ .

„ XIII. 183. Tunc intravit ad eam Gabriel Ange-
 „ lis Sole splendidior , & dicebat : Anna Ancilla Al-
 „ tissimi , Deus exaudivit preces tuas , perge sic orare
 „ pro salute humani generis , — Moyses per preces ob-
 „ tinuit victoriam suo populo . Esther per preces aver-
 „ tit internectionem suæ gentis . Judith confortabatur
 „ per preces ad tanta opera . David superabat Go-
 „ liath , quia invocavit Dominum . Elias per oratio-
 „ nem detraxit ignem è Cœlo , & clausit Cœlum , &
 „ aperuit . Humilitas , fides , & eleemosyna Joachimi ,
 „ tuæque venerunt ad Thronum Dei , — Deus te elegit
 „ in Matrem illius , quæ paritura est Unigenitum Pa-
 „ tris . Paries Filiam , quæ Divina ordinatione habebit
 „ nomen Maria ; erit benedicta inter mulieres , & re-
 „ pleta Spiritu S. Erit nubes , unde depluet ros Cœ-
 „ li ; erit porta vitæ , & salus filiorum Adam . Joa-
 „ chimo quidem nuntiavi , quòd habiturus esset Fi-
 „ liam beatam ac benedictam ; sed Dominus ipsi abs-
 „ condit hoc Mysterium , quòd esset futura Mater
 „ Messiæ . Itaque hoc Mysterium serues in corde tuo .
 „ Nunc citò eas in Templum ; ad Portam Auream

„ occurret tibi Joachim , cum quo de hac re conferas,
 „ Te vero , benedicta à Domino , visitabit , præcipuis-
 „ que favoribus ditabit Omnipotens , in solitudine ad
 „ cor tuum locuturus , legemque gratiæ auspicaturus,
 „ intra viscera creando illam , quæ Deum immorta-
 „ lem mortali carne vestiet , ac formâ humanâ cin-
 „ get , in hac humanitate Verbo unita suo ipsius san-
 „ guine vera misericordiæ lex describetur.

„ XIV. 740. 741. 742. Deus in visione abstrac-
 „ tiva apparet B. Virgini , eique præcipit , ut delige-
 „ ret sibi statum conjugalem , Sponsumque reciperet,
 „ custodem ac socium futurum. B. Virgo respondet
 „ Deo : Deus æterne , Tu fecisti Cœlum , & Terram,
 „ Tu Domine , qui fecisti ventis pondus , disponere
 „ cum vili isthoc vermiculo pro libitu tuo potes , quin
 „ ego deficiam ab eo , quod Tibi promisi ; tunc Deus
 „ illi dixit , non turbetur cor tuum Maria , submissio-
 „ nem tuam grataanter accipio , præpotens brachium
 „ meum legibus nullis subest , meum erit curare,
 „ quod maximè Tibi convenerit. Postquam B. Virgo
 „ à visione illa ad statum suum consuetum remeavit,
 „ inter suspicionem ac spem , hinc à promisso , inde
 „ à præcepto Divino causatam semper anxia , appa-
 „ ruit Deus in somno Summo Sacerdoti Simeoni præ-
 „ cipiens , ut Mariam jungat matrimonio. Respondit
 „ Sacerdos , precatus Deum , ut voluntatem suam de-
 „ clararet circa Virum Mariæ. Deus vero reposuit,
 „ cogendum esse de hac re Concilium Sacerdotum,
 „ ut jungatur ei , quem hoc conjugiō dignissimum
 „ judicassent , cùm usus haberet , ne digrederentur
 „ Templō primogenitæ , quin maritis jungerentur.

„ XV. 743. 744. Itaque Simeon congregat Con-
 „ cilium Sacerdotum , eique proponit , Mariam , cu-
 „ jus hæreditas esset pinguis , tradendam esse conju-

„ gio , Sacerdotes interno lumine ducti respondent,
 „ petendum esse à Deo signum , quo manifestaret, cui
 „ tradenda esset. In hunc finem jubet constituto die
 „ in Templo comparere omnes masculos vinculo
 „ conjugali liberos , ac solutos ex stemmate David.
 „ Dies constitutus idem erat, quo B. Virgo comple-
 „ verat annum aetatis decimum quartum , aperuit ta-
 „ men illi prius Sacerdos , quid tractaretur.

„ XVI. 745. 746. Respondit B. Virgo Simeoni:
 „ Ego Domine , quantum ex mea voluntate est , perpe-
 „ tuam servare castitatem optavi , Tu vero Domine ,
 „ qui vices Dei geris , indicabis mihi , quid ex ejus
 „ sancta voluntate futurum sit. Respondit ei Sacerdos:
 „ Filia mea , sancta tua desideria Deus acceptabit. Hoc
 „ contigit novem diebus ante desponsationem , intra
 „ hoc novemdium illi apparuit Deus dicens : Sponsa ac
 „ Columba mea , dilata afflictissimum cor tuum , ego Spon-
 „ sum tibi mea manu designabo &c. 747. Cui B. Virgo
 „ reposuit : Bonum ac amor animæ meæ , optimè Tibi pa-
 „ tent abdita pectoris mei , & desideria &c. 748. Allo-
 „ cuta etiam de hac re Angelos suos , quibus sanctita-
 „ te , & puritate superior erat , qui ipsi responderunt
 „ dicentes : Sponsa Altissimi , nosci Deum omnipotentem
 „ esse , ac veracem , compone Domina cor tuum.

„ XVII. 752. Constituto die , quo B. Virgo
 „ compleverat annum aetatis decimum quartum , con-
 „ veniunt omnes soluti ex Tribu Juda de stemmate
 „ David , inter quos , & Joseph incola Urbis Naza-
 „ reth. Habebat tunc annum aetatis trigesimum ter-
 „ tium , & jam anno duodecimo suæ aetatis deposie-
 „ rat votum castitatis. Erat etiam B. Virginis in tertio
 „ gradu cognatus.

„ XVIII. Postquam omnes convenerant , Sum-
 „ mus Sacerdos ex instinctu Divino omnibus tradit
 „ vir-

„ virgam aridam , omnes cupiunt potiri Sponsā , &
 „ ejus præclaras dotes , & substantiam bonorum hæ-
 „ reditariorum . Solus S. Joseph se æstimat indig-
 „ num !

„ XIX. 753. Nihilominus sola virga Josephi visa
 „ est florere , cuius supra caput etiam sedit è Cœlo
 „ descendens Columba candidissima . Deus quoque
 „ intus loquebatur dicens : *Josephe famule meus , Ma-*
ria Sponsa tua erit , eam cum attentione ac reverentia
suscipe. Fit ergo in continentis desponsatio .

„ XX. 755. Tunc Beata Virgo , cùm vale Sacer-
 „ dotibus dixisset , eosque ac Magistram rogâset , ut
 „ bene sibi precarentur , deducitur cum Josepho , qui
 „ aliquamdiu Jerosolymis se detinuerat , à quibusdam
 „ famulis Templi in Nazareth , ubi statim domum pa-
 „ ternam possedit . 756.

„ XXI. 758. Beata Virgo ad Sanctum Josephum
 „ dixit : *Gaudeo Domine mihi , quod te mihi Dominum , Spon-*
sumque Deus assignare fuerit dignatus ; cui hic respon-
 „ dit : *Loquere Domina mea , quia audit Servus tuus.*
 „ Tunc adfuerunt in visibili forma omnes mille An-
 „ geli Custodes , ut petiit , quia B. Virgo haetenus
 „ nunquam sola locuta est cum viro aliquo , nisi
 „ quando hoc per repentinum occursum contigit cum
 „ Summo Sacerdote .

„ XXII. 761. Tunc Beata Virgo , & S. Josephus
 „ distribuerunt hæreditatem relictam à S. Joachimo ,
 „ & Sancta Anna . Unam partem dederunt Templo ,
 „ alteram pauperibus , tertia pro administratione cre-
 „ dita fuit S. Joseph . B. Virgo curabat unicè , ut ser-
 „ viret S. Josepho , & ut laboraret in domo , à nego-
 „ tiis externis emptionis , aut venditionis prorsus abs-
 „ tinuit .

F I N I S.

„ Poteram hoc loco alterum addere Parallelum
 „ inter Pseudo-Evangelium de infantia Jesu, & Reve-
 „ lationes Agredanas, præsertim circa miracula patra-
 „ ta in Ægypto. Sed primum sufficit ad cautè biben-
 „ dos fontes. „

Hactenus Crisis Amortiana, quæ tamen novi ni-
 hil, quod anteà non fuisset solutum, affert, ut statim
 clarebit. Quam ob rem sit

ARTICULUS I.

TESTIMONIA AB ADVERSARIO
allata solvuntur aliis Testimoniiis.

79 **Q**UAM immerito inter Libros Apocry-
 phos à Gelasio rejectos, ac Pseudo-
 Evangelia proscripta, Liber de Nativi-
 tate, vel ortu Mariæ referatur, etiam non obstanti-
 bus testimoniiis à Critico adductis, sequentes crises,
 quas ex RR. PP. Christophoro de Castro, ac Spinello
 desumo, docebunt. Dixi Librum, non Pseudo-Evange-
 lium de Nativitate Mariæ. Libelli enim, vel Libri no-
 mine venit in operibus S. Hieronymi, inter quæ est
 repositus, & apud alios Doctissimos Scriptores. Unde
 nomen Pseudo-Evangelii ei ab Amortio tribuitur, ut
 sub hoc illum, & cum illo Revelationes Agredanas
 scolorum risui, & calumniis possit exponere. Sed
 percipiamus

TESTIMONIUM CHRISTOPHORI
de Castro.

30 **Q**uod in Historia Deiparæ ad Calcem,
seu in Cathalogo Auctorum v. Hiero-
nymus ita se habet: „Hieronymo tri-
buunt multi, ut Anselmus lib. de Excellentia Beatæ
Mariæ, cap. 2. Tritemius lib. de Scriptor. Eccles.
& qui Sacrum Sanctæ Annæ officium composuere;
denique vulgus universum, librum illum, qui, sub
nomine Epistolæ ad Heliodorum, & Chromatium
Episcopos scriptæ, in Tomum quartum operum illius
olim, nunc in Tomum nonum continetur, de or-
tu, seu de Nativitate Mariæ, quem vindicare operæ
premium est, à quocumque tandem confectus sit, à
morsibus eorum, qui ejus authoritatem elevare
contendunt. Insurgit Canus libro undecimo de Lo-
cis cap. 6. fabulam vocans infalsam æque, ac bar-
baram. Senensis lib. 2. Bibliothecæ in Matthæo, com-
menta dicit esse Valentinorum, & Gnosticorum, &
aniles illas fabulas, quas Irenæus, & Epiphanius
contra illos hæreticos differentes, ex ipso volumine
refellunt; & Gelasius Pontifex in celebri illo Decre-
to, *Sancta Romana*, hac nota hunc librum inurit:
Liber de Nativitate Salvatoris, & de S. Maria, &
obstetricie Salvatoris, apocryphus, ut meritò impe-
ritiæ damnetur Auctor, qui in eo condendo, &
conscribendo non noverit aperta vitare mendacia,
dum inquit, illis temporibus, quibus ea accide-
runt, Isachar Summum suisè Pontificem, cùm cla-
rius ipsa luce habeatur notum ex Josepho lib. 15.
Antiquitat. cap. 12. Simonem Boethi Alexandrini
filium, Herodis socratum, tunc funatum Pontificatu.

„Hæc

„ Hæc sunt , ut arbitror , quæ libri hujus derogant si-
 „ dem , & reddunt obscuram auctoritatem . Verum ,
 „ ut demus his , librum hunc à majoribus , à viris
 „ Religiosissimis , ut habetur in Præfatione , per ma-
 „ nus acceptum à B. Hieronymo non fuisse traduc-
 „ tum , sed ignoto quodam , & innominato Auctore ,
 „ pio illo quidem , & satis vetusto , & in hoc non mi-
 „ nus prudenti , quòd cùm historiam dubiam esse pro-
 „ nuntiet , at liquidò falsam non audeat affirmare ,
 „ quæ ratio patitur , ut insulsa fabula nominetur , ac
 „ barbara , & anilia hæreticorum continere figmenta
 „ existimetur libellus hic , si de eo loquuntur , in quo
 „ nihil legitur modo , vel à ratione alienum , vel
 „ quod Sanctissimorum , & gravissimorum Patrum
 „ non possit illustri auctoritate firmari : Epiphani vi-
 „ delicit , Gregorii , Basiliī fratri , Auctoris imper-
 „ fecti in Matthæum , Germani , Damasceni , Simeo-
 „ nis , & aliorum , quos suo loco retulimus , quo-
 „ rum testimoniis , dum hanc nostram historiam com-
 „ probamus , illam simul comprobari gaudemus . Sa-
 „ nè cùm Epiphanius hæresi 79. sic loquitur . Tametsi
 „ enim historia Mariæ , & traditiones habent , quod
 „ dictum est Patri ipsius Joachim in deserto , uxor tua
 „ concepit : & cùm Gregorius Nissenus oratione in
 „ diem natalem Domini , sic ait , Virginis Pater , ut ex
 „ historia quadam incerti Auctoris accepi , fuit insig-
 „ nis quidam Civis , & eum referens Simeon Meta-
 „ phrastes , oratione de ortu , & dormitione Mariæ ,
 „ audivi , inquiens , arcanam quandam , & occultam
 „ historiam de ea hæc narrantem , & demum cùm
 „ Author imperfecti in Matthæum , sic dicit Homilia
 „ prima . Nam sicut historia quedam non incredibi-
 „ lis , neque irrationalis docet , quando gesta sunt ,
 „ quæ refert Lucas , Joseph absens erat : non aliam

„ fig-

„ significant historiam , quam hanc , in qua omnia
 „ illa , quæ referunt , proculdubio reperiuntur . Cum
 „ autem cætera , quæ in hac historia leguntur , omnia
 „ penè uno , aut altero excepto , à gravissimis Aucto-
 „ ribus referantur , Evodio , Andrea Cretensi , Gre-
 „ gorio Nicomedensi , Germano Constantinopolita-
 „ no , Damasceno , Simeone , & Nicephoro , aliis
 „ que supra relatis , ut per sex priora hujus operis ca-
 „ pita poteris animadvertere , non est , cur fabula no-
 „ minetur , & figmentum hæreticorum judicetur , sed
 „ historia digna , vel in primis , cui fides jure optimo
 „ tribuatur ex Hebræo à Græco aliquo Græcis commu-
 „ nicata , & Latinis à Latino , qui Hieronymus esse
 „ existimatur . Esse vero hanc ab illa diversam histo-
 „ riam , quæ aniles hæreticorum fabulas continet , vel
 „ ex hoc uno certum fit , quòd Epiphanius , qui loco
 „ dicto Historiam Mariæ refert , & probat , Hæresi-
 „ 26. adversus Gnosticos , refert librum alium dic-
 „ tum stirps Mariæ , ex quo horrendum illud censet
 „ de nece Zachariæ Patris Joannis , quòd populo de-
 „ texerit hominem asini formâ in Templi aditis
 „ confidentem : impiam certè fabulam ex Cornelio
 „ Tacito ortam , ut Auctor est Tertullianus in Apolo-
 „ getico ad gentes cap. 26. aut potius ex Posidonio,
 „ & Apollonio , quos mendacii redarguit Josephus lib.
 „ 2. contra Apionem . Ex quo etiam videtur desumpta
 „ anilis illa confictio , quam refert Irenæus lib. 1. ad-
 „ versus hæreses cap. 17. de Christo puero sub Magis-
 „ tri ferula discente alphabetum , & quam ex Zenone
 „ referimus in hac historia cap. 7. num. 9. de obste-
 „ trice . Ex quo manifestè colligitur , eum librum , in
 „ quo ejusmodi figmenta narrantur , esse , quem Ge-
 „ laius damnat ut apocryphum , non hunc , de quo
 „ decertamus . Alias autem multi sunt libri de hac re
 „ com-

„ compositi, ut Auctor est Epiphanius Presbyter Cons.
 „ tantinopolitanus de Vita Virginis, sed parum sin.
 „ cerè, quos reprobare posset Gelasius, ut liber Jaco.
 „ bi cuiusdam hebræi, qui Auctor existimatur Pseu.
 „ do-Evangelii de Nativitate Mariæ, continentis ejus
 „ Historiam, usque ad adventum Magorum, cujus
 „ meminit Sixtus lib. 2. in Jacobo: & indignum illud
 „ refert ex eo, Josephum nempe, & Mariam stupri,
 „ & sacrilegii accusatos, ex Decteto Sacerdotum fuisse
 „ adactos ad bibendum poculum redargutionis, quo
 „ Moyses jussit explorari foeminas innocentes de adul.
 „ terio suspectas. Et liber Aphrodisiani Persæ, Joan.
 „ nis Thessalonicensis, & alterius Joannis falso cogn.
 „ mento Theologi; scripsit etiam, & Seleucus Ma.
 „ nichæus, & passiones Apostolorum, & librum de
 „ Nativitate Mariæ, in quo multa non vera de corde
 „ suo confinxit. Leucium vocat Gelasius, dum dam.
 „ nat omnes ejus libros in capite dicto, & Innocen.
 „ tius Epist. 3. ad Exuperium, itemque Augustinus
 „ lib. de Fide contra Manichæos cap. 38. ex quo Fauf.
 „ tis, & ipse Manichæus suos de Maria Virgine, quòd
 „ fuerit de stirpe Levitica, apud Augustinum lib. 23.
 „ contra ipsum cap. 9. mutuatus videtur errores. A
 „ quibus omnibus, quam sit liber hic diversus, qui
 „ historiam Mariæ contextam habet, aut traductam,
 „ de qua est nobis sermo, ipsem Auctor ejus satis
 „ superque, & ipsa narratio manifestat. Quod verò
 „ tandem imperitiae damnatur, quòd manifesta non no.
 „ verit vitare mendacia, injustè quidem cum Auctore
 „ agitur, cum Isachar non Summum esse dixerit, sed
 „ Pontificem. At multos præter Summum ex Sacer.
 „ dotibus dictos Pontifices, & ex Evangelii satis com.
 „ pertum est, & ipse qui damnat, id indubie fatetur.
 „ Erat ergo non Summus Pontifex, sed ex Sacerdotum

, for-

„ fortasse Principibus , qui propterea Pontifex appelle-
 „ tur. Ecce igitur libellum à multis haecenus despectum,
 „ ab omni injuria vindicatum , & suæ fidei restitutum,
 „ ut neveris eum esse , qui possit meritò afferri ad ea,
 „ quæ dixerimus , confirmanda. „

Quid efficaciùs dici posset pra tuendo libro de
 Nativitate Mariæ ? Certè una hac crisi enervantur om-
 nia , quæ superiùs Amortius produxit testimonia,
 contra prædictum librum. Priori jingo aliud

TESTIMONIUM R. P. PETRI Antonii Spinelli.

31 **H**IC L. Maria Deipara Thronus Dei dicto
c. 18. ait : „ Hieronymus , sive alias
„ Auctor libri de ortu , seu Nativitate Mariæ , qui in
„ Tom. 9. Operum Hieronymi habetur ; multa ex iis,
 „ quæ diximus , refert , & præsertim piam illam bono-
 „ rum divisionem tripartitam à Sanctis Joachim , &
 „ Anna fieri solitam , addit , Angelum Sancto Joachi-
 „ mo apparuisse , eique inter alia : Anna , inquit,
 „ uxor tua pariet tibi filiam , & vocabis nomen ejus
 „ Mariam. Hæc enim erit , ut vovistis , ab infantia
 „ Domino consecrata , & Spiritu S. replebitur adhuc
 „ ex utero matris , & ætate procedente , sicut ipsa ex
 „ sterili nascitur , ita incomparabiliter Virgo genera-
 „ bit Altissimi Filium , qui Jesus vocatur. Et infra,
 „ eadem ab Angelo Sanctæ Annæ dicta commemorat.
 „ Hæc ibi. Hunc libellum tanquam piuum ex Hebraico
 „ in Græcum , & in Latinum conversum recipit noster
 „ Canisius lib. 1. de B. Virgine Maria. Et quidem om-
 „ nia penè , quæ ibi leguntur , uno , vel altero dempto,
 „ apud gravissimos Auctores inveniuntur , & videtur
 „ libellus hic citari , & probari ab Epiphanio Hæref. 79.

„ ut

„ut diximus , & à Gregorio Nissenso oratione de hu-
 „mana Christi generatione , Simeone Metaphraste
 „de ortu , & dormitione Mariæ , ubi eam appellat
 „arcanam , & occultam historiam , & ab Auctore
 „Imperfecti in Matth.hom. 1. Nam Epiphanius Hæres.
 „26. contra Gnosticos alium librum refert dictum
 „stirps Mariæ , unde mendacia aliquot prodierunt , &
 „hunc reprobat Gelasius cap. *Sancta Romana Eccle-*
 „*sia* : vide Christophorum de Castro nostræ Socie-
 „tatis in sua Historia Deiparæ piè pariter , atque
 „eruditè ex Sanctis Patribus collecta , ubi in Catha-
 „logo Auctorum in Hieronymo , hunc libellum de
 „ortu Mariæ ab omni calumnia egregiè vindicat. Et
 „sanè Hieronymus Epiphanio familiaris historiam , ac
 „traditiones de Conceptione , & ortu B. Virginis ab
 „Epiphanio Hæres. 78. citatas facile cognoscere po-
 „tuit , easque litteris mandare. Sic loquitur Spi-
 „nellus. Ut autem majus adhuc dictis lumen acce-
 „dat , cautelæque , in usu libri istius observandæ , ad-
 „dantur , juvat quoque referre , quæ doctissimus An-
 „notator Illnstrissimus Josephus Ximenez de Sama-
 „niego , Episcopus Placentinus annot. 35. ad Primam
 „Partem Civitat. Mysticæ , §. 6. clarè de illo tractatu
 „scribit.

DOCTRINA JOSEPHI XIMENEZ de Libro Laudato.

32 „ **V**iguisse primis Ecclesiæ Christianæ
 „sæculis Historiam quamdam , con-
 „servatasque certas traditiones de modo Conceptio-
 „nis , ac Nativitatis Beatissimæ Virginis , certum est
 „constat enim idipsum ex Epiphanio lib.de Hæresibus
 „Hæres. 79. ubi ait : Tametsi enim Historia Mariæ ,

„ & traditiones habeant, quod dictum est Patri ipsius
 „ Joachim in deserto -- uxor tua concepit; tamen non
 „ quod sine conjugio hoc factum, & sine semine viri
 „ &c. item ex Sancto Gregorio Nissenso Orat. in Na-
 „ tal. Domini sic loquente: audivi arcanam, & oc-
 „ cultam quamdam Historiam, tales de ea (B. Maria)
 „ prodentem narrationes &c. Licet autem Historia
 „ hæc nostris temporibus minimè reperiatur, certum
 „ nihilominus videtur, antiquos Patres ex ea, aut
 „ ex traditionibus multa desumpsisse, quæ de Virginis
 „ hujus Sanctissimæ Genitoribus, deque modo, quo
 „ Deus ipsis tam admirabilem concessit Filiam, in eo-
 „ rum scriptis enarrata reperimus. Cæterum inter
 „ opera Sancti Hieronymi Tom. 9. Tractatus quidam
 „ aut Liber invenitur de Nativitate Sanctæ Mariæ, in
 „ quo historicè referuntur ea, quæ circa Conceptio-
 „ nem, & Vitam Sanctissimæ Virginis usque ad Nati-
 „ vitatem Christi contigerunt. De cuius libri Aucto-
 „ re, aut quam fidem ille proinereat, inter Docto-
 „ res modernos haud exigua est opinionum diversitas.
 „ Quod verò Auctor dicti libri (posito quod Hiero-
 „ nymus non fuerit) Scriptor quidam alias fuerit,
 „ Sancto huic contemporaneus, aut certè ab illo tem-
 „ pore parùm distans, ex eo clare colligitur, quod
 „ Auctor operis Imperfetti Hom. 1. in Matth. de eo
 „ mentionem faciens dicat – nam sicut Historia quæ-
 „ dam non incredibilis, nec irrationabilis docet, quan-
 „ do gesta sunt, quæ refert Lucas, Joseph absens
 „ erat. Constat autem de illo eum loqui, cuius hu-
 „ jusmodi est relatio. Porro, quod libri hujus aucto-
 „ ritas modica sit, aut valde debilis, probant Melchior
 „ Canus lib. 11. de Locis, cap. 6. Sixtus Senensis lib.
 „ 2. Bibliothecæ Sanctæ in Matth. Molanus lib. 2. de
 „ Imag. cap. 26. Cæsar Baronius in Apparatu ad An-

„ nal. num. 33. citantes etiam pro eadem opinione S.
 „ Anselmum lib. de Excellentia Virg. cap. 2. & Ful-
 „ bertum Carnotensem Serm. 2. & 3. de Nativ. Virg.
 „ Contrarium autem tenent, librique auctoritatem, ac
 „ fidem pro viribus tacentur Petrus Canisius lib. 1. de
 „ Maria Deipara cap. 12. Christophorus de Castro in
 „ Historia Deiparæ ad calcem, in Cathal. Auctorum
 „ verb. Hieronymus. Spinellus in Throno Dei, cap. 18.
 „ num. 3. & Poza in Elucid. Virg. lib. 2. Tract. 15.
 „ cap. 1.

33 „ Interim in rei veritate liber ille multa conti-
 „ net ex iis, quæ in indubitate SS. Patrum scriptis
 „ authenticè reperiuntur, multa item alia, licet à Pa-
 „ tribus illius antiquitatis haud expressa, iis tamen,
 „ quæ iidem scripserunt, valde consonantia, nihil au-
 „ tem, quod ex dictis, vel aliis illius antiquitatis scrip-
 „ tis, quibus fides adhibenda, falsitatis convinci pos-
 „ sit. Illud enim, in quo maximam ponunt difficulta-
 „ tem ii, qui fidem libro denegant, aliud non est,
 „ quam quod in eo dicatur, Isachar in illo tempore
 „ Pontificem extitisse, cum tamen in Cathalogo Sum-
 „ morum Hebraicæ gentis Pontificum (quem exactis-
 „ simè conscripsit Joseph Hebraeus de Antiquitat. lib.
 „ 15. 16. & 17. & de Bello Judaico lib. 1. & seq.)
 „ nullus Summus Pontifex hujus nominis reperiatur.
 „ Verumtamen difficultas isthac facile dissolvitur, si
 „ quidem liber non dicit, quod Isachar tunc tempo-
 „ ris Summus fuerit Pontifex, prout Baronius ipsi hoc
 „ attribuit, verum dumtaxat, quod in tempore illò,
 „ seu occasione, quando Joachim ad offerendum sa-
 „ crificium illuc advenit, Isachar Pontifex extiterit:
 „ Ea autem tempestate Isachar ibi Pontifex erat. Sic so-
 „ nant formalia libri verba. Certum autem est, non
 „ fuisse apud Populum Hebraicum idem, esse Pon-

„ tificem , ac esse *Summum Pontificem* , *Summus enim*
 „ *Pontifex unicus erat* , *Pontifices verò multi* , *prout*
 „ *ex S. Joanne cap. i 1. v. 47. constat* : *Collegerunt erga*
 „ *Pontifices* , & *Pharisai ministros* . *Pluribus aliis texti-*
 „ *bus similiter loquentibus* . *Pontifices isti ipsissimi*
 „ *erant* , *qui Sacris in paginis Matth. 26. Principes*
 „ *Sacerdotum vocantur* ; *prout docet Cornelius à La-*
 „ *pide in cap. 3. Lucæ* , *v. 2. & supradictus Baronius*
 „ *ipsemet ait Tom. i. ad annot. 3 1. eorum* viginti
 „ *quatuor numero fuisse* , *ac quemlibet eorum Caput*
 „ *cujusdam Congregationis extitisse* , & *hanc ob cau-*
 „ *sam nomen Principis gessisse* . *Ac propterea non est*
 „ *ratio impugnandi* , *quod fuerit tunc aliquis ex hu-*
 „ *jusmodi Pontificibus* , *seu Principibus Sacerdotum*,
 „ *vocatus Isachar* , *qui Joachimo* (*quemadmodum in*
 „ *libro refertur*) *suam exprobavit sterilitatem*.

34 „ Id , *quod ego in hac re sentio* , *est* : *adhi-*
 „ *bendam esse libro fidem* , *conformiter ad ea* , *quaे*
 „ *Auctor in Præfatione dicit* , *ait enim* : *Historiam*,
 „ *quam enarrandam in se suscepit* , *acepsisse se ex li-*
 „ *bro quodam* , *linguâ Hebraica conscripto* , *in cuius*
 „ *Præfatione dicebatur* : *compositum eum fuisse à S.*
 „ *Matthæo* , *positumque in principio Evangelii sui*.
 „ *Cui assertioni prædictus Auctor hanc adjungit cen-*
 „ *suram* : *quod an verum sit* ? *Auctori Præfationis* , &
 „ *fidei Scriptoris committo* ; *ipse enim* , *ut hæc du-*
 „ *bia esse pronuntio* , *ita liquidò falsa non affirmo*.
 „ *Moxque modum* , *quo fides supradicto libro* , *ex*
 „ *quo ipse Historiam desumpsit* , *adhiberi possit* , *of-*
 „ *tendens ait* : *illud autem liberè dico* , *quod Fide-*
 „ *lium neminem negaturum puto* : *sive haec vera sint*,
 „ *sive ab aliquo conficta* , *Sacrosanctam Mariam mag-*
 „ *na miracula præcessisse* : *maxima consecuta fuisse*,
 „ & *idcirco salva fide ab omnibns* , *qui Deum isti*.

facere posse credunt, sine periculo animæ suæ credi,
 & legi posse. Denique modum declarans, quo ex
 dicto libro suam hauserit Historiam, hæc habet:
 Denique in quantum recordari possum, sensum,
 non verba, Scriptoris sequens, & nunc eadem se-
 mita, non iisdem vestigiis incedens: nunc quibus-
 dam diversiculis ad eandem viam recurrens: sic nar-
 rationis stylum tentabo, & non alia dicam, quām
 quæ scripta sunt ibi, aut consequenter scribi potue-
 runt. Fatetur igitur Auctor istius operis historici,
 quod, licet circa relatos à se eventus quoad substanti-
 tiam plura non scripsit, quām ea, quæ in antiquo
 illo libro repererat, quoad circumstantias tamen co-
 rum, aliqua ex propriis apposuerit, quæ nimurum
 consequenter ad ipsam eventuum substantiam ipsi
 videbantur, circa modum, quo acciderunt, scribi
 posse. Ex quo apparet, adhibendam esse duntaxat
 fidem historicam eventuum relatorum substantiæ,
 non autem circumstantiis, aut modo, quo eos acci-
 disse prohibet, sic illos, quasi totidem diverticulis
 (ut ipse loquitur) adornans; etenim, dum hujusmo-
 di circumstantias, & modos ipse ponit, proprium
 tantummodo sequitur discursum, in quo difficulter
 haberi potest certitudo, ob modorum nimurum di-
 versitatem, quibus accidisse hæc omnia potuerunt.
 Ea prorsus ratione, qua judicium suum formavit
 Cardinalis Bellarminus lib. de Script. Eccles. de Histo-
 riis à Simeone Metaphraste conscriptis: illud autem
 inquiens, est observandum à Metaphraste scriptas fui-
 se Historias de Vitis Sanctorum, multis additis ex pro-
 prio ingenio, non ut res gestæ fuerant, sed ut geri po-
 tuerunt. Atque hoc modo mihi persuadeo, fidem
 illi etiam Tractatui Historico, qui inter Opera S.

„ Hieronymi reperitur , adhibendam esse ; dato enim ,
 „ quòd Sanctus hic ejusdem libri Auctor non fuerit ;
 „ ingenuitas tamen , sinceritas , ac Catholicæ veritatis
 „ zelus ab Authore demonstratus , venerabili conjunc-
 „ tus antiquitati , non minorem , quām alii Patrum
 „ Antiquorum Tractatus promeretur fidem ; & in hac
 „ quidem conformitate Authores reperiuntur innume-
 „ ri , qui Historiam illam venerabundè citant , & alle-
 „ gant . Teneo præterea tanquam valdè probabile :
 „ Libruin illum linguâ Hebraicâ conscriptum , ex quo
 „ Auctor dicit , desumptissimè se eventus à se relatos ,
 „ illam esse Virginis Deiparae Historiam , de qua men-
 „ tionem ingerit Sanctus Epiphanius , & Sanctus Gre-
 „ gorius Nislenus . Primò , quia substantia eorum , quæ
 „ ipsi referunt velut desumpta ex dicta Historia , in
 „ hoc tractatu jugiter reperitur . Secundò , quia illud
 „ S. Gregorii effatum : *Audi vi arcanam , & occultam*
 „ *quamdam historiam* , omnino convenit cum eo , quod
 „ Author hujus Tractatûs dicit de illo Libro , in prin-
 „ cip. Epist. ad Chromatium , & Heliodorum , ubi
 „ modum explicans , quo fuerit conservatus , hæc
 „ scribit : Liber scriptus Hebraicis litteris à Viris Re-
 „ ligiosissimis habetur , qui eum à suis prioribus sus-
 „ ceperunt . Hunc autem ipsum librum nunquam ali-
 „ cui transferendum tradiderunt , hinc textum ejus ali-
 „ ter atque aliter narraverunt .

36 „ Conveniens mihi videbatur , hac occasione
 „ occurrente , præsentem facere digressionem de aucto-
 „ ritate , & fide , quam supra relatus meretur Tracta-
 „ tus de Nativitate S. Mariæ ; etenim Scriptrix nostra
 „ Venerabilis , in hac sua historia omnes quoad subs-
 „ tantiam ponit eventus in illo Tractatu relatos ; li-
 „ cèt cum diversitate quarundam circumstantiarum ,
 „ ac modorum hujusmodi eventuum . Hæc ipsa autem

„ conformitas quoad substantiam , & diversitas in mo-
 „ do , seu circumstantiis inter hanc Historiam , & illum
 „ Tractatum , aliquam poterat causare difficultatem ;
 „ etenim , cum Historia hæc quoad omnes eventus ,
 „ quos singulariter recenset , cum illo Tractatu con-
 „ veniat , videtur hic sufficientem præbere authorita-
 „ tem , ut per ipsum impugnari possit Historia quoad
 „ circumstantias , in quibus hæc ab illo discrepat ; ut
 „ proinde haud abs re fuerit , declarare modum , quo
 „ fides Tractatui illi sit adhibenda ? Ex cuius declara-
 „ tione apparet ; quomodo Venerabilis Matris narra-
 „ tio conveniat cum iis , quæ Auctor dicti Tractatus
 „ ex Historia illa antiqua , & Venerabili , linguâ He-
 „ braicâ exarata desumpsit , solùmque discrepet in ali-
 „ quibus , quæ idem Author fatetur , nonnisi ex pro-
 „ prio judicio , ac imaginaria persuasione à se super-
 „ addita fuisse. Hæc Illustrissimus Annotator .

Quibus prælibatis Civitati Mysticæ nihil nocu-
 menti assert , quod ea in plurimis cum prædicto libro
 de Nativitate Mariæ conveniat . Ut verò penitus dis-
 solvatur inutilis Crisis Amortiana , omnia puncta ,
 quibus Parallelon suum confirmat , succinctè percur-
 ram .

ARTICULUS II.

EXCUTIUNTUR BREVITER PUNCTA Paralleli Amortiani.

37 **D**icit Criticus : *Qui attentè legerit præfatum
Pseudo-Evangelium , & sequentia excerp-
ta Revelationum Agredanarum , facile adverteret earum si-
militudinem . Nunc iterum librum de Nativitate Mariæ
priori Articulo vindicatum vocat Pseudo-Evangelium .
Quod*

Quod nomen Tractati illi minimè convenire, jam supra vidimus. Hoc præmisso, & omnibus dicendis universim præsupposito sit Punctum ex Civitate Mysticæ ab Anti-Agredano allatum.

38 „ I. Num. 163. 164. Ante adventum Christi „ impietas, quoslibet mortalium pro phantasia sua „ Deos sibi efformante jam supremum gradum tenuit, „ ut Deus habuisset jus destruendi mundum, & creatæ „ omnia in pristinum chaos ac nihilum rejiciendi; „ hinc tempus congruentissimum ostendendi miseri- „ cordiam. Ita Adversarius hoc punctum recitat, ego verò illud singulariter quoad ultimam ejus partem reddo verbis ipsius Civitatis Mysticæ, sic sonantibus: „ Quando denique Deus injuriis hisce summè irrita- „ tus, hominesque gratia ejus maximè indigni erant, „ ita ut attributum Justitiæ causam haberet æquissi- „ mam, creatæ omnia in pristinum chaos, ac nihilum „ rejiciendi, tunc Deus (nostro concipiendi modo) „ attentionem suam ad attributum Misericordiæ con- „ vertens pondus incomprehensibile æquitatis, suæ ad „ legem clementiæ inflexit, statuitque (N.B.) magis „ obstrictum bonitate sua, clamoribusque Justorum, „ Prophetarumque populi sui, quam malitia, & offen- „ sis cæterorum peccatorum omnium irritatum se „ monstrare. Quid absurdī habent hæc verba? Nonne sanam nobis explicant doctrinam? Cur ergo Adversarius ea traducit tanquam similia doctrinæ alicui in Pseudo-Evangelio contentæ? Prætereà nihil de hac materia, & de hoc punto primo in libello de Nativitate Mariæ ab ipso D. Amort superius integrè posito dicitur: ergo falsum est, quod ex hoc punto primo possit colligi aliqua similitudo inter librum prædictum, & Revelationes Agredanas.

39 II. Num. 165. *Premisit duo lumina Joachim,* &

Annam, joachim habebat suam habitationem, & cognationem in Nazareth Galilæa. Similia quidem etiam referuntur in libro de Nativitate B. Virginis: ergo propere falsa sunt? Nequaquam. Quod Parentes B. Virginis Mariae vocentur Joachim, & Anna, aliundè ex gravissimis testimoniis, auctoritate quoque Sanctissimi D. N. BENEDICTI XIV. atque adeò præscindendo etiam ab illo libro de ortu Mariæ, comprobavi in Justa Defensione pag. 492. & sequentibus. Quod verò Joachim habuerit suam habitationem, & cognationem Nazareti in Galilæa, affirmat, & probat Christophorus à Castro *Hist. Deip. cap. 1. pag. 26. num. 8.* ac pro se præter librum de Nativitate Virginis allegat Hypolitum Portuensem apud Nicephorium lib. 2. *Hist. Eccles. cap. 3.* Ejusdem mentis est Spondanus in Epitome Annalium Baronii in Apparatu num. 19. Quæres fortè, cur Joachimus, cùm esset de Domo David, non etiam Bethlehemi Civitate David habuerit suam habitationem &c.? Ad hoc dubium apud Christophorum à Castro citatum respondet Epiphanius his verbis: Hæresi 51. qui dispersi erant tempore bellorum in Machabæis factorum, per omnem terram dissipati erant, & pauci omnino manserunt in Bethlehem habitantes. Hinc sequitur nihil irrationalibile, aut improbabile in secundo punto asseri à Ven. Scriptrice.

40 III. 166. 167. „ Anna nata in Bethlehem notitiam confusam Scripturarum Divinarum, mysteriorumque ac Sacramentorum ibi reconditorum obtinuerat, in Virtutibus jam infusis, Fide, Spe, ac Charitate parem non habebat. Supplicabat continuo pro adventu Messiæ, & non est dubium, ejus preces pro adventu Messiæ accelerando plurimum valuisse; eadem postulabat, à Domino sibi dari contumeliam pium, & eodem tempore postulabat Joachim „ sibi

„ sibi dari conjugem piam. Itaque missus est ad Annam
 „ Angelus Gabriel in visione corporali eam consolans,
 „ eò quòd paritura esset Matrem Dei, hoc tamen ei
 „ non manifestavit (quòd, & cæteri Angeli tunc non
 „ cognoverunt, cum ea Revelatio, seu illustratio Ga-
 „ brieli immediatè à Deo facta esset.) sed præcise eam
 „ adhortabatur, ut esset constans in oratione, Deum
 „ enim illi prospecturum.

168. „ Apparuit Gabriel etiam Joachimo, sed
 „ in somno, non corporaliter: Joachim advertit ad se
 „ dirigi hæc verba: Sis benedictus, &c. Sume Annam
 „ in conjugem, curam illius habe, eam honora, ut pig-
 „ nus à Deo tibi concreditum, & gratias age, quòd
 „ ea Divinitus tibi obtigerit. Paruit statim voci, & ha-
 „ bitavit cùm illa in Nazareth, per aliquot tamen
 „ annos non manifestaverant sibi invicem Myste-
 „ rium, quòd illis contigerat. Cæterum rerum do-
 „ mesticarum administrationem sic ordinabant: red-
 „ ditus omnes in 3. partes annuatim distribuebant,
 „ unam offerebant ad Jerosolymitanum Templum
 „ pro Cultu Divino. Secundam largiebantur pauperi-
 „ bus, Tertiâ se, familiāmque decenter alebant, &
 „ quia sic liberales erant in distribuendo, augebantur
 „ bona illorum.

Huic tertio Puncto ex Scriptis Agredanis me-
 morato in *Libello de Nativitate Mariæ* tantum ista re-
 pondent: quòd B. Virgo Maternum genus ex Bethle-
 hem traxerit, seu Anna ejus Mater Bethleemitis
 fuerit. Item, quòd Vita Parentum Sanctissimæ Virgi-
 nis fuerit simplex, & recta apud Dominum, apud
 homines irreprehensibilis: item, quòd hi Parentes
 fuerint Deo chari, hominibus pii. Denique, quòd
 illam bonorum suorum divisionem fecerint: ast pri-
 mum, quòd fuerit B. Virgo Bethleemitis, non
 so-

solum à Civitate Mystica , & libro de Nativitate
Mariæ asseritur, sed , & constans est omnium opi-
nio , ut ait Christophorus à Castro , cap. 1. n. 12.
ubi plura pro hac assertione legere potes. Quod atti-
net pietatem , & sanctitatem istorum Parentum Vir-
gineæ Matris , non credo eam in dubium vocari
posse , cùm ceu Sancti ab Ecclesia Universa Offi-
cio , & Ritu publico colantur. Si testimonia Scrip-
torum , & Patrum de sanctitate , & pietate Joachimi,
& Annæ fidem facientium desideras , ea reperies
magna in copia apud Spinellum de Maria Deipara,
cap. 18. ac apud alios. Neque divisio illa bonorum
est incredibilis , nam habet pro fundamento pieta-
tem erga Deum , & charitatem erga proximum,
in qua utraque virtute excelluisse utrumque Deiparæ
Parentem , solum ille negare audebit , qui ipsis sancti-
tatem vitæ denegat.

41. IV. 171. „ Viginti annis Sancti Conju-
„ ges erant infœundi , ob quod valde erant con-
„ tempti apud vicinos , & cognatos , cùm liberis
„ carentes velut extranei haberentur , quibus in ad-
„ ventu Messiae exspectati pars nulla esset futura;
„ itaque votum emiserunt , quod prolem essent
„ Deo óblaturi in Templo , si quam Deus ipsis con-
„ cederet.

Punctum istud quartum ex pluribus Patrum , &
Scriptorum antiquorum textibus deductum exhibit
Christophorus à Castro , cap. 2. num. 1. allegantur
ibi inter alios Gregorius Nissenus , Andreas Creten-
sis , Germanus Archi-Episcopus Constantinopolita-
nus , Dasmascenus.

V. 173. „ Postquam anno integrō ab accepto
„ Divino ardentes hasce preces fundendi mandato
„ in iisdem pro impetranda prole persistierunt , Joa-
chim

„ chim prosculus est Jerosolymam , ut pro ea grata
 „ tia impetranda in Templo offerret Deo , sed dum
 „ inter Populares suos præsente Summo Sacerdote
 „ vellet offerre , alias quidam inferior Sacerdos ,
 „ Isachar nomine verbis durissimis exceptit Venerabilem Senem , quod aliis sacrificaturis fese immisceret , cum infœcundus esset , dicens : quomodo tu audes offerre Deo homo inutilis , & infœcundus ? Apage , & cave , tuis Sacrificiis indigetur Deus , ut potè non acceptis coram ejus divinis oculis . Joachim totus confusus se convertit ad Deum dicens : Tuo imperio accessi , sed is , qui tuas vices agit , me repellit ; tunc recessit à Templo in Villam suam , ubi hanç orationem Deo obtulit : *Æterne Deus , &c.*

Præfens punctum in Libro de Nativitate Mariæ fuit quibusdam Lapis offensionis , quem tamen movere superius Christophorus à Castro , & Annator ; penitus autem illum sustulit Civitas Mystica , dum dicit , Isachar fuisse Sacerdotem , non Sumnum , sed quemdam inferiorem . Videantur dicta superius . De ipso facto hujus puncti sic loquitur Christophorus à Castro , cap. 2. num. 1. *Repulsam passum* (scilicet in templo per contemptum Isachari , de qua ibi sermo) Joachimum Germanus etiam affirmat , cæterique tanquam certum supponunt . Addit rationem ex moribus veteris illius populi , apud quem uti felicissimum , & honorificentissimum aestimabatur , aliquem esse liberis copiosum , ita despectui habebatur , qui prole carebat .

43. De punto VI. nihil potui reperire in libro de ortu Mariæ , quod scilicet S. Anna admonita ab Angelo prolem à Deo petierit , & eum in modum , qui in Civitate Mystica expressus est , oraverit . Contra

tra quam narrationem solum silentium coævorum Scriptorum opponi potest: verum argumentum illud ex silentio veterum in præsenti materia jam est silere jussum in mea Defensione, pag. 446. & seq. Idem dicitur ad Punctum VII. & ad alia similia.

44. Puncta VIII. IX. & X. XI. XII. XIII. In hoc assimilantur dictis in Tractatu de Nativitate, quod in illis referatur, Angelum Joachim, & Annæ apparuisse, nuntiassèque, axauditas esse preces, & gignendam ab ipsis Filiam, vocandam Mariam. Atqui ejusmodi relatio eò minus est incredibilis, quò majus fundamentum habet in Scriptoribus pluribus apud Christophorum à Castro, cap. 2. in Historia B. V. num. 2. & aliis allegatis, qui ajunt Beatissimam Virginem per preces à Deo impetratam, & Parentibus per Angelum promissam, ac prænuntiatam. His adstipulatur Clarissimus P. Antonius Mayr de primò, & secundò adventu Christi, num. 2. asserens: *SS. Epiphanius, & Gregorius Nissenus scribunt, B. Virginis Nativitatem per Angelum parentibus prænuntiatam fuisse, & citatus Scriptor de Nativitate B. Virginis addit, nomen quoque Mariæ ipsi imponendum revelatum fuisse.* Et sane, si S. Zacharia per Angelum innotuit futura Nativitas Precursoris, & nomen Iohannis ipsi tribuendum, non videtur hic favor negatus fuisse Matri Divine.

45. Puncta reliqua agunt de Desponsatione Virginis Intemeratae cum Virgineo Sponso, sorte ac signo visibili, & supernaturaliter florente virga, &c. electo. Pro hac assertione apud continuò Laudatum Christophorum à Castro, cap. 4. Stantegregii Scriptores, &c. S. Epiphanius Hæresi 78. ait: Sortibus cogentibus B. Virginem traditam esse Josepho. S. Germanus de Oblat. Mariæ. *Tunc Dei nutu, & consilio Sacerdotum de Eadem datur sors, & sorte eligitur*

Josephus Justus. Adhuc clarius loquitur Gregorius Cedrenus in Compendio Historiae, cum annum, inquietus, decimum quartum (Maria) attigisset, Iudei in Templo eam deinde morari non sunt passi. Porro Sacerdotes ejus causa Deum, precati sunt. Ibi Pontifex duodecim Senum Cognatorum Mariae ferulas accepit, inque ara posuit dicens, ostende Domine, cui Virgo debeat copulari. Floruit autem Virga Joseph Fabri, &c.

Quibus subjicit Clarissimus P. Christophorus à Castro: „Ne tibi præter rem videatur, signo visibili electum fuisse Josephum à Deo: animadverte in Scriptura Sacra, sortis nomine accipi divinam voluntatem signo externo declaratam, qua ostenditur, eligiturque is, qui queritur. Sic num. 17. Floribus, & amygdalis germiuantibus in virga electus est Aaron in Sacerdotem: sic divina sorte quasi-tus est prævaricator Acham Josue 7. Sic 1. Reg. 10. Sortibus electus est Saul; sic divina sors cecidit super per Mathiani Actorum 1. quam sortem appellasse Scripturam ait Dionysius Areopagita, lib. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 1. Divini quiddam, & praecipui munieris, quod illi Choro Sacratissimo insinuaretur, qui esset divina electione declaratus. Quod si hujusmodi sortes tam frequentes erant ad ostendendos eos, qui vel ad munia aliqua eligebantur, vel ut punirentur, quod, & in Lege Evangelica contigit aliquando, ut futuri Episcopi columba ad ventu declararentur, quid mirum, si ad elendum eum, qui futurus erat Sponsus Virginis, Custos, & Patronus, & Dei Filii Nutritius, sorte divina floreret virga, & columba in ejus fastigio consideret. „Hæc citatus.

46. Ex quibus, & præcedentibus sequitur, omnia adducta ab Adversario, & cum dictis libri de-

Nativitate Mariæ per modum Paralleli comparata, esse admodum credibilia, ac verè rationabilia, atque ideo non rejicienda, quia similia quoque in allegato Libello recensentur. Nam i. Libellus ille non est proscriptus à Gelasio, neque est apocryphus, & saltem facta, quæ refert, quoad substantiam videntur rationi consona, ac dictis aliorum Scriptorum, & Patrum vel roborata, vel non disformia, esto forte aliquæ circumstantiae sint adjunctæ ab alio, quas Auctor Libri secundum dicta superius omissit. Secundò dato etiam, quod Liber ille de Nativitate foret apocryphus, & aliquod Pseudo-Evangelium proscriptum à Gelasio, vel saltem quoad aliqua puncta cum aliquo Pseudo-Evangelio conveniret: attamen propterea non omnia ejus asserta statim essent apocrypha, & proscripta: hæc enim illatio esset pessima: istud continetur in Libro apocrypho, ergo est apocryphum; singulariter hoc non procedit, quando aliundè ejusmodi dictorum rationalitas, & convenientia probatur, vel ex auctoritate alia, vel ex ratione, aut certè positivæ falsitatis, & irrationalitatis talis relatio convinci non potest.

Potest aliqua doctrina Legi in libro hæretico, & tamen potest illa esse non hæretica: utique etiam in libris aliquorum hæreticorum referuntur dogmata SS. Trinitatis, Incarnationis, &c. Et tamen propterea ista non sunt hæretica: ergo à pari potest aliqua sententia Legi in Libro Apocrypho, & tamen non esse apocrypha, si ea aliundè certa, vel rationalis redditur, uti sit circa sententias in Civitate Mystica assertas. Hinc rectè ait Clarissimus P. Ant. Mayr de primò, & secundò Adventu Christi, n. 980. Eminentissimus (Baronius anno 48. num. 10.) pie ac

solidè notat, non propterea (quia ex apocryphis excerpta sunt) ista neganda sunt, quasi Vera esse non potuisse, siquidem Deo omnia possibilia sunt. Adde, nec illa statim rejicienda esse in Revelationibus privatis, quæ vel in nullo, vel solum in apocrypho Libro leguntur. Multa enim sunt facta, quæ non sunt Literis consignata, vel saltem non satis authenticè sunt conscripta: ergo, & hæc, quæ vel in nullo vel solo apocrypho Libro continentur, potuerunt esse facta, & per consequens potuerunt alicui piæ animæ revealari. Placeat de hac re videre, pag. 449. & seq. Defensionis justæ, ubi ista res magis dilucidatur, Unde manet liquidum, quod D. Amort suo Parallelō nihil effecerit contra Civitatem Mysticam.




P A R S III.
DEFENSIO REVELATIONUM
 Agredanarum
C O N T R A
S I C V O C A T A M E X C U S S I O N E M
 Amortianam Novæ Defensionis Agredanæ.

P R Æ F A T I O .



XCUSSIONEM appellat D. Amort apolo-
 logiam suam recentissimam oppositam
 justæ meæ Defensioni Agredanæ anno
 1750. editæ. Verum ipsa Amortiana
 Excusio , tot falsitatibus turgida no-
 vam exigit excussionem , quam hac
 Parte tertia effectui dare aggredior. Ea complectitur
 capita quinque , hæc in plures articulos , isti , ubi opus
 est , in paragraphos vel puncta majoris claritatis gra-
 tiâ secantur.

Priusquam verò ipsi operi manum applicem , Ti-
 tulum , & Præfationem sic dictæ Excussionis Amor-
 tianæ præmittere oportet. Sic sonant.

Excusio Novæ Defensionis Agredanæ ab A. R. P. Dal-
matio Kick editæ. Editus est Ratisbonæ anno currente 1750.
Liber sub sequenti titulo : Revelationum Agredanarum
iust.

justa Defensio Auctore P. Fr. Dalmatio Kick, Ord. Min.
ss. Theologie Lectore, &c. videamus, quid in octo illius
partibus operis justum, vel injustum sit.

Vel in primis paucis his Lineolis Adversarius, nec
sincerè, nec exactè satis procedit. Primo dicit: *Editus*
est anno currente 1750. quibus indicare, vel repetere
vult annum editionis, & impressionis suæ Novæ De-
monstrationis, Excusionis, &c. Quem etiam in fron-
te, & titulo jam designavit esse 1750. sed malè, &
non satis sincerè, cùm novum istud opusculum pri-
mùm anno 1751. sit approbatum, & editum, ut
partim ex censura ei præfixa, partim aliunde mihi
constat.

Secundò ait: *In octo illius* (id est, meæ Defen-
sionis) *partibus.* En ignorat, quot mea Defensio, quam
confutandam suscepit, numeret partes, ei tribuendô
octo, cùm solùm quinque habeat. Levia quidem vi-
dentur hæc esse; sed tamen non levi sunt argumento,
quòd Adversarius in isto suo opere veritatem, aut
occultare, aut saltem non candidè, nec studiosè velit
quærere.

Non miror profectò, quòd in referendis
meæ Defensionis assertis, tam infidelis sit, tám-
que parùm convenientes responsiones reponat. Quo-
modo enim fieri aliter potuisset, cùm mox re-
citata verba ostendant, ab ipso totam meam Defensio-
nem non esse, saltem attentè perlectam, adeoque
nec ejus vim penetratam: si enim integrè, & atten-
tè illam legisset, ejus partes, vel solis quinque digi-
tis numerandas, nōsset.

C A P U T I.

EXCUTITUR AMORTIANA EXCUSSIO.
Primæ Partis.

ADversarius in sua excusione contra meæ Dēfensionis Agredanæ Partem Primam adducit sex puncta, hīc à me per sequentes articulos excutienda. Quare sit

ARTICULUS I.**PUNCTUM PRIMUM EXCUSSIONIS**
Partis Primæ.

CRiticus pag. 26. Excussionem sic dictam primæ meæ partis ita orditur: „ Primò Apologista, „ art. 1. part. 1. conatur probare, quod jam eo tempore, quo cœperam scribere contra Revelationes Agredanas, habuerim notitiam versionis Latinæ ab aliquo Franciscano factæ earum Revelationum. Affert præsumptionem; sed cedant præsumptiones veritati. En testem idoneum. Contestor enim, quod ante annum quadragesimum, vel quadragesimum primum, quo operi pluribū annis priùs compagno ultimam manum, ipsamque præfationem apposui, versionem illam Latinam nunquam legi, fidelitate omnium interpretum, præfertim germanici, cum esset Presbyter sacerdotalis doctus, probus, atque ab omni suspicione corruptionis, vel dissimulationis remotus, fidenter, & prudenter confisus. Addo, frustra ab Apologista provocari ad versionem Latinam, cum ipsem art. 3. fateatur,

„ tur, eam discordare à textu Hispanico, quæ de cau-
„ sa ipsem sc̄ eam non esse secutum fatetur. Hæc
contra meæ justæ Defensionis partem primam. primò
objicit Anti-Agredanus.

DEFENSIO.

48 **I**N mox, recitato puncto falso est primò intentum meum, quod art. 1. part. 1. conatus fui probare, fuisse hoc, quod D. Amort jam eo tempore, quo cœperat scribere contra Revelationes Agredanas, habuerit notitiam versionis Latinæ ab aliquo Franciscano factæ. Certè longè quid aliud ibi intendi probare, nimirum istud, quod Adversarius in Observationibus suis Anti-Agredanis impugnârit Revelationes Agredanas præscindendò à versione quacunque, præsertim germanica, proin falso in Præfatione suæ Controversiæ præfixa afferat, se observationes suas concinnasse (N. B.) *juxta Versionem Germanicam in specie*. Id liquet legenti paginam 4. & 5. meæ Defensionis. Pro probatione hujus mei asserti adduxi duas rationes, & ad alias inferius adducendas me remisi. Primam, eamque efficacissimam desumpsi ex titulo Observationum, qui penitus à quacunque versione, maximè Germanica abstrahendò, de Revelationibus V. Mariæ de Agreda loquitur. Secunda erat, quia tunc temporis, dum Adversarius scripsit, & edidit suum opus primum Anti-Agredanum, utpote jam anno 1719. Augustæ Vindelicorum excusa, exstabat etiam versio Latina, quam vel ideo ab Adversario lectam quoque fuisse existimo, quia eam primis quatuor lineis suarum Observationum Anti-Agredanarum allegavit. Et quis credat, non esse usurpatum ad opus aliquod librum illum, qui tamen

in principio talis operis allegatur? Quæ contra hanc alteram rationem affert D. Amort, paulò post excutientur.

49 Falsum est secundò, quod versionis Germanicæ Civitatis Mysticæ Auctor sit Sacerdos quidam Sæcularis probus, & doctus, cum eam non adornârit Sacerdos, vel Clericus, sed quidam Laicus sæcularis, ut ille ipse Presbyter testatur, cui tanquam Versori hic, & in Controversia, fortè non sine fraude, & astutia, Anti-Agredanus affingit editionem Germanicam. Est ille (ut D. Amort in Controversia affirmat) adhuc in vivis, & in Dioecesi Augustana præest alicui Seminario Episcopali; qui eò labentiūs hac in parte veritati adversus dicta Amortiana adstipulatur, quo minus eidem placere potest, quod ipsi imputetur versio Germanica, quam à se omnino alienam esse novit, & fatetur, ut probè mihi constat ex litteris ipsis mox laudati Presbyteri, quas ad Excellentissimum quempiam Virum (cujus Epistola adhuc in manibus meis existit) dedit. Ubi sic contra D. Amort conqueritur: *Indignor, quod Germanica versio mihi data fuerit, non quidem sine laude, sed nec sine fraude, dum (D. Amort) suos errores in me vult exonerare. Illud verum: anno 1713. Germanicam versionem vidi, & pro emendatione rogatus fui; sed ita in multis displicuit, ut potius de novo vertere, quam corrigere voluerim. Fuit autem hæc versio (nempe Germanica, quam nunc habemus) à Tirolensi facta viro alias præclari nominis, sed Laico, &c. Ecce ille Presbyter pius, & doctus, cui imputat, sed falsò versionem Germanicam, contra D. Amort fert testimonium, & sibi non permittit adscribi illam, benè vero ex ejusdem litteris honorandissimis didici, quod ad versionem Latinam, vel componendam, vel cum textu Originali conferendam*

dam multam magna ex parte opem , & operam contulerit.

50 Tertio Criticus valde ineptè videtur loqui, dum factum sibi non sine causa imputatum , à se credit amovisse , si ipse pro se testimonium ferat ; sed quis unquam in causa propria fuit testis idoneus ? Et quomodo pro teste legitimo recipi potest aliquis in ea causa , in qua jam plurima falsa asseruit , sibi saepius contradixit , ac omnem movit lapidem , ut veritas magis , magisque obscuraretur , sicut , haec tenus fecisse D. Amort in causa Agredana , cui libet legenti vindicias Agredanas contra eum editas perspicuum est?

Sed examinemus ejus testimonium. Contestatur , quod ante annum 40. &c. non legerit versionem Latinam ; ergone hoc verum est , & elidit præsumptionem , ac probationem contrariam ? D. Amort supra num. 1. in hoc suo opusculo , seu in Præfatione ejus asseruit , & testatus est , quod novæ suæ (scilicet putatitiae) demonstrationis , in prioribus suis de hac re Libris ne quidem ullam fecerit mentionem , & tamen hoc falsum est , ut ibi num. seq. est ostensum. Ergo quamvis modò testetur , & asserat , se ante annum 40. vel 41. non legisse Latinam Augustanam editionem Civit. Mysticæ , tamen hoc falsum esse potest , seu non facit certam veritatem , cui præsumptio opposita cedat.

Dein non capio hæc verba Adversarii : contestor , quod versionem illam Latinam ante 40. vel 41. annum nunquam legerim , fidelitate omnium interpretum , præsertim germanici fidenter , & prudenter confisus . Sane ista assertio secum ipsa , & cum aliis dictis Amortianis pugnat. In Controversia Anti-Agredana Criticus contendit solam versionem Germanicam à se

impugnatam , & usurpatam fuisse in suis observationibus , ut legenti Controversiam totam patet. Nunc autem dicit , se in componendis suis observationibus confisum fuisse fidelitati omnium Interpretum , præsertim Germanici : quibus ostendit , se non solum versionem Interpretis Germanici , sed & aliorum adhibuisse ad suas observationes. Nunquid hoc est sibi contradicere ? Ast si omnium Interpretum fidelitati in conscribendis observationibus est confisus , vel inter hos omnes Interpretes etiam intelligit Latinæ Augustanæ versionis Auctorem , vel non ? Si primum , per se falsum est , quod Latinam versionem non legerit eo tempore , quo conscripsit observationes. Si secundum dicit , aliquid mihi , & aliis prudentibus incredibile affirmat , nimirum se tunc legisse versionem , v.gr. Interpretis Galli , ac Itali , in remotis terris factam , & Latinam Augustanæ in loco non multum distante , ante compositum illud Opus Anti-Agredanum , jam absolutam , & per Bavariam ubique divulgatam non legisse. Quis hæc credat , præfertim si videat , illam versionem Latinam allegari ab Adversario sub initium sui operis Anti-Agredani , vel observationum?

. 51 Addit Criticus , frustra à me provocari ad Versionem Latinam , cùm ipsem Art. 3. fatear , eam discordare à textu Hispanico , & hac de causa fatear , me ipsum eam non esse secutum. Ne quis hīs dictis decipiatur , ipsa mea verba ex justa Defensione pag. 24. sunt referenda , ibi in Praefatione ad acta Agredana inter alia dixi : Ut à quovis etiam Linguae Latinae perito , licet Italicam non calleat , acta laudata facile ac integrè percipi valeant , textibus Italicis ex Civitate Mystica desumptis substituti sunt Latini , prout hi in Versione Latina Augustana leguntur , paucis exceptis , nimirum iis , in quibus Italica , & Latina Versio inter se , vel utraque à textu ori-

ginali Hispanico discordare videtur. Quibus certè non ita illimitatè, & determinatè (ut mihi impingit Adversarius) affero, me non esse secutum Versionem Augustanam Latinam, & eam discordare à textu Hispanico. Imò mea propositio, quæ est disjunctiva, adhuc vera manet, dummodò Versio Itala ab Augustana Latina in paucis discordet, sicut reverè discordat, etsi hæc seu Augustana Latina cum textu originali ubique conveniat, ut Summulistis constat. Præterea ista verba præmisi actis per modum cautelæ, ratione quorumdam verborum paucissimorum, quæ non omnino clare aut exactissimè videntur reddere sensum in originali textu Hispanico expressum. Id quod ex assertis à Postulatore Causæ, ut in ejus actis referendis fidelis essem, debui notare. Per hoc autem nolui derogare Augustanæ Latinæ Versioni, aut eam absolutè contrariam textui originali pronuntiare; multo minus fassus sum, me illam absolutè non esse secutum. Et sanè ex tota mea Defensione justa, in qua Versionem Latinam Augustanam continuò allegavi, patet oppositum.

ARTICULUS II.

RECENSENTUR SECUNDUM,
Tertium, & Quartum Punctum Excussionis
Primæ Partis.

52 **S**ecundum Punctum hoc est apud Criticum:
 „ Excusat (scilicet Apologista, ut me
 „ appellat) §. 2. mordacem stylum Gonzalezii, incusat
 „ meum. Quid hoc ad causam, uter nostrum uno,
 „ vel altero grano justiore mordacior? Hæc D. Amort.

DEFENSIO.

53 **F**ateor: ad substantiam causæ nihil videatur conferre, ad modum verò plurimum, si quis singulariter Vir religiosus, mordaci stylo utatur, & alios dicterioris sine sufficiente causa lacescat, prout fecit Adversarius non solum Gonzalezio, sed & Landelino, à quo modestè admodum fuit refutatus. Et quidni liceat injurias nobis illatas saltem paucis verbis indicare, si Criticus sibi licenciam concedit, easdem plenū manibūs in nos conjiciendi? Nihil conferunt ad causam aliquam, seu impugnandam, seu tuendam convitia in adversam partem jactata, hoc verum est; sed hoc quoque sibi notet Adversarius, qui suas Apologias, præfertim Anti-Agredanas ejusmodi convitiis ad tedium omnium prudentum Catholicorum, & ad risum, & scandalum Heterodoxorum maculare consuevit. Notet, inquam, sibi hoc Criticus, & vel ideo deinceps ab ejusmodi, nihil ad rem, vel Defensionem ipsius facientibus, & charitatem solum lædentibus verbis, & injuriis abstineat. Præterea non recte omnia refert, sic neque refellit Criticus, quæ illo Art. 2. dixi: nolo hic repetere ibi legenda.

54 Punctum tertium ab Adversario sic proponitur: „ Tertiò ægre fert (Apologista) Part. 1. Art. 2. §. 1. „ quod scripserim, opus meum de Revelationibus „ usui fuisse Eminentissimis Patribus in præsenti Dis- „ cussione Causæ Agredanæ. Ægrius feret, si viderit „ novam editionem mei operis, quæ prodiit hoc ipso „ anno currente 1750. Venetiis ad usum plurium Ro- „ mæ, & in Italia. Ita Anti-Agredanus,

DEFENSIO.

55 **H**IC aliqua transilit Adversarius, & alia non rectè refert. Transilit paragrum tertium Articuli primi, ad quem nihil omnino respondet, licet in eo fuerit accusatus neglectæ reverentiæ erga Summa Ecclesiæ Capita, Purpuratos Patres, & Theologos Romanos, dum Discussiones Romanas Revelationum privatarum secundum Decreta Pontificia institutas annumerare fuit ausus studiis inutilibus, ex quibus diabolus abundans lucrum reportat &c. quæ cum aliis à pag. 7. meæ Defensionis legenda manifestant, quām parūm cautè se gerat Adversarius in persequenda Causa Agredana.

56 Illa verò, quæ Anti-Agredanus responsionis loco dicit ad §. 1. Ait. 2. P. 1. meæ Defensionis, præter inanem propriam laudem Amortianam, nihil ad rem afferunt, cùm neque punctum illo paragrapho à me pertractatum tangere videantur. Nam ibi solum moderatae Crisi subjeci altum sonantia, & contra aliquius Eruditione, & Purpurâ Romanâ Eminentissimi Ecclesiæ Principis Epistolam non adeò modestè, nec satis reverenter Controversiæ suæ inserta hæc verba:
 „ Porro si quis requirat, cui bono circa has nugas Agredanas oleum, & bonas horas impendam? In promptu responsio est. Primò ut Eminentissimos Patres, & Romanos Theologos, negotiis gravioribus natos, molestia continua aliquantis per liberem, ne integros dies, & annos, & lustra, & canos, vitamque ipsam hujusmodi somniis mulierum discutendi impendant.

57 In his verbis negavi suppositum, quod Purpurati Patres, & Romani Theologi per opera Anti-

Agre-

Agredana Amortii aliquâ molestiâ liberentur : tum, quia juxta Decretum Urbani VIII. Revelationes istæ ab ipsa SS. Rituum Congregatione examinandæ sunt, non obstantibus scriptis ab Amortio, utpotè homine privato circa Causam Agredanam editis. Tum quia D. Amort in suis Anti-Agredanis discussionibus non observat, sed passim transgreditur regulas in examine similium librorum necessariò observandas &c. quæ magis deducta citato paragrapho, si benevolus Lector contulerit cum Responsione Adversarii, perspicet hanc minimè sufficere, nec ad propositum facere.

58 Punctum quartum apud Criticum tale est.
 „ Aequiparat (Apologista) Art. 2. §. 2. Revelationes
 „ Agredanas cum Revelationibus S. Birgittæ, S. The-
 „ resiæ, S. Catharinæ Senensis, & S. Magdalena de
 „ Pazzis quoad emolumenta, vel documenta exinde
 „ speranda Ecclesiæ. Verùm Revelationes S. Birgittæ,
 „ S. Theresiæ, & S. Catharinæ Senensis vix quidquam
 „ continent, nisi doctrinas receptissimas ab Ecclesia.
 „ Revelationes S. Magdalena de Pazzis nonnisi Doc-
 „ torum teruntur manibus idiomate latio ipsomet
 „ docto. At verò Revelationes Agredanæ reformat
 „ totam ferè Theologiam, & Historiam Ecclesiasti-
 „ cam, idque idiomate plebejo Hispanico, Gallico,
 „ Italico, & Germanico. Quid aliud exinde in Cathe-
 „ dris sperandum, nisi turbatio plebis, & opinionum,
 „ non sine calore, ac plurimorum scandalo agitata-
 „ rum confusio? Hæc D. Amort.

DEFENSIO.

59 **A** Llegatō per Adversarium locō *Defensionis* justæ asserui, per Revelationes Agredanas (N.B. si approbandæ forent à Sede Apostolica) nullam maculam aspergendarum fore Ecclesiæ, sicut hæc nullam labem contraxit ex approbatione Revelationum aliarum SS. Mulierum, ut S. Birgittæ, Catharinæ Senensis &c. esto in his probatis, & permisisse Revelationibus multa dubia, & adhuc in scholis controversa contineantur.

Contra hanc meam instantiam opponit Criticus, quod Revelationes S. Birgittæ, S. Theresiæ, & S. Catharinæ Senensis vix quidquam contineant, nisi doctrinæ receptissimas ab Ecclesia. Ast quæro, quid intelligat Criticus per doctrinas receptissimas ab Ecclesia? Talesne, quæ non pugnant contra fidem, aut bonos mores, neque aliquid manifestè erroneum admittunt, etiam si cæteroquin plures earum nondum sint posita extra controversiam? An intelligit doctrinas meras certas ab omnibus admissas? Si primum, etiam Revelationes Agredanæ complectuntur meras ab Ecclesia receptissimas sententias, ut ex lectione meæ justæ Defensionis clarè conjiciet quivis. Si secundum intendit Adversarius, falsum asserit; etenim in Revelationibus approbatis S. Birgittæ, S. Magdalena de Pazzis, S. Catharinæ Senensis &c. sunt plurimæ assertiones, etiam vocibus scholasticis propositæ, quæ etiamnum apud Doctores Catholicos in utramque partem disputantur, prout acta Agredana in justa Defensione pag. 90. videnda ostendunt. Si ergo hæc Revelationes potuere approbari non obstantibus tot controversis sententiis, si non reformat totam Theo-

logiam, non Oberunt quoque Civitati Mysticæ pro-positiones inter Theologos controversæ eidem insper-sæ, neque propterea reformabit universam Theolo-giam, maximè, quia Revelationes privatæ, etiam à Sede Apostolica probatæ, opinionibus scholasticis ni-hil addunt, nihilque deinunt probabilitatis: quæ jam satis sunt deducta in justa Defensione pag. 90. item 213. ubi crises imaginariæ Anti-Agredani, quas hic recoquit, jam sunt penitus dissipatæ; unde ne & ego inutiles faciam repetitiones, hic nihil de illis re-colo.

60 Quod additum est de editione Civitatis Mysti-cæ in multiplici idiomate, etiam non docto, ut vo-cat Adversarius, nihil facit ad rem. Nam & Revela-tiones S. Birgittæ &c. licet abundant controversis doctrinis, in omni lingua sine scrupulo eduntur, & leguntur, nec tamen inde scandala, aut alia mala sunt orta: neque ergo erunt oritura ex Civitate My-stica, utut edita in vario, & vernaculo idiomate. Dein doctrina Ven. Mariæ de Agreda omnino est sana (ut tot honorificentissimæ Censuræ sunt testes) est simul instructa pulcherrimis monitis cuivis hominum con-ditioni utilissimis, atque adeò merito in omni lingua ad omnium utilitatem legenda proponitur, neque ex ejus lectione scandalum aliud, quam Pharisaicum, & ideò non attendendum timeri potest. Fortassis D. Amort fraterna admonitione opus habet, ne suis novis sententiis de amore, & aliis, scholas clamoribus, & mentes fidelium turbatione, ac confusione replete.

ARTICULUS III.

EXCUTITUR QUINTUM PUNCTUM
Excussionis Primaæ Partis.

61 **P**unctum quintum Critici pag. 27. sic sonat: „Quinto censet (Apologista) Art. 2.
 „§. 3. Decretum Tridentini de arcendis ab usu publico Revelationibus incertis, quæ specie falsi laborant, solum intelligendum esse de Revelationibus circa Purgatorium, non verò de Revelationibus incertis, quæ specie falsi laborant, si versentur circa alias materias. Ego verò Decretum Tridentini ob paritatem rationis ad quasvis alias materias Theologicas, aut Ecclesiasticas extendendum contendō.
 „Uter nostrum mentem Concilii proprius attingat, judicio limitato prudentum relinquo: verum subinfert Apologista: ergo prohibenda forent ab Ecclesia omnes Revelationes privatæ? Id neutquam sequitur; non omnes transciunt in usum publicum, prout transire coeperant Revelationes Agredanæ; non omnes argumentis positivis convincuntur, esse probabilius, vel saltem probabiliter falsæ, sicut convincentur Revelationes Agredanæ. In tanta libertate veritatum constantium non expedit Ecclesiæ substituere certis incerta, & veris probabilius, vel probabiliter falsa. Addit Apologista inter alias Revelationes probabiliter falsas etiam hanc reperiri S. Birgittæ, quod Christus quatuor clavis fuerit affixus. Ego verò hanc veritatem, quod Christus quatuor clavis fuerit affixus, moraliter certam esse affirmo, non quia revelatum est S. Birgittæ, sed quia omnes feme antiquæ Imagines primis duodecim Sæculis cla-

„ boratæ id luculenter demonstrant, prout patet ex
 „ P. Crucio, speciatim autem ex Pollingana, Ursper-
 „ gensi, & ea, quæ depicta reperitur in Missali ma-
 „ nuscripto Sæculi decimi asservato Monachii in Bi-
 „ bliothece Electorali, cuius possessor se scribit Udal-
 „ ricum, qui erat verosimiliter Episcopus Augustanus,
 „ & ex illa, quæ asservatur Bambergæ donata Cune-
 „ gundi à S. Henrico &c. Eodem loco Apologista men-
 „ tionem facit voti sanguinarii: videtur ignorare, quæ
 „ in Sicilia gesta sunt, alioquin non tam facile cense-
 „ ret rem carere metu. Ita Anti-Agredanus.

DEFENSIO.

62 **T**ria in dicta Responsione affert Adver-
 sarius. Primum concernit Revelatio-
 nes incertas: alterum crucifixionem Christi tribùs cla-
 vis factam: tertium vota sanguinaria. Primum, quod
 attinet, illud omni ex parte in Defensione Justa pag.
 16. & 17. ac pag. 813. & pluribus aliis ibi sequenti-
 bus ita excussum est, ut nil excutiendum restet. Quæ
 itaque repetere esset labor supervacaneus. Neque no-
 vum quid affert Adversarius, dum inter Revelationes
 Agredanas, & alias vult ponere disparitatem, eò quòd
 Agredanæ, non verò aliæ transcant in usum publi-
 cum. Nam transmiso, quòd transcant in usum pu-
 blicum, non tamen id aliter fit, quām solitum est in
 Revelationibus privatis, quæ tantum admittuntur cœu-
 piè credibiles, & probabiles &c. Deinde quid intelli-
 git Adversarius per usum publicum? quòd nempè pu-
 blicè legantur ab omnibus, allegentur in libris &c.
 Jam verò hoc etiam fit circa Revelationes Birgittanas:
 si ergo propterea prohibendæ non sunt, neque idcirkò
 (si nil aliud obstat) prohibendæ erunt Revelationes

Agredanæ , vel vicissim , si Agredanæ prohiberi debent , etiam Birgittanæ prohiberi debent ; reliqua (ut dixi) jam sunt citatis locis confutata.

63 In altero responsionis suæ membro , dum Adversarius sententiam illam de quatuor clavis in crucifixione Christi adhibitis moraliter certam , proinde oppositam certo falsam , & improbabilem pronuntiat , iterum nimium sibi sapit , aliis modestius sentientibus . Clarissimus P. Antonius Mayr propugnat quidem sententiam de quatuor clavis , sed solum , ut probabiliorem opposita ; proinde , & huic suam relinquit probabilitatem . Et revera non statim improbabilis est censenda illa sententia , quam gravis SS. PP. & Doctorum tuetur auctoritas , & non una comprobatur ratio , qualis opinio est de crucifixione Christi tribus clavis peracta . Pro hac enim apud R. P. Gelasium Hieber , part. 2. serm. 57. Prædicatæ Hist. Reliq. allegantur S. Gregorius Nazianzenus , S. Ambrosius , Nonus , S. Anselmus , S. Bonaventura , Rufinus , Nicephorus , Eutropius , Sigonius , quorum citationes apud laudatum Hieber videre potes . Quibus accedunt , & ipse Hieber , & Alphonfus Tostatus in Paradoxis , qui Paradoxo 3. cap. 10. ait , majorem clavorum numerum , quam quibus opus sit , admitti non oportere ; longiori autem clavo ambos trajici pedes posse , si alter alteri superimponatur , ac trinis propterea tantum clavis Christum affixum esse cruci . Præterea in Sindone Sacra , qua Christi mortui corpus involutum erat , Taurini asservata , apparet , vulnus unius pedis fuisse majus vulnere alterius ; quod valde probabili est argumento , pedem unum alteri fuisse impositum , & utrumque uno clavo superiore pedem magis lædente , fuisse affixum . Insuper miraculosa illa efformatio ternorum (& non
qua-

quatuor) clavorum in corde B. Claræ de Monte Falco sat clarum dat testimonium pro tribus, & non pro pluribus clavis. Alia potes videre apud citatum Hieber. Unum Adversarius adducit argumentum, quo certitudinem sententiæ quatuor adstruentis clavos demonstratam cupit, nempe imagines antiquas: sed certè non omnes referunt quatuor clavos; plures etiam ex antiquis tres solum repræsentant. Quod inde fortè venit, quia (ut Berti tom. 5. lib. 29. cap. ult. num. 19. de Theolog. Disciplin. asserit) apud Romanos rei modò tribus, modò quatuor clavis fuere cruci affixi. Qui diversus crucifigendi mos, etiam in diversas sententias de numero clavorum, potuit Catholicos dividere, qui credibiliter ideo varie effigiem Crucifixi, videlicet pro sua quivis opinione, fecere sculpi, vel pingi. Cæterum nulla effigies exactius Passionis Christi instrumenta exhibebit, ac illa, quam Omnipotens Dei manus in corde B. Claræ de Monte Falco formavit; hæc autem, ut dixi, trinos solum ostendit clavos. Hæc omnia, & alia, quæ apud celeberrimum Patrem Hieber, & alios pro hac sententia leguntur, eam intellectui ritè disposito utique verisimilem, & verè probabilem reddunt. Unde opposita, sine ratione sufficiente, moraliter certa proclamatatur ab Adversario, qui sibi notare habet sequentia verba SS. D. N. BENEDICTI XIV. part. 1. Comment. de Fest. num. 279. ubi ita præclarè loquitur: *Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 20.* optimè ad hunc modum disputat: nec quidquam pietati officit, tribusne, an quatuor clavis Christus crucifixus venerantium oculis subjiciatur, dummodo pax, & concordia animorum inconcussa permaneat, utpote in controversia, nec à Sacris Litteris, nec à Doctoribus Ecclesiæ definita. Hæc BEATISSIMUS PATER. Quæ bene menti suæ imprimens D. Amort

nolit pertinaci sua Crisi, & innata contradicendi libidine pacem quomodolibet turbare, affingendo uni parti certitudinem in controversia adhuc dubia, nec dum per Sacras Litteras, aut Doctores definita.

64 Nunc ad tertium etiam quædam respondenda sunt Adversario, cui videor nescire, quæ circa vota sanguinaria (ut appellat) in Sicilia sunt facta. Qui tamen hic, & in *Controversia sua Anti-Agredana* præstantius quid egisset, si utroque loco de Voto Sanguinario siluisse, ut dicenda dabunt.

In Praefatione suæ *Controversiæ Anti-Agredanae*, num. 6. dicebat: *Ex permissione Romana ejusmodi Revelationum positiva, orituras non leves perturbationes Ecclesie, quin etiam nova vota sanguinaria, timeo.* Ad hæc dicta otiosa, & timores inanes, tantum paucula ista reposui in Defensione iusta pag. 19. num. 17. *Sicut ex permissione positiva Romana Revelationum S. Birgittæ, & aliarum Sanctorum Mulierum, nullæ exortæ sunt perturbationes, aut vota sanguinaria, ita neque sequentur, si Revelationes Agredanae fuerint positivè permisæ.* Ne verò Critico videar ignorare, quæ in Sicilia gesta sunt, hinc ex ipsis Siculis gestis eum redarguere stulti. Non me latet, Siculos præprimis fervore pietate erga Immaculatæ Conceptionis B. Virginis Mysterium, atque eorum non paucos, singulariter Panormi, se voto obstringere ad sanguinem quoque (si opus fuerit) fundendum pro defensione Virgineæ à labe originali immunitatis. Neque ignoro, hæc vota (ut vocant) *sanguinaria*, fuisse impugnata magna contentione, fuisse quoque defensa non minore eruditione, & soliditate, quam fervore; sed etiam scio, hæc vota non traxisse originem ex approbatione Romana aliquarum Revelationum privatarum, ut patet in Tractatibus de hac re editis. Sanè hæc Vota fluunt tam-

quam ex fontibus, ex certitudine non quidem fidei, sed morali ipsius Mysterii proximè definibilis, ac ex cultu eidem ab Ecclesia impenso, ut palam ex dissertatione Theologica de hac materia à sic dicto Candido Parthenotimo Siculo S. Theologiæ Professore edita, & aliis de isto voto præclarè, & piè scribentibus, singulariter id clarè deducitur ex nuperimè Tridenti edito insigni opere Vindicante Votum illud, quòd vocant Sanguinarium contra Crises Trinominis Auctoris, id est, *Lamindi Pritanii*, *Antonii Lampridii*, ac *Ferdinandi Valdesii*. Auctor istius lectu dignissimi Libri se dicit Octavium Valerium. Atque adeò, si Vota ista in Sicilia nuncupata, ubi usque in hodiernum diem frequentantur, non sunt orta ex approbatione positiva Revelationum privatarum, neque alibi ex tali approbatione orientur. Quibus equidem satis factum est objectioni; sed timeo, ne non etiam fecerim satis, & pietati erga Virginem illibatam, & voluntati D. Eusebii Amort, qui hac repetita, ut potè minimè ad propositum pertinente, & vi attracta mentione Voti hujus pro tuenda Immaculata Conceptione Virginea usque ad effusionem sanguinis, & mortem, primò videtur velle ostentare suam eruditionem, & notitiam, quam de hoc Voto habet; secundò conatur illud implicitè faltem reprobare, dum tamquam malum Christianis timendum proponit. Si cuti primò ceu meræ vanitati immorari operæ præmium non est, ita alterum omnino transire haud oportet.

Atque ante omnia Anti-Agredano salutaris moniti loco in aurem dicere licet sequentia verba, quæ Lamindo Pritanio sic se vocanti inculcavit mox laudatus Candidus pag. 29. inquiens: *Præclarius opinor, se gesisset Pritanius (ego ajo D. Amort) si suam in hanc messem non immisisset falcem: rationem hujus*

addere volui petendam ex eodem Candido pag. 7.
num. 7. ubi hæc scribit: *Hisce votis, ac juramentis,
eorumque incremente in dies consuetudine, facile dictu non
est, quantum incrementi cœperit pietas in Deiparam sine
labe conceptam, quam profundas radices in voventium ani-
mos egerit Virginea immunitatis persuasio.* (N.B.) *Hinc
factum est, ut quotquot aversos habuerat ejusmodi immu-
nitatis, eosdem hostes experta sint immunitatis vota, & sa-
cermenta.* Hæc Candidi dicta candidè insinuare volui
D. Amort, ne impugnando vota ista se ulterius sus-
pectum reddat de sinistra erga cultum, vel Myste-
rium Immaculatae Virginis &c. opinione. Si ulte-
rius quid desideret Benevolus Lector de præsenti ma-
teria, consulere placeat Tractatus, qui tam piè, quam
doctè pro his votis sunt editi ab exteris, & Francisc-
canis, præsertim recentissimum Tridenti vulgatum, &
præcedente numero indicatum.

66 Ne verò penitus jejunè videar pertractasse
objectum pulcherrimum, & foecundissimum, duas ra-
tiones ex insigni Libro à Clarissimo P. Benedicto
Plazza Panormi primùm 1747. impresso, & *Causa
Immaculatae Conceptionis* inscripto, perpendendas Maria-
no Lectori offero, quibus confici videtur, quod sim-
plex votum defendendi illibatam Conceptionem affe-
rat obligationem tuendi eam (defensione scilicet ne-
gativa, seu non abnegandi illam) usque ad extre-
num mortis discrimen, atque adeo usque ad san-
guinem. Argumenta illa apud laudatum Plazza act. 7.
art. 3. num. 3 i 4. sic sonant. „ Primum argumen-
„ tum: Non aliud mortis discrimen defendendi
„ piam sententiam imminentem potest, quam ab aliquo
„ impensisimo Tyranno, qui necem minitetur, nisi
„ & contra legem Pontificiam, & contra votum serio
„ asseras, B. Virginem cum originali peccato con-

„ ceptam fuisse. Tam barbarum facinus ab hoc tyran-
 „ no non in alium finem intentari , prudenter præ-
 „ sumere possumus , nisi in odium , seu contemptum ,
 „ vel legis Pontificiae , vel voti , vel saltem pii sen-
 „ sūs , & cultūs Immaculatæ Conceptionis (uterque
 „ enim pius declaratus est ab Ecclesia); cùm ergo hu-
 „ jusmodi contemptus sit intrinsecè malus (contemp-
 „ tus enim non tantum legis , sed & cuiuscumque
 „ pii operis ex se malus est), ne huic contemptui ob-
 „ secundemus , mors utique nobis est eligenda.

67 „ Alterum argumentum : qui piam senten-
 „ tiā , interposita voti , vel juramenti religione de-
 „ fensurum se spondet , sibi firmiter persuadet , illam
 „ esse veram , q̄tin ad hanc intimam persuasionem
 „ auferendam vis ulla extrema sufficiat. Veniat ergo
 „ tyrannus , & necem tibi comminetur , nisi asseve-
 „ res , piam sententiam esse falsam , affirmando , B.
 „ Virginem originali peccato infectam fuisse. Si mo-
 „ rem geras , nonne reluctante conscientia falsum
 „ crimen SS. Dei Genitrici affinges , ac veluti falsum
 „ testimonium in eam dices ? Sed quid de falso testi-
 „ monio sentit Lampridius ? (N. B. Lampridius ut
 „ supra dixi , acerrimè impugnavit vota tuendi Im-
 „ maculatam Conceptionem , usque ad sanguinem)
 „ Veniat , inquit , impius mortem nobis comminandō , nisi
 „ falsum testimonium dicamus , &c. minime ob-
 „ temperandum est , fortiter vita danda est. Hoc argu-
 „ mentum probat , non solum voventi , sed etiam
 „ cuicunque firmiter sustinenti piam sententiam ,
 „ obligationem adesse eam defendendi usque ad san-
 „ guinem , ut de se ipso luculenter testatur Henri-
 „ cus Spondanus tom. I. Contin. Annal. Baron : ad
 „ annum 1350. num. 4. qui narrata repentina mor-
 „ te cuiusdam Pauli publicè concionantis Cracoviæ

„ contra piam sententiam subjungit : Nos sanè pro
 „ assertione Immaculatissimæ Conceptionis Deiparæ
 „ Virginis , ejusque propugnatione paratissimi esse
 „ mus , toties vitam profundere , quoties contingit
 „ ret , eam in dubium vocari , idque ex toto animo
 „ scribimus , & profitemur , &c .

Hæc duo sunt argumenta , quæ pensanda relinquo cuivis eruditio Lectori. Cæterum ea mihi insedit opinio , neque in Bavaria deesse tam magnanimos Illibatae Marianæ Conceptionis assertores , qui pro ea tuenda vitam , & sanguinem fundere sint parati , quibus , & lubens accedo , licet illis annumerari fortassis timeat D. Amort.

ARTICULUS IV.

EXCUTITUR SEXTUM PUNCTUM

Excusionis Primaæ Partis.

68 **P**unctum sextum tale est apud Criticum pag. 28. „ Sexto dolet (Apologista) „ art. 3. quod in Historia Controversiæ Agredanæ „ omiserim *Responsiones doctas* Postulatoris in Causa „ Agredana ad objectiones Reverendissimi , ac Illusterrissimi Promotoris fidei , dolò ne , an metu sic egerrim , se ignorare fatetur. Potuisset tamen , ac debuisse scire , me nec dolo , nec metu ad eam omissionem permotum esse , cum earundem responsionum meminerim , atque pro omissionis causa ipsarum earum insufficientiam ad acquiesendum respopsis , prout SS. Dominus Noster in sua ad Ministrum Generalem Epistola declarat , aperte reddiderrim. At verò Apologista discurrit. Sanctissimus Dominus Noster responsiones illas doctas vocat ,

„ sicut doctissimæ , non renuo. At num ex eo , quod
 „ doctæ sint , sequitur eas propterea à Summo Ponti-
 „ fice sufficietes repertas esse ad acquiescendum ref-
 „ ponitis sine novo examine Causæ Agredanæ ? Id
 „ adeò non sequitur , ut Pontifex in sua Epistola ma-
 „ nifestè contrarium declareret , dum actu institui no-
 „ vum examen præcipit. Non itaque obligatus eram
 „ ad inferendum meæ Historiæ integrum Tomum
 „ Responsionum insufficientium , molestum emptori.
 „ Sperabam hanc accessionem Causæ Agredanæ rec-
 „ tiùs imponendam Patronis , & Marsupiis Agreda-
 „ nisi. Eodem loc. fol. 24. Apologista fatetur in fine,
 „ se textibus Italicis ex Civitate Mystica desumptis
 „ substituisse Latinos , prout hi in Versione Latina
 „ Augustana leguntur , paucis exceptis , nimirum iis ,
 „ in quibus Italica , & Latina Versio inter se , vel
 „ utraque à textu Hispanico discordare videtur. Sub-
 „ sistamus paulisper. Fatetur proin Apologista , tam
 „ Versionem Italicam , quam Latinam in aliquibus
 „ locis à textu Hispanico discordare. Si discordat ute-
 „ que textus , cur me corruptionis , imposturæ , & fal-
 „ sœ expositionis convictum arguit ? An erat corrup-
 „ tor , impostor , & falsationis reus ipsem Postulator
 „ in Causa Agredana , dum Summo Pontifici , & Emi-
 „ nentissimis Patribus Versionem Italicam falsam à
 „ textu originali discordantem nomine totius Ordini-
 „ nis in Defensionem Causæ Agredanæ allegat ? An
 „ corruptor , impostor , aut falsationis reus ipsem
 „ Interpres Latinus eximium Ordinis Seraphici decus ,
 „ dum textum Latinum à textu originali Hispanico
 „ discordantem toti Orbi obtrudit ? Si autem hi , nec
 „ impostores , nec corruptores , nec falsarii jure me-
 „ ritò dici possunt , dum ille Versioni Italicae credi-
 „ dit , & iste sensum textus Hispanici non recte est
 „ affe-

„ affecutus , nec mihi impostoris, corruptoris, aut fal-
 „ sarii pessimum nomen sine gravi calumnia congruit,
 „ dum Versioni Germanicæ sine suspicione notabilis
 „ variationis, in aliis Versionibus timenda, credidi, aut
 „ quia Versionem Germanicam immediatè ex idioma-
 „ te Hispanico à sæculari Presbytero probo, ac in-
 „ differenti factam , neutiquam inferiorem , ac infide-
 „ liorem Versione Latina à membro Seraphici Ordin-
 „ nis adornatam , judicandam censui.

„ Ibidem à fol. 25. usque ad fol. 29. Apologista
 „ assert responſiones Postulatoris in Causa Agredana,
 „ quas ad objectiones Reverendissimi , ac Illustrissimi
 „ Promotoris fidei coram Summo Pontifice , ac Emi-
 „ nentissimis Patribus proposuit. Miror , quòd Apo-
 „ logista proponere voluerit responſiones sine objec-
 „ tionibus , cum tamen mihi vitio verterit , quòd pro-
 „ posuerim objectiones sine responſionibus. Hæ certè
 „ sufficenter intelligi nequeunt , nisi in meo opere,
 „ cui titulus : Historia Controversiæ Agredanæ , le-
 „ gantur ipsæ objectiones Reverendissimi Promotoris
 „ fidei. Quomodo enim in Philosophia , aut Theolo-
 „ gia rectè intelligi poterunt solutiones objectionum,
 „ aut ferri rectum de earum soliditate , aut infirmita-
 „ te judicium , nisi cum ipsis objectionibus attentè
 „ conferantur? Ad eas itaque Lectorem remitto , at-
 „ que Apologistam interrogo , quid Patroni Causæ
 „ Agredanæ evincere per omnes has responſiones so-
 „ litarias conentur , aut evictum putent? Respondet
 „ Apologista Part. I. Art. 2. P. 2. num. 18. fol. 19. ni-
 „ hil aliud postulari , quām probabilitatem Revela-
 „ tionum Agredanarum , sic enim scribit: quòd Agre-
 „ dani nihil aliud postulent à Sede Apostolica , quām
 „ ut Revelationes hæ approbentur ceu probabiles , ex
 „ actis Causæ Beatificationis infra ponendis , sole me-

„ ridiano clarius est. Ex hac confessione liquet, à Pa-
 „ tronis Causæ Agredanæ nihil aliud quæri, nisi ut
 „ ipsis concedatur probabilitas Revelationum Agre-
 „ danarum. Si loquantur de probabilitate singularium
 „ responsionum præfatarum, spectando eas seorsim,
 „ transmitti forte posset, quod postulant; at vero si
 „ sermo sit de probabilitate omnium earum respon-
 „ sionum simul sumptarum, nulla omnino concedi
 „ potest tot propositionum seorsim fallibilium unifor-
 „ mis, ac simultanea veritas, seu quod idem est simul-
 „ taneæ uniformis veritatis probabilitas. Etiamsi in
 „ alea probabile sit, me quovis determinato jaclu jac-
 „ turum numerum parem, non tamen probabile est,
 „ me centum jaclibus semper jaclurum parem nume-
 „ rum, quia contingentia non procedunt uniformiter;
 „ & prout Tertullianus loquitur, in multis eventibus
 „ non est idem exitus. Pari igitur ratione, cum in-
 „ ter tot responsiones, quarum quælibet potest fallere
 „ seorsim, difficulter præsumi potest, nullam contin-
 „ genter fallere. Et sicut non est probabile, hominem
 „ inter tot mille mortis pericula probabilia evasurum
 „ simul omnia, ita non est probabile, inter mille ar-
 „ gumenta fallibilia, nullum fallere. Itaque ex eo,
 „ quod Patroni Causæ Agredanæ ad objectiones Re-
 „ verendissimi, ac Illustrissimi Promotoris fidei red-
 „ derent responsionem probabilem, minimè conseque-
 „ retur, complexum omnium responsionum esse pro-
 „ babile; ex additione enim probabilitatum multipli-
 „ cantur casus fallibiles, quorum uno deficiente tol-
 „ litur veritas, & multiplicato numero causarum falli-
 „ bilitum decrescit probabilitas, seu credulitas. Dixi,
 „ si redderent; neque enim omnes earum responsio-
 „ nes probabiles censeo. Earum tamen probabilita-
 „ tem, vel improbabilitatem discutere superfluum du-

, co , quamdiu abundant alia de falsitate Revelatio-
,, num Agredanarum indubia indicia. Sic perorat An-
ti-Agredanus.

DEFENSIO.

69 **I**N præsenti Puncto Sexto Criticus , præter alibi confutata, nil nisi quædam nova falsa assert. Hinc breviter expediendus est. Primò ait , se meminisse Responsionum earundem Postulatoris Causæ , à se omissarum , atque pro omissionis causa ea- rundem insufficientiam ad acquiescendum illis , apertè reddidisse. Verum est , meminisse Responsionum illarum in Præfatione Controversiæ , sed ita frigidè , ac tam transeunter , ut ignoret quispiam , quid intelligat per memoratas Responsiones , an intelligat tantum illa R. P. Prudentii in Causa Agredana Postulatoris acta , quæ ipse D. Amort inferuit suæ Controversiæ , an quid aliud , maximè quia non addit , se responsa illa omis- sisse. Solùm enim ait in Controversia in Præfat. pag. 28. *Ex ista (Epistola SS. D. N.) colligitur , Responsiones Postulatoris in Causa Agredana tanti momenti non esse , ut deputatis Theologis , & ipsi Summo Pontifici pro voto , & postulato Agredistarum sufficerint.* Quibus minimè signifi- ciat , se responsa illa omisisse , multò minus sc hæc di- cere pro reddenda causa omissionis illius. Quare Ad- versarius hæc iterum falsum dicit. Sanè dum pauca hæc verba in Controversia obiter dicta legi , non ad- verti statim , à Critico esse dissimulatas , & omissas Responsiones Postulatoris ad Animadversiones Illus- trissimi fidei Promotoris , donec ex ipsis actis expli- catis , quid circa ea fuerit actum , didicerim. Id , quod aliis de ista causa nihil scientibus facilius potuit acci- dere. Hinc si D. Amort voluisse candidum , & verita- tis

tis amantem Criticum se ostendere, debuisset aper-tam actorum, & eorum omissionis mentionem face-re, vel ea integra cum objectionibus, & harum solu-tionibus referre, aut integra prætermittere. Neque se satis excusat Amortius per plures expensas faciendas &c. si responsa quoque Postulatoris suæ Controversiæ inseruisset. Ingenui enim, & sinceri Auctoris est, do-cumenta, quæ adducit, & ad rem apprimè faciunt, contemptis etiam sumptibus majoribus, vel integra re-censere, vel prorsus omittere, ne iis integrè non pro-latis, de illo, de quo scribitur, male judicetur, aut Lector seducatur.

70 Secundò non renuit, Responsiones Postula-toris esse doctas, non existimat tamen, eas propterea quòd doctæ sint, à Summo Pontifice sufficientes esse repertas ad acquiescendum illis sine novo examine Causæ Agredanæ. Hic aliqua iterum recoquit Criti-cus, quæ jam satis sunt soluta in Epistola SS. D. N. BENEDICTI XIV. ad Reverendissimum M. Genera-lem, in qua indicantur puncta, quæ examinanda su-persunt, inter quæ tamen non memorantur Respon-siones illæ Postulatoris causæ, utpote quæ jam rigide examinatæ, & ab ipso SS. Pontifice ut doctæ sunt commendatæ. Ex hoc autem, quòd ceu doctæ, per consequens ut prudentes sint agnitæ, sequi dixi, quòd, per animadversiones illis contrarias, Revelationes Agre-danæ non fuerint violentis præsumptionibus gravatæ. Hoc Punctum præcipue pag. 20. & seq. Justæ Defen-sionis meæ probandum assumpsi, & ad hoc ex princi-piis juris ibi stabilitum respondeat Adversarius, si ve-lit meam Defensionem impugnare.

71 Tertiò manifestè falsum est, quòd referens partem actorum Agredanorum omissis objectionibus, & Animadversionibus Illustrissimi, & Reverendissimi

fidei Promotoris solas Responsiones Postulatoris Causæ inferuerim Defensioni meæ; falsum hoc esse quilibet comperiet, qui dignabitur acta illa in prima Defensionis Justæ parte volvere. Sed quid judicemus modò de D. Amort? Hoc, quod vel meam Defensionem, quam tamen refutare vult, non integrè, nec obiter quidem, evolverit; nam si tantum transeunter eam lustrâset, objectiones illæ in oculos illius incurrisserint: vel quod contra agnitam, & in actis illis visu percep-tam veritatem falsum dixerit.

72 Quartò ait, me fateri, quod Versio Italica, & Latina Civitatis Mysticæ in aliquibus locis discordent à textu Hispanico. Ad ista, & alia, quæ de hac materia ab Anti-Agredano hic repetuntur, jam respondi in præsenti opusculo num. 51. quæ ibi videri pos-sunt.

Quintò tandem repetit rem in mea Defensione prolixè satis discussam, solutis quibuscumque scrupulis, quos hic ideò innovat, quia credibiliter totam meam Defensionem, quam modò ait se excutere, non legit, multò minus ejus argumenta ritè ponderavit. Oro, velit amicus Lector relegere illa, quæ à pag. 813. ferè usque ad finem meæ Justæ Defensionis disputavi, & ibi reperi et excussum omni ex parte jam esse, quid-quid iterum in hac sua excussione profert. Specialiter lubeat recolere, quæ à pag. 821. dicuntur. Et utinam sibi tantum D. Amort imprimeret, quod Revelatio-nes privatæ soleant approbari eodem modo, quo mul-torum aliorum Libri, & Sanctorum Historiæ, & le-gendæ licentiantur legi fidelibus, ut ait SS. D. N. BE-NEDICTUS citato loco laudatus. Si hoc enim sibi notaret Criticus, posset sic discurrere: Libri mei, & aliorum Scholasticorum, ac Historicorum possunt legi, neque debent prohiberi, etiamsi plurimas, imò ple-ras-

rasque probabiles sententias contineant, & quamvis ex his sententiis probabilibus fortè una, & altera in se, & re ipsa falsa sit, & sic tota collectio omnium sententiarum non sit vera: ergo idem dicendum de Revelationibus Agredanis, & aliis privatis, quia hæc eodem modo approbantur, & permittuntur legi, sicut mei, & aliorum Scholasticorum, ac Historicorum Libri.

73 Unum istud argumentum confringit totam vim Responsonis Adversarii, qui satis mirabilis mihi in suo discursu appetet, dum ita loquitur: *si sermo sit de probabilitate omnium earum Responsonum simul sumptarum, nulla omnino concedi potest tot propositionum seorsim fallibilium uniformis, ac simultanea veritas, seu quod idem est, simultanea uniformis veritatis probabilitas.* Mirabilis sane, ac necdum auditus modus loquendi, quòd idem sit: *uniformis, ac simultanea veritas, & simultanea uniformis veritatis probabilitas.* Licet probabilitas fundetur in gravi motivo, haec tamen apud Doctos non fuit eadem, ac veritas: quia omne probabile subjacet periculo falsitatis, & sèpè illud, quod gravibus quoque nixum videtur fundamentis, & verè probabile est, actu, & re ipsa falsum est: ita Alvarez Archi-Episcopus Tranensis solvens objectiones contra Revelationes S. Theresiae Censura quinta ait ex Aristotele: *multa falsa sunt probabiliora veris, adeoque potest haberi multarum, imò innumerarum Propositionum seorsim fallibilium, seu probabile uniformis, ac simultanea probabilitas, seu verisimilitudo, quin habeatur earum simultanea veritas.* Pluribus hic opus non est, qui tamen plura petit, consulat civitatis locis meam Justam Defensionem Revelationum Agredanarum. Ast, ut dixi, istud dedi tantum Critico, quia ad ejus argumentum prosternendum sufficit, ne-

que

que volui exceptionem facere circa Revelationum plurium complexum, quæ licet fortè fieri posset, necessaria tamen haud est ad responsionem, ac instantiam istam Amortianam dissolvenidam.

Tandem Adversarius Responsiones Postulatoris
Causæ Agredanae non censet omnes esse probabiles.
Ergo proptereà non sunt omnes probabiles? Absit
hoc. Sufficit, quòd SS. D. N. BENEDICTUS XIV.
eas omnes, nulla exceptione facta, laudârit, *ut doctè*
appositas, per consequens ut prudentes, & probabili-
les. Judicium Amortianum, quod in Causa Agredana
malè affectus animus plurimùm pervertit, haud con-
siderandum est. Affirmet ille, asserta Agredana non
esse probabilia, & jaëtet abundare alia indubia de fal-
sitate eorum indicia; id tamen iis non oberit, dum
modò alii, qui mente indifferentiæ Civitatem Mysti-
cam lustrant, pro iis sentiant. Noverit quoque Criti-
cus solo contemptu, quo plerumque Revelationes
Agredanas, & earum vindicias explodit,
non solvi argumenta.

Agredanas, & earum vindicias explodit,

non solvi argumenta.

C A P U T II.

EXCUTITUR EXCUSSIO PARTIS
secundæ Adversarii.

ARTICULUS UNICUS.

PONITUR TEXTUS ANTI-AGREDANI,
& succinè refellitur.

74 **A**dversarius ita loquitur : „ In Parte Se-
cunda Apologista solum reimprimit
Catalogum plus quam octoginta corruptionum cir-
ca textum, & sensum Agredanum, quem Gonzalezius
imprudenter ediderat, at mea Historia Controversiæ
Agredanæ abundè falsitatum convicerat. Quid
agam? Repetanne & ipse meas huic Catalogo Gon-
zaleziano appositas vindicias? Non repetam. Lec-
torem tamen rogatum velim, ne circa imputatio-
nes tot falsitatum, sibi Lectoris ingenui nomen, aut
æqui Judicis partes assumat, nisi affirmare queat, se
præfatas meas non percurrisse, sed perlegisse vindicias.
Una sola est corruptio prætensa, quam novus Apo-
logista præ cæteris vocat notabilem, cui proin hoc
loco propria, ac specialis debetur responsio.

„ Part. 2. fol. 253. sic scribit: Octogesimò secundò
impingit falsò Scriptis Agredanis, quod secundum ea
Christus in Baptismo omnibus baptizandis impetrârit ge-
neralem extasim. Est hec corruptio notabilis, ubi quoque
plura de recurso Adversarii ad Versionem Germanicam,
qua hic eum nullatenus salvat, dicuntur. Vide à num.
882. Et in Præfato num. 552. Apologista sic scribit:

Re-

„ Recurrit hic quidem Adversarius ad consuetum suum.
„ asylium Versionem Germanicam, verum in ea haud re-
„ perit speratam immunitatem ab omni labe, vel incuria,
„ vel fictionis, nam licet error typi in Versionem Germa-
„ nicam irrepserit, & loco veniae Verzeichung sit posita
„ vox extasis Verzückung, in idiomate Germanico paucis
„ litteris à priore distincta, hunc tamen errorem prudens
„ Lector, qualis est Anti-Agredanus, corrigere potuisse
„ set, & debuisse. Fateor, errorem hunc Typogra-
„ pho erranti à me tribui potuisse, & debuisse, nisi
„ ipsæmet Revelationes consimilem extasim multis in-
„ fantium millibus ab Herode occisis tribuissent. Do-
„ cent enim, omnes infantes occisos ab Herode eli-
„ cuisse actum Fidei, Spei, & Charitatis per modum
„ dispositionis ad Baptismum suum sanguinis. V. Ma-
„ ria de Agreda part. 2. lib. 4. cap. 27. num. 678. sic
„ scribit: B. Virgo agnovit, quod omnibus illis in-
„ fantibus (ab Herode occisis), quamvis ad summum
„ aliqui eorum duos atatus annos, alii tantum octo
„ dies, alii diuos menses, & alii sex menses plus vel
„ minus habuerint, usus rationis fuerit concessus, &
„ quod illis profundissima agnitus Divinæ Essentiae
„ cum perfecto amore, Fidei, & Spe fuerit infusa,
„ quibus Heroicos actus Fidei, reverentiæ, amoris,
„ & compassionis erga suos parentes elicuerint. Ita
„ habent Revelationes Agredanæ. Quis non videt, in
„ hoc textu infantibus Bethleemiticis tribui quod-
„ dam genus extasis, nisi velimus litigare de nomine?
„ Quomodo enim Divina Essentia profundissimè ag-
„ nosci, aut Mysteria Fidei ab infantibus disci, &
„ uniformis omnium assensio subsequi potuerat sine
„ quodam genere extasis? Si ergo Revelationes Agre-
„ danæ talem extasim agnoscunt in illis infantibus, an
„ non primum erat, dubitate saltem, an non etiam

„ ad-

„ admitteretur consimilis extasis in aliis infantibus, sic
 „ testante Versione Germanica? Meum igitur non erat,
 „ supponere tamquam alienum à mente Ven. Scrip-
 „ tis eum textum Versionis Germanicæ, qui con-
 „ formis erat ejus principiis, & exemplis. Ex his pa-
 „ tet, corruptionem præ cæteris notabilem, in qua
 „ Apologistæ Agredani me convictum toties clami-
 „ tant, non hæcere nisi in eorum phantasia. Crimine
 „ ab uno, benevole Lector, *disce omnes* circa corrup-
 „ tionum cæterarum spectra inania, & si ingenui no-
 „ men merito prætendis, aut soppone de ingenuo
 „ meliora, aut lege meas in Historia Controversiæ
 „ Agredanæ vindicias. Hæc sunt Adversarii dicta.

DEFENSIO.

75 **B**Enè, optimè facit D. Amort, quòd vindicias suarum non paucarum, nec parvarum falsationum, & corruptionum textūs Agredani non repetat amplius: eas enim commisissé, & vel semel pertinaciter defendisse jam sat piaculi habet. Dein actum ageret, quidquid ageret pro excusatione illarum: sunt enim tales, quæ etiam palpari queunt ab illis, qui non solùm meum Catalogum corruptio-
num in parte secunda meæ justæ Defensionis percur-
runt, verùm & numeros ibi significatos explicant, & attenta mente legunt. Sicut ergo Criticus ad suas vin-
dicias Controversiæ Anti-Agredanæ insertas Lecto-
rem remittit, ita eundem rogo, ut & meæ Defensio-
nis Partem Secundam adire, ibique in Præfatione, &
Conclusione notata observare, ac tandem arbitrari
velit, quis æquiorem foveat causam, Criticusne in
committendis, & dein negandis, an verò Agredani in
imputandis illis corruptionibus?

76 Quæ reddit Criticus ad explicatam à me admodum notabilem corruptionem textū Agredani, verba sunt prorsus inania. Unum id præstitit subdolis Criticus, ut nempe vim meæ Defensionis debilitaret, eam mutilavit, paucula ex ea retulit, majora, quibūs priora confirmantur, subticuit. Multiplex erat motivum, quo speratam Adversario immunitatem in asylo Versionis Germanicæ denegavi. Unum tangit, reliqua omittit. Sed strictim attingam singula; prolixius tractata benevolis Lector in fonte suo pag. 752. justæ Defensionis hauriet. Primo itaque mendum Typographi irreplisse Versioni Germanicæ citato loco, qui vis advertit, qui textum totum legit, sed hunc prudens Lector emendat, non autem inde ansam atripit, falsum sensum affigendi Auctori. Secundò in promptu adfuit medium etiam aliud notandi, & emendandi erratum ejusmodi Typographicum, nimirum Versio Latina Augustana. Si hanc, imò & alias adhibuit Adversarius ad defendendum suum honorem contra Gonzalezium, quare non etiam iis usus est ad impugnandam Civitatem Mysticam, & invadendum honorem alienum Ven. Scriptricis? Tertiò ipsa excusatio Adversarii ab Interprete (qui in opinione Adversarii est Presbyter eximiè probus, & doctus) petita, ipsum accusat, & condemnat; de tali enim Interprete non est præsumendum, quod doctrinam adeò affinem pestifero Lutherano dogmati, mediante Versione voluisse juris publici facere, si illam in Civitate Mystica legisset. Quartò credi non potest, quod Augustanus, & alii Librorum Censores, ac viri gravissimi, qui probavere Civitatem Mysticam, voluissent, aut potuissent approbare tam absurdum assertum. Quintò tandem vocabulum istud *Verzückung* esse merum errorum Typi, ipsa Versio Germanica demonstrat, dum

ante illas voces *Allgemeine Verzuchung* ponit Litte-
ram Latinam N. quæ designat textum ex 1. Petri 3.
v. 21. ad calcem allegatum, non loquentem de ali-
qua extasi, benè de salute animæ, & emundatione
conscientiæ, ac remissione peccatorum per Baptis-
mum. His ergo ex capitibus, amplius citatō locō De-
fensionis justæ declaratis, Adversarii refugium ad Ver-
sionem Germanicam nihil ipsi prodesse affirmavi, &
affirmo adhuc, & quidem eò confidentius, quo ma-
jus pondus his meis rationibus ipse Adversarius inesse
tacitè insinuat, dum illas nec referre quidem, multo
minus refellere audet.

77 Dum verò priora mea motiva transflit, con-
fidit, se ac honorem suum servatum iri alio novo ra-
tiocinio, ab infantibus Bethleemiticis per Herodem
occisis emendicato. Verùm, quòd neque infantes
pro ipso pugnant, potuisset discere ex dictis in justa
Defensione pag. 746. ubi tota hæc Adversarii objectio
jam est soluta. Repeto aliqua ibi asserta. Nunquid in
S. Joanne Baptista, & B. Virgine adhuc infantibus,
& in utero materno jacentibus, per miraculum antici-
patum esse usum rationis, gravissimi testantur Docto-
res? Jam si ex hoc eorum asserto aliquis inferre vellet,
etiam in reliquis omnibus infantibus, dum baptizan-
tur, usum rationis esse, nonne sic inferens verè in-
fans esset in rebus Theologicis? Si ergo ex hoc mi-
raculo privilegio B. Virgini, & S. Joanni Baptistæ
asserto, non licet prudenter ad ordinarium cursum
gratiæ argumentari in omnibus omnino infantibus, id
neque licebit facere in altero miraculo, & favore ex-
traordinario infantibus ab Herode occisis adstructo.
Atque adeò, etiamsi Revelationes agnoscissent aliquam
extasim (si ita appellari debet usus rationis anticipatus)
in infantibus ab Herode occisis, illis per speciale pri-
vile-

vilegium, & miraculum indultam, attamen inde prudenter inferri nequit, quod idcirkò etiam agnoverint in infantibus omnibus, dum baptizantur, per cursum ordinarium gratiae dari ejusmodi extasim. Ast Criticus ipse veretur id inferre, ait enim solùm: *Si Revelationes talem extasim agnoscunt in illis infantibus, an non pronum erat dubitare saltē, an non etiam similis extasis admittatur in aliis infantibus?* Ergo pronum erat dubitare; nolo disceptare, an hoc dubium prudens, ac fundatum sit, sic duntaxat discurro. Si pronum erat dubitare, certum non erat, quod Ven. Scriptrix talēm extasim universalem ibi intellexerit: sed si mere dubium, & certum non est, qui sine ulla restrictione, & limitatione ejusmodi absurdum, & Lutheranis favens assertum, potest impingi Venerabili Scriptrici Personæ in fama sanctitatis defunctæ, cuius scripta à tot viris doctrina, & pietate, ac dignitate Ecclesiastica summè conspicuis sunt plurimū commendata? In dubio nemo præsumitur malus; neque D. Amort præsumere debuisset malignum dogma stante dubio, sed in id incumbere, ut in certam rei veritatem deveñiret, consultis etiam aliis Versionibus, quas in Diocesi Augustana facile habere potuisset, ut in lingua Hispanica, qua Ven. Scriptrix conscribendo Civitatem Mysticam usa est, & Latina, quæ jam pluribus annis Augustæ, ante editas Observationes Anti-Agredanas, impressa fuit. Profecto si Adversarius pro Defensione sui honoris novit omnia convasare ex Versionibus Latina, Hispanica, Gallica, Italica, & Germanica, cur non & plures etiam Versiones adhibuit, dum alienum honorem Ven. Scriptricis, & tot gravissimorum Censorum aggressus est, maximè quando dubium erat de aliquo verbo, vel textu sensum non sanum faciente? Veritatis studium exigit, ut in du-

bio, singulariter dum agitur de fama alicujus, non statim illud effutiatur, quod male affectus animus suggerit, sed ut suspendatur calamus, & prius omni, qua potest fieri diligentia, in certam veritatem inquiratur. Vide sis amice Lector, quomodo Criticus hic Anti-Agredanus oleum, & operam perdat, cum abo-
lere nititur maculas corruptionum, quibus sua Scrip-
ta Anti-Agredana contaminavit. Spectra non sunt
inania, nisi forte in phantasia illa, à qua ortum
suum habuere. Sunt veri errores, qui uti virum Re-
ligiosum, ac Theologum maximè dedecent, ita om-
nibus veritatis amatoribus summè displicere debent.
Non possumus de Auctore eorum (ut ut id praten-
dat) supponere meliora, qui continuò malis priori-
bus pejora addit.

C A P U T III.

EXCUTITIUR EXCUSSIO TERTIAE
Partis.

UT Criticus, fuce quodam apparentis veritatis, vitia Chronologica manifesta occuleret, statim recitandam sic vocatam Excusionem Tertiae meæ Partis conscripsit. Spongiam igitur modestæ refutationis applicabo, & absterso fuce, apertas Adversarii falsitates, & nudam Agredanæ Historiæ veritatem, saltem probabilem exhibeo, quem in finem sit

ARTICULUS I.

PERPENDUNTUR DICTA PRIMA
Excussionis Tertiæ Partis.

78

QUÆ sic sonant: „In hac Parte Tertia „Apologista argumentum meum non „infimum aggreditur, quo ostende- „ram, falsitatem Ærè Vulgaris esse morali certitudi- „ne demonstratam. Sic enim argumentum meum „expressi. Revelationes hæ non conveniunt cum „principiis Chronologiae moraliter certis. Ergo. Ant. „prob. Moraliter certum est, mortem Christi incide- „re in annum Ærè Vulgaris 28. atqui hę Revelatio- „nes non conveniunt cum anno 28. Ergo. Min. „prob. Hæ Revelationes ponunt eas notas charakte- „risticas, quæ ostendunt, Christum obijisse anno 34. „Ergo. Ut demonstrarem antecedens, collegi ex Re- „velationibus Agredanis notas Temporum charakte- „risticas, quas manifestè ostendi, cum nullo alio anno „Ærè Vulgaris posse combinari, nisi cum anno Ærè „Vulgaris 34: eas notas characteristicas Lector be- „nevolutus ad finem Excussionis præsentis reperiet. „Quo se vertunt Agredani ad declinandum hoc argu- „mentum? Sentiunt difficultatem evadendi telum, „jamque per biennium, quo siluerunt, tentarunt vias „omnes. Nunc tandem prodit Apologista, qui suis „Agredanis duas effugiendi vias retegit. Afferit pri- „mo, falsitatem Ærè Vulgaris necdum esse à næ de- „monstratam; verū quia advertit, machinas pro- „evertenda demonstratione tam solida, nimium esse „fragiles, afferit secundò Ven. Scriptricem non se- „„qui

„ qui Æram Vulgarem. Videamus, quid novi robō.
 „ ris subsit huic novo effugio, post desperatam causam
 „ residuo.

„ Primo audacter negat, quod Ven. Scriptrix se-
 „ cuta sit Æram Vulgarem, nec tamen verbulo, non
 „ dicam solvit, sed nec attingit totum, ac unicum
 „ demonstrationis meæ argumentum, ductum ex
 „ Agredanis notis temporum characteristicis. Ostendi
 „ ego in meis Tabulis, Agredanas notas temporum
 „ Characteristicas nulli anno alligari posse, nisi anno
 „ Æræ Vulgaris trigesimo quarto. Perdiderim cau-
 „ sam, si Benevolus Lector ullam in Apologista re-
 „ periat lineolam, qua hanc demonstrationem ver-
 „ bulo attingat, & his notis temporum characteristi-
 „ cis alium annum reperiat. Quamdiu hoc non præsti-
 „ terint Agredani, convictos se fatebuntur, quod Ven.
 „ Scriptrix in suis notis temporum characteristicis se-
 „ quatur Æram Vulgarem. Secundò conatur evincere
 „ principia, quibus demonstratio mea de falsitate Æræ
 „ Vulgaris innititur, admodum incerta, ac dubia esse.
 „ Ad hoc autem probandum afferit primò &c. Ita An-
 „ ti-Agredanus.

DEFENSIO.

79 **I**Ntium istud more omnium Scriptorum,
 & Tractatum Anti-Agredanorum ab
 Adversario, non tam confectorum, quam conficto-
 rum, partim vanè, & leviter, partim falsò dicta com-
 plectitur. Uni ex his, tamquam magis præcipuo, aliquat-
 liter inhærebo, cætera levi manu cursim tangam,
 cum jam ex Parte 3. Defens. Justæ attentè perlecta,
 eorum vanitas, & falsitas clarè pateat. Nam ex illa
 liquet falsum, & vanum esse Primò, quod Adversarius

in controversia, agens de Æra Christi, aliquid aliud demonstrârit contra Civitatem Mysticam, quām solam suarum putatitarum demonstrationum incertitudinem. Secundò, quòd Agredani, quo se vertant ad declinandum argumentum Amortianum, reperiant difficultatem evadendi telum. Quod subdit de biennali silentio Agredanorum, uti aliqua ex vanitate, & contemptu Franciscanorum profertur, ita forsan ex mente Adversarii veritati videtur repugnare, de quo superius dixi num. 6. Sed hæc leviora sunt, modò ad caput quoddam gravius.

80 Ait, me audacter negare, quod Ven. Scriptrix secuta sit Æram Vulgarem, nec tamen verbulo solvere, imò nec attingere totum, ac unicum demonstrationis suæ, scilicet fictitiæ, argumentum ductum ex Agredanis notis temporum characteristicis. Sed videamus, quis audacior sit, Criticus, an ego. Ille, dum hæc, quæ modo retuli, falsò dicit: an ego, qui ex ipso Catalogo Amortiano ostendi, quòd V. Scriptrix non sequatur Æram Vulgarem, imò hanc necessariò aliquibus annis præveniat. Perditam vult D. Amort esse causam suam, si Benevolus Lector ullam in mea Defensione reperiatur lineolam, qua hanc demonstrationem verbulò attingam. Stet ergo verbis suis Amortius, & tandem se causa cecidisse existimet ex propria, quam sibi ipsi dixit, sententia, postquam ostendero verbulum illud, & lineolam, quam in negotio Agredano plurimum cæcutientes oculi Anti-Agredani non viderunt. Antequam autem me data fide liberem, notet velim Criticus ex sua Controversia Anti-Agredana, & pag. ejus 113. ac sequente, inter notas characteristicas, quod Ven. Scriptrix sequatur Æram Vulgarem, ab ipso collocari, quòd Revelationes Agredanæ in computo annorum mundi, &

annorum Christi, sequantur Martyrologium Romanum, & conformiter huic dicant, Christum natum anno Mundi 5199. & passum esse anno Mundi 5233, verum ex hac ipsa nota characteristica, & ex Catalogo, quem Amortius suae controversiae inseruit, & demonstratum esse cupit, evidenter intuli, Civitatem Mysticam nec explicitè, nec implicitè inhærente Æra Vulgari, sed eam necessariò aliquibus annis prævenire.

Hoc præmisso, non unicum verbulum, aut linneolam, sed plures lineas ex meæ justæ Defensionis part. 3. pag. 259. & seq. repeto; sic ibi sum locutus:
 „ Ex titulo citato 3. partis Controversiæ Anti-Agre-
 „ danæ, & ex ipsa parte hac 3. ac propositione 1. in
 „ libro Observationum constat, Adversarium con-
 „ stanter imputare Ven. Scriptrici, quod sequatur in
 „ Civitate Mystica Æram Vulgarem, seu *Dionysianam*.
 „ Hoc autem à Scriptis Agredanis alienum, & sic eo-
 „ rum textum, vel sensum ab Adversario corruptum
 „ esse jam ostendit Gonzalezius num. 23. & 24. quod
 „ patet etiam ex hoc, quia fatente ipso Adversario
 „ fol. 113. Controversiæ: *Verissimum est*, quod Ven.
 „ Scriptrix nullibi faciat mentionem Æra Vulgaris ter-
 „ minis explicitis. Nunc vero evidenter demonstrabi-
 „ tur, quod neque implicitè Æram Vulgarem sequa-
 „ tur. Nam P. 2. num. 134. (uti eam citat Adversa-
 „ rijs) nec verbulum habet de Anno Christi, vel
 „ temporum calculo; contra vero num. 138. solum
 „ ait: *Quod Christus conceptus, & natus sit* (N. B.)
 „ prout supputat in *Martyrologio Romana Ecclesia*, à Spi-
 „ ritu S. directa; ista autem supputatio vera est, & certa,
 „ sic mihi insinuatum est, vel (ut habet *Versio Germanica*)
 „ revelatum est.

Pariter eadem part. 2. num. 1358. & 1359. tan-
 „ tum

„ tūm afferit , Christum esse mortuum anno ab Orbe
 „ condito 5233. die 25. Martii ; item Christum anno
 „ ab Orbe condito 5199. esse incarnatum 25. Martii,
 „ & natum 25. Decembris. His annis nati Christi,
 „ si jungas illos 33. annos , & tres menses, quibus in-
 „ ter homines agebat Servator, habebis ab Orbe con-
 „ dito usque ad mortem Christi illos 5233. annos.
 „ Tandem addit Ven. Scriptrix : *Porrò inter diuersas*
 „ *Doctorum opiniones illam veritati consentaneam esse di-*
 „ *dici , quam in Martyrologio Romano Sancta sequitur*
 „ *Ecclesia.* Ipse quoque Adversarius in sua Controver-
 „ sia pag. 113. affirmat , quod Revelationes Agredanæ
 „ in materia Chronologica sequantur Martyrologium
 „ Romanum. Itaque ex hac confessione Anti-Agre-
 „ dani , & assertione Ven. Mariae de Agreda aperte
 „ constat , quod ea, supputando annos Christi nati,
 „ & mortui , non sectetur Æram Vulgarem, seu *Dio-*
 „ *nysianam*, vulgo vocatam. Id quod hinc meridiana
 „ clarius demonstro. Juxta calculum Romani Mar-
 „ tyrologii ad diem 25. Decembris , Annus Nativitatis
 „ Christi incidit in septingentesimum quinquagesi-
 „ mum secundum ab Urbe condita , & quadragesi-
 „ mum secundum Imperii Octaviani Augusti, ac Olym-
 „ piadē 194. atque adeò , ipso Adversario teste,
 „ Chronologia Agredana ablutit ab Æra Vulgari,
 „ juxta quam (prout in Cathalogo Romanorum Con-
 „ sulum in Controv. D. Amort , fol. 216. videre li-
 „ cet) annus primus Christi nati , non in annum Ur-
 „ bis conditæ 752. sed 754. vel 755. non in Olym-
 „ piadē 194. sed 95. incidit ; ergo evidens est ex ipso
 „ Cathalogo Amortiano , quod Ven. Maria de Agre-
 „ da cum Martyrologio Romano , duobus , vel tri-
 „ bus annis in sua Æra præveniat Vulgarem. Hoc dis-
 „ crimē , utriusque Æræ etiam ex eo sit liquidum;
 „ quia

„ quia annus Æræ Vulgaris primus est ipse 44. vel
 „ 45. Imperii Octaviani Augusti , cum tamen juxta
 „ Martyrologium Romanum , proinde & Ven. Scrip-
 „ tricem annus primus nati Christi sit 42. dicti Im-
 „ perii Augusti. Ecce manifesta exempla adsunt , quod
 „ Chronologia Agredana *explicitè* aliam , quam Vul-
 „ garem Æram sibi sectandam selegerit , quod in se-
 „ quentibus pluribus palam fiet. Unde evidenti seque-
 „ la fluit , Criticum istum pro fundamento suarum
 „ Crisiuum Anti-Agredanarum posuisse enormem cor-
 „ ruptionem textūs , & sensū Agredani.

81 Hæc sunt plura verbula , & plures lineolæ,
 quibus & attigi , & evidenter ex ipso Amortiano Catha-
 logo dissolvi notam characteristicam , qua , afflictam
 Ven. Scriptrici Æram Vulgarem , stabilire cupit Anti-
 Agredanus ; imò ex hac nota , & Cathalogo illo de-
 duxi clarâ consequentiâ , à Ven. Scriptrice minimè
 computari annos Christi secundùm Æram Vulgarem ,
 utpote quam duobus , vel tribus annis prævenit , ut
 inde nec Natalis Christi in primum annum , nec mors
 ejusdem in annum 34. Æræ Dionysianæ , seu Vulgaris
 incidat. Itaque perdita est Causa Amortiana. Cæte-
 ras quoque notas undeunde petitas , à me etiam tac-
 tas , & quantum ad præsens institutum necesse erat ,
 sufficientissimè confutatas esse , levi negotio intelliget ,
 qui non gravatur legere , quæ in justa Defensione à
 pag. 303. & sequentibus scripsi : verum de ista mate-
 ria inferius redibit sermo. Interea ex his paucis conii-
 cere potest quivis prudens , & indifferens Lector ,
 quod Adversarius in Causa Agredana omnis penè sin-
 ceritatis , & veracitatis videatur esse oblitus , verita-
 temque etiam apertam , omnibus viribus conetur oc-
 cultare , aut manifestis falsitatibus contaminare. Estne
 ejusmodi homini fides aliqua habenda , dum scribit .
 con-

contra Civitatem Mysticam? Cæterum id sibi etiam notet Criticus, sicut Ven. Scriptrix Æram Vulgarem non est se stata, sed alium computum temporum (saltem in systemate Cathalogi Consulū ab Amortio statuti) sibi selegit, ita neque me in Defensione justa Revelationum Agredanarum, aut hic in ejus continuatione tueri Æram Dionysianam; sed solum in id intendere, ut probem Adversarii asserta, & principia contra Chronologiam Civitatis Mysticæ producta, nec certa esse, nec probabilitati Scriptorum Agredanorum obstat.

ARTICULUS II.

EXCUTIUNTUR ULTERIORA dicta Anti-Agredani de Cathalogo Consulū Romanorum.

82 **S**IC loquitur pag. 33., Afferit primo, *fastos Consulares incertos esse.* Ad hoc respon-
„ deo distinguendo: incerti sunt ante eorum coordi-
„ nationem ex monumentis Syncronis innumeris Blan-
„ chinianam, concedo. Post coordinationem Blan-
„ chinianam, nego. Agredani, aut evertant Ordinēi
„ Romanorum Consulū, quem Franciscus Blanchi-
„ nus CLEMENTIS XI. Prælatus Domesticus, im-
„ mensa eruditione ex antiquis inscriptionibus, & do-
„ cumentis, cum serie aëtorum Syncronis, Romæ anno
„ 1723. edidit, aut fateantur, causam suam ex fastis
„ Consularibus ritè à Blanchino coordinatis, tanquam
„ fundamento certo, & immobili impugnari. Causâ
„ ceciderim, si benevolus Lector in Apologista ullum
„ reperiatur verbum, quo vel unicum Blanchinianum
„ Consulem saltem tenet et à sua sede dimovere,, Sic ite-
rum

rum contra meam justam Defensionem detonat
Amortius.

DEFENSIO.

83 **L**AUDO Franciscum Blanchinum, nec gloriæ, quam ob peritiam rei Chronologicæ apud eruditos Scriptores consecutus est, quidquam demptum volo: eo tamen adigi haud possum, ut existimem, notitiam temporum ab ipso extra omnes dubii cuiusvis tenebras, ac in clara veritatis, & certitudinis luce esse collocatam. Esto Blanchinus deduxerit sua ex Synchronis, & coævis Scriptoribus; sed quibus fuere hi coævi? postremis in Cathalogo recentissimis Consulibus: ita ait Amortius pag. 223. Jam autem in mea Defensione justa pag. 270. docui, incertum esse suffragium, quod ex his Authoribus, qui solùm ultimis Consulibus sunt coævi, & ex eorum documentis petitur. Etenim agitur hic de tota serie Consulari: ad hanc sciendam requiritur imperturbata notitia anni primi conditæ Urbis, ac primæ Olympiadis, ut ex ipsa Amortiana Controversia perspicuum est. Ast, ut certò assequamur annum illum primum conditæ Urbis, ac Olympiadum, necessaria videntur indubitata documenta Synchrona, ac coæva ipsi initio Urbis Romæ, ac Olympiadum, ut palam est: qualia tamen nec D. Amort, nec Blanchinus, nec aliis adhuc potuit producere. Atque adeò tota series Consulum, quæ, ceu basi, anno primo Urbis conditæ, ac Olympiadum insistit, manet incerta, cum ejus basis certa haud sit. Minime igitur videbatur requiri, ut unum, vel alterum Consulem sua, quam Amortius ei assignavit, statione moverem. Id enim nimis parum mihi fuisse, aggressus sum omnes: dum ~~xc~~ omnes, vel totam

Ieriem Consulum è certa possessione dejeci , etiam unus , & alter in ea haud persistet. Rogo, velit amicus Lector , revolvere , quæ de hac re in Defensione justa à pag. 261. dixi , ubi allegavi quoque clarissimos Patres Schnart , ac Daude Historiographos recentissimos , ac nominatissimos , qui licet post Blanchinum scripserint , hujusque fundamenta credibiliter non ignoraverint , magnam nihilominus incertitudinem agnoscent inesse fastis Consularibus. Citato loco etiam dissolvi breviter alia adminicula, quibus fulcire laborat Criticus suum Cathalogum.

Demùm quidquid de certitudine , vel infallibilitate sit Cathalogi Consulum Amortiani , hoc certum est , ex eo ipsum D. Amort efficacissimè impugnari , & de evidentibus contradictionibus , quibus sua Scripta Anti-Agredana inficit , convinci. Quod statim apparet , cum brevem indiculum eidem Cathalogo apposuero , quod sufficeret ad Causam Agredanam tuendam , & Anti-Agredani insultus retundendos , et si cætera omnia , quæ hic , & in Defensione justa attuli , nihil probarent.

His à me Scriptis , & ab Amannensi jam descriptis ad meas manus primum pervenit diu anteà desiderata , & magnò studiò conquisita Chronologia universalißima clarissimi Domini Angeli Flœrchen edita Hildesii anno 1742. ac SS. D. N. BENEDICTO XIV. dicata. Quæ ad alia properantem fecit paulisper subsistere. Nam illa est , cuius Cathalogum Consulum , æquè ac Blanchini , D. Amort existimat penitus esse certum , & demonstratum. Ita enim dictus Amort in sua Controversia pag. 221. asseverat : *Demonstranda etiam fore ipsa series Consulum , nisi Blanchinus , & (N.B.) Flœrchenius in sua Chronologia edita Hildesii anno 1741. voluit , vel saltem debuit scribere 1742. & dedicata SS. D. N.*

BENEDICTO XIV. partim ex antiquis Scriptoribus Romanis, partim ex Numismatis, partim ex antiquis inscriptiōnibus eam tam luculenter demonstrāsſent, ut in hac materia oleum, & operam perderem. Ergo series Consularis Flöercheniana, teste D. Amort ex Scriptoribus Antiquis Romanis, Numismatis, & vetustis inscriptionibus est evidens, demonstrata, ac demonstrativè certa. Ast inde sequitur, seriem Amortianam Consulum, ut pote Flöerchenianæ unde quaque adversantem, esse demonstrativè, & evidenter falsam. Id enim, quod demonstratæ conclusioni opponit, certò, & demonstrativè falsum esse scimus. Itaque Catalogus Flöerchenianus, à capite usque ad calcem, cum Amortiano pugnat, dum singulis Consulatibus alium annum Ærae Vulgaris (quam D. Flöerchenius ab Æra vera Christi non distinguit) apponit. Unde secundo, Consulatum duorum Geminorum, quem Adversarius figit ad annum 28. Ærae Vulgaris, rejicit Flöerchenius ad annum 30. & sic in notabilissimo puncto hic ab illo differt. Ex quo sequitur, quod Christus non anno 28. (ut tanquam certum & evidens haberi imperat Amortius) sed 30. Ærae Vulgaris fuerit mortuus, cum teste eodem Amortio certò, & infallibiliter mors Christi in Consulatum duorum Geminorum inciderit. Tertio Anti-Agredanus in Catalogo suæ Controversiæ inserto pag. 209. anno 72. ante Æram Vulgarem statuit L. Gellium Poplicolam, & Cn. Aufidium Oresten Consules: anno 71. M. Licium Crassum, ac Cn. Pompejum Magnum: anno 70. Or. Hortensium, & Or. Cecilium Metellum; sed hæc nulla ratione consonant cum serie Flöercheniana, in qua non tantum pag. mihi 188. pro anno 72. designantur Consules M. Terent. Varro Lucullus, & Cneius Cossius Varus Longin, sed & illi, quos uno hoc anno conjunxit D. Amort, in duos alias annos dividuntur, addito semper alio

alio Collega. Nam D. Flöerchenius anno 71. antecedente Æram Vulgarem refert, fuisse Consules (N.B.) *L. Gel- lium Poplicalam, & Cn. Corn. Lent. Clodian.* Anno vero 70. (N. B.) *Cn. Aufidium Oresten, & P. Corn. Lent. Sura.* Quartò Amortius in sua serie Consulari pag. 219. Controv. recenset quinque Consulatus Caii Cæsaris Caligulae, cum D. Flöerchenius fol. 189. quatuor solum numeret. Quinto Anti-Agredanus Consulatum quartum Caii Cæsaris Caligulae cum C. Sentio Saturnino annexit anno 40. Æra Vulgaris, & D. Flöerchenius laudato loco cum differt ad annum 42. Vide quomodo series Consulum Flöercheniana Adversario demonstrata totum Cathalogum Amortianum concutiat, ac loco moveat, & simul authorem suum, i.e. D. Amort, manifestæ falsitatis arguat: falsum enim est, quod D. Flöerchenius seriem Consularem Amortianam (prout tamen Adversarius pag. 221. Controv. jactare præsumit) ex Numismatis, scriptis, & inscriptionibus antiquis luculenter demonstrârit, cum series Flöercheniana ab Authore suo Doctissimo eleganter elaborata, per omnia opponatur Cathalogo Amortiano, & inde hunc magis destruat, ac falsum reddat, non vero confirmet, aut demonstret.

Dein dato, quod Flöercheniana Consularis series integra cum Amortiana conveniret, nihil pro se inde eliceret Criticus; nam Chronologus ille certè celeberrimus, nimurum D. Flöerchenius, non obstante serie illa Romanorum Consulum fol. 49. affirmat, Æram Dionysianam esse Æram veram Christi: ergo ex serie tali Consulari Criticus non potest evidenter inferre, quod Æra vera Christiana Vulgarem antevertat quinque, aut sex annis. Videat benevolis Lector, qui D. Amort proprio gladio se, ac sua asserta trucidet. Fortassis, & Blanchino sæpius contradicit, & utinam hu-
jus

jus Cathalogum obtinere possem ! Interea satis est,
quod Floerchenio , à quo seriem Consularem in claro
demonstrationis lumine positam deprædicat , conti-
nuo aduersetur.

ARTICULUS III.

ALIQUA MINORA DE AUTHORITATE Josephi Judæi excutiuntur.

§4. Criticus pag. 33. scribit de me : „ Afferit „ secundò, *authoritatem Josephi circa hanc*
„ *materiam nullius fidei esse.* Et cur istud ? Rationem „ reddit Apologista ; quia culpatur tanquam infidus,
„ præsertim circa annos Herodis, à gravissimis Autho- „ ribus ; v.g. à Baronio , Saliano &c. imò quia con- „ vincitur saepius errasse. Et ubi erravit ? Ubi testatur,
„ Herodi adhuc adolescenti quindecim annorum Galia „ lœam regendam commissam esse; & quia scribit, An- „ tipatrum Herodis Patrem fuisse Idumæum , & quia „ scribit, Herodiadem, quam Herodes Antipas tulit,
„ fuisse uxorem illius Herodis , quem Rex Herodes ex „ Mariamne Simonis Pontificis filia procrearat , cùm „ tamen Evangelium testetur , Herodiadem fuisse uxo- „ rem Philippi. Hæc nimis levia sunt, quam sufficiente „ ad extenuandam Josephi fidem circa acta publica „ coæva , aut circa acta Herodiana desumpta ex Nico- „ lao Damasceno Herodis Aulico. Authores allegati „ Baronijs , & Salianus &c. ante reperta documenta „ erant Ærae Vulgari addicti ; hinc cum Josephi do- „ cumenta , cum hac Æra combinari non possent , co- „ gebantur Historici attenuare fidem. Verum D. Fran- „ ciscus Biacca integris duobus Tomis in 4. Neapoli

„ 1728. editis sub titulo : Trattenimento Istorico,
 „ e Cronologico , &c. adversus Calinum ex instituto
 „ fidem , & authoritatem Josephi vindicat. Quòd He-
 „ rodes scribatur Juvenis quindecim annorum , dum
 „ illi Galilæa regenda traditur , non probatur erra-
 „ tum , cum habeamus exempla recentia ante oculos
 „ suscepti à Juvenibus Principatūs , Regni , aut Impe-
 „ rii. Quòd Herodem Josephus Idumæum scriperit,
 „ verissimè scripsit ; perque hoc insigne argumentum
 „ præbuit boni Historici , eò quòd in hac re non cœco
 „ modo secutus sit Nicolaum Damascenum , suum
 „ alioquin Ducem in Herodianā Historia. Si denique
 „ Josephus errâset circa concubinam Herodis , cen-
 „ sendum , Historias Concubinarum , & genus non
 „ pertinere ad acta publica , atque ad acta Herodis Magni ,
 „ desumpta ex Nicolao Damasco , de quibus solis scrip-
 „ si , ac etiamnum contendō , seclusis amanuensium
 „ erroribus , moraliter certa esse Josephi cœvi testimo-
 „ nia. Dico : seclusis amanuensium erroribus : neque
 „ enim etiam istud excedit morem properantis cala-
 „ mi , ut pro Philippo scribatur Herodes , cum idipsum
 „ contigerit in Historia Controversiæ Agredanæ fol.
 „ 240. ut bis pro nomine Augusti , de quo totus ser-
 „ mo , scriberetur nomen Herodis. Cæterum Apologista
 „ vim mei argumenti cautè dissimulat , dum solius
 „ Josephi authoritati illud inniti innuit. Longè aliis
 „ limitibus stringitur , & stringit , quod afferro , prin-
 „ cipium. Requiero namque etiam circa acta publica
 „ cœva ad fundandam moralem certitudinem con-
 „ sensum testimiorum. En verba , quæ præmisi meæ De-
 „ monstrationi fol. 203. & 204. Moralem certitudinem
 „ voco , quæ omne prudens dubium , aut formidinem excludat
 „ de opposito. Talis certitudo habetur de existentia Madriti ,
 „ aut Londini , &c. ob consensum idoneorum testimiorum : ex

„ hoc ergo principio testimonium Iosephi , ubi consentiunt
 „ documenta Scriptorum Gentilium (v.g. documenta Con-
 „ sulatum Romanorum à Blanchino eruditione singu-
 „ lari collecta) præsertim circa acta publica , aut acta
 „ Herodiana notoria ac adiaphora , quæ exscripsit ex Ni-
 „ colao Damasceno Herodis aulico , pro moraliter certo re-
 „ cipiendum est , nisi in casu particulari extraordinario
 „ occurrat erroris judicium. Itaque Agredanæ Causæ
 „ Patronis incumbit , ut ostendant , testimonium Jo-
 „ sephi fallere circa acta publica coæva , non obstante
 „ quod cum ejus testimonio consentiant documenta
 „ Scriptorum Gentilium , desumpta ex ritè coordinato
 „ per Blanchinum ordine Consulatum. Nî hoc præ-
 „ stiterint , Lector benevolus agnosceret , vietas ab Agre-
 „ danis quoad authoritatem Iosephi in hoc puncto , præ-
 „ beri manus . „ Hæc Criticus. Quibus brevis sequens
 obiicitur

DEFENSIO.

85. PRO extenuanda authoritate Iosephi , in
 mea Justa Defensione allegavi Baronium , Salianum , Gelasium Hieber , Ignatium Schi-
 varz , Brietum , qui non omnes erant Æræ Vulgari
 addicti. Certè Salianus , ac Schivarzius unò anno præ-
 veniunt Epocham Vulgarem. Baronius quoque in de-
 signando Natali Christi , non adhibuit Æram Vulga-
 rem , præcurrrens eam duobus annis , licet id verisimi-
 liter fecerit ex erronea credibilitate , qua sibi persuasit ,
 eam duobus annis priùs cœpisse. Vide de hoc Grave-
 sonium Histor. Eccles. tom. 3. Colloq. ult. fol. mihi
 156. Spondanum in Epitome Annal. Baronii in appa-
 ratu ad finem. In Defensione Justa etiam ex Clarissimo
 P. Schivarz retuli , quod in Quæstione de annis Herodis ,
 nil

nit obstat videatur Josephi authoritas contrarium, statuens, utpote sibi in Chonotaxi contradicentis, nec sat accurati in distinguendis annis, silentioque involventis res celeberrimas, ac publicè gestas. Verum si isti, quos laudavi, Authores, Adversario non arideant, adeat doctissimum P. Cherubinum à Spiritu S., qui in Critica Sacra per multas paginas inquirit, quænam fides in re Historica sit tribuenda Flavio Josepho. Adducitur ibi ab eo numerus non parvus Scriptorum pro Josepho sententium, ast & producuntur duplo ferè plures contra ipsum stantes. Discutitur Quæstio illa omni diligentia in utramque partem, nec quidquam relinquitur, quod, vel fidem Josepho conciliare, vel minuere possit, ac tandem concluditur, incertum esse, cujus fide, & authoritatis sit Flavius Josephus in illis, quæ non clare contra S. Scripturam, adeoque aperte falsa existunt. Quid autem subsidii ad certitudinem moralem eruendam afferet ille Scriptor, de quo incertum, cujus fidei, & authoritatis sit?

36 Quod anno decimoquinto Herodi jam fuerit commissa Galilæa, non tam à me, quam peritissimis Historicis exstupflatur, quales certe sunt P. Schivarz, & Gravesonius, quorum posterior alias est addictissimus Josepho, ejusque authoritatem magni facit. Ratio unica denegandi in hoc punto fidem non est sola juventus Herodis; sed tot, & tanta facinora majorem statem exigentia, quæ à Josepho, juveni Herodi gubernacula Galilææ tenenti, adscribuntur. Dein Nicolaus Damascenus, ex quo sua Josephus exscripsit, ait, annos viginti quinque fuisse natum Herodem, dum ei commissa fuit Galilæa. Errores Amanuensium non excusant Josephum, ut jam dixi in Defensione justa: sive enim ex errore Amanuensium, sive ex intentione, aut negligentia Josephi fallat ejus Historia, & à vero aber-

ret, jam fidem certam, & indubitatam non meretur.
Vide Defens. Just. pag. 274.

Si Herodes fuit Idumæus, tunc Nicolaus Damascenus Aulicus Herodis in hujus gratiam fuit mentitus, scribens, eum fuisse de nobilissimo genere Judæorum: verum si Damascenus in hoc puncto publico non erubuit mentiri, certè timendum est, ne sàpiùs circa alia facta publica Herodiana ausus fuerit falsum litteris prodere contra propriam mentem, & conscientiam, & fortassis studio Regnum Herodis, in gratiam ipsius, voluerit abbreviare, ne Author dicatur illius crudelis stragis infantum, sicut hanc nec ipse Damascenus, nec Josephus referunt in suis Historiis, haud dubiè illam ex industria occultantes. Ex quo intuli, etiam Josephi (qui Dùcem fecutus est Damascenum, ex eo sua describens) Historiam Herodianam jure æquissimo in dubium vocari posse, nec ei certum, & firmum deberi assensum. Hoc meum erat argumentum, quod Adversarius integrum non retulit, ne ejus efficacia notaretur, quam minimè enervat suis dictis, substantiam rationis mæ ne tangentibus quidem. Plura videre placeat in mea Defensione pag. 275. Inde colligis, non esse moraliter certa Josephi coævi testimonia, acta publica Herodis Magni desumentis ex Nicolao Damasco, prout tamen tanquam certa nobis ea vult vendere Anti-Agredanus.

Ut ad cætera quoque respondeam, si Criticus vult, Herodiadem fuisse Concubinam Philippi, cui ablata fuit, agit contra textum Evangelii vocantis eam *Uxor rem Philippi*. Licet autem Coneubina dicatur Herodis Antipæ, ob adulterinam, & incestuosam cohabitationem cum eis habitam, nihilominus ejus genus, ac prius connubium ad acta publica, & veracis ac accurati historici relationem pertinere censenda est; cum ob

eam

eam, Regis Arabum Aretæ filia ab Herode Antipa fuerit repudiata, & ideo illatam filiæ injuriam ulturus Pater, bello Antipæ indicto, eundem devicerit.

Præterea, si Josephus circa ejusmodi facta publica, & Historiam filiorum Herodianorum hallucinatus est, quis credat eum esse sine nævo circa facta alia publica ipsius Herodis Magni?

Neque dissimulavi vim argumenti Critici, ut mihi imputat; etenim documenta Scriptorum coævorum Gentilium, ut Nicolai Damasceni, ac Dionis in mea Justa Defensione impugnavi pag. 273. ac 275. Testimonia vero Consulatum Romanorum à Blanchino collecta, sicut & Consulatus ipsi in Amortiano Catalogo ordinati, tantum serviunt ad Antilogias Criticæ demonstrandas, & confutandas, ut inferius videbimus. Unde ansam minimè habet de illis gloriandi, sed volens, nolens vietas Agredanis debet præbere manus.

ARTICULUS IV.

EXCUTIUNTUR ALIA DICTA INANIA Amortii, Authoritatem Josephi con- cernentia.

87 **C**ontinuat Criticus suam inanem Responsionem pag. 35. tali modo. „ Afferit,
„ 3. nimis brevem à me inter *Eclipsin Lunarem*, à
„ die 13. Martii, usque ad 25. Martii, assignari in-
„ tercapedinem; hinc longè verosimilius esse, eam
„ Eclipsin referendam esse ad diem 10. Januarii, uno
„ anno ante Æram Vulgarem. Verùm in hoc effugio
„ Apologista undique impingit; nam primo ex Jo-
„ sepho, dum afferit, Herodem, postquam ad se se-

ditiosi Juvenes perduci fuerunt, ex Hierichunte con-
vocasse Principes, & iis ibi exprobrâsse seditionis
temeritatem, manifestè constat, Herodem tempore
illius Eclipsis non fuisse Jerosolymis, sed Hierichun-
te; & ex Revelationibus Agredanis L.4. cap. 16. à
n. 555. constat, Herodem à sexto Januarii, & se-
quentibus fuisse Jerosolymis in adventu, & abitu
Magorum. Itaque Eclipsis illa, quæ brevi præces-
fit mortem Herodis, contingere non potuit 10. die
Januarii, nisi aperte refigatur testimonium Josephi
circa acta publica, & circumstantias notorias,
itineris Herodiani Hierichuntini ante mortem.

Sic Anti-Agredanus, addens adhuc quinque alias
rationes merè apparentes, quibus assertum suum ro-
borare nititur. Hæ per decursum inserius, majoris
claritatis gratiâ, & quidem ipsis verbis Amortianis
allegabuntur. Modò contra recitata sit.

DEFENSIO.

38 **N**ON ego solum assero, verum ante me
nimis breve esse intervallum inter Eclipsin Lunarem
13. Martii factam, & mortem Herodis, si hic dic-
atur, eodem anno sub tempore Paschale obiisse. Ulle-
rius enim Schelstratius, Antonius Pagius, imò & ipse
Franciscus Blanchinus (N. B.) cuius systema ceu mo-
raliter certum, & demonstratum D. Amort in sua Con-
troversia Revelationibus Agredanis obiicit dicunt, illo
anno, quo credunt Eclipsin memoratam accidisse, non
sub Pascha, sed die 25. Novembris Herodem mor-
tuum esse, cum illa, quæ ab ea defectione Lunæ, us-
que ad mortem Herodianam facta referuntur, majore
egeant

egeant spatio temporis, quam illud erat, quod intercessit inter Eclipsin illam, & Pascha.

Ex quo sequitur, Adversarium hic, dum mihi diem dicit, etiam aliis Doctissimis Viris se opponere, singulariter Francisco Blanchino, cuius tamen asserta Chronologica ut certa, & demonstrata adorat. Unde

Sequitur ulterius, Criticum non posse existimare, quod aliquid probabilitatis insit suis de hac re dictis, quia eisdem contrarium placitum Blanchinianum certum censet, cum toto ejus systemate Chronologico sine ulla exceptione.

Verum, nec satis candidè agit Anti-Agredanus, dum aliqua à me adducta studiosè occultat, aut non fideliter refert, & alia falsa substituit. Primo omittit dissensum gravissimorum Historicorum circa tempus, quo contigerit illa Eclipsis Lunaris, quæ, sic imperante Amortio, certo indicat tempus mortis Herodianæ; item dissimulat, quod, teste Pagio, ex ista Eclipsi annus mortis Herodis certo detegi non possit.

Secundo solum conditionatè scripsi in mea Defensione pag. 278. Meliori fundamento (N. B. si tamen aliqua Eclipsi Lunaris pro nota charakteristica mortis Herodis statui potest) statuit illa, quæ teste ipsomet Adversario pag. 235. suæ Controversiæ accidit unō anno ante Æram Vulgarem die 10. Januarii. Sub hac ergo conditione (cujus Adversarius non meminit, ut majore licentia posset in me desavire) sub hac, inquam, conditione assero, longè verisimilius esse, quod ea Eclipsis referenda sit ad 10. Januarii, anno uno ante Æram Vulgarem. Etenim animus mihi nunquam fuit, determinatè, & absolutè alicui systemati ab eruditis defenso alligare Chronotarin Agredanam, cum id ad propositionem meum non sit necessarium, vi cuius unicè ostendere nitor, quod contra seriem annorum, juxta quam

Ven. Scriptrix computat gesta Christi, nihil certi pos-
sit opponi, quodque in re adeò incerta, qualis est
Chronologia, nulla certitudo à Scriptis Agredanis
exigi possit, sed sufficiat, eis competentem non deesse
probabilitatem. Igitur, si interdum videor alicui syste-
mati proprius accedere, vel aliquid ex eo admittere, id
aut retorsionis gratiâ, aut certè sub conveniente hy-
pothesi, & restrictione facio.

Tertiò dicit Adversarius, me variè impingere; &
quidem primò, quia assero, Herodem adhuc fuisse Je-
rosolymis, dum 10. Januarii Eclipsis prænuntia mortis
ejus contigit. Sed videamus, an non Criticus magis,
quam ego, contra veritatem impingat. Hoc ut capia-
mus, sciendum est, juxta Adversarium Eclipsim Janua-
riam non fuisse eam, quæ mortis Herodianæ index
erat, quia facta est Herode adhuc Jerosolymis existen-
te, & à Magis ibi de ortu stellæ interrogato; cùm ta-
men illa Eclipsis, de qua loquitur Josephus, contige-
rit, dum Herodes ex balneo reversus est Hierichuntem.
Ad hanc objectionem, duplìcem dedi responceionem,
primam modò impugnat, alteram transit silentiò. Ve-
rū hoc ipso testatur, illam responceionem secundam
fuisse efficacissimam, & totam difficultatem ipsius di-
luisse, cùm nihil ei occurrat, quod contra eam posset
dicere; adeòque, et si prima solutio non subsisteret,
jam secunda satisfecisset, quod intento meo semper
sufficit. Responceio autem consistebat in hoc, quod
adventus Magorum in annum unum saltē anterio-
rem, quam Herodes ad mortem infirmatus ad bal-
neum trans Jordanem se contulerit, sit referendus,
adeòque, advenientibus Magis, illo anno priore cir-
ca 10. Januarii, bene potuerit esse Jerosoly-
mis, etiam si anno sequente, dum dicto mense, & die
Luna defecit, inde absuerit: quæ probata, & decla-
rata

*I*ata vide in Justa Defensione pag. 281. & seq.

Nunc, ad primam responzionem redeundo, Josephi testimonium non me, bene autem Adversarium erroris, & falsitatis accusat. Dicit Josephus lib. 17. Antiq. cap. 8. *Rex Vinculis eos (id est, seditiones illos) constringi præcipiens, evocavit ex Hierichunte Iudeorum Principes, quibus advenientibus confessus omnium congregatur: subin enarratur exprobratio, quin ullum verbum addatur, quod hæc ibi, seu in Civitate Jericho acta fuerint: imò ex contextu patet, Herodem tunc temporis non fuisse Hierichunte; cum inde ad se evocaverit Principes; alias enim si ipse quoque ibi fuisset, non ex Civitate Hierichuntina evocare, sed in illa convocare oportuisset prædictos proceres. Vitiat itaque Adversarius quoque textum Josephi.*

Quartò iterum falsum est, quod, secundum Josephum, Eclipsi memorata prænuncia mortis Herodianæ, hanc brevi præcesserit: hoc enim non legitur in historia Josephi, sed potius ex ea oppositum colligunt Gravesonius, Schelstratius, Blanchinus &c. ut dictum est. De hoc plura videre licet in justa Defensione à pag. 278. ubi etiam assero, quod magis cohæreat Chronologia Herodiana, si affirmetur, Josephum locutum esse de Eclipsi, quæ anno uno ante Æram Vulgarem 10. Januarii accidit.

89 Pergit modo Criticus. *Ex hoc desperato Apologista effugio sequitur, Æram Vulgarem, ac consequenter etiam Revelationes Agredanas eidem, prout ex notis Characteristicis temporum superius ostensum est, infallibiliter innexas, simul falsas esse. His dictis Adversarius solum singit. Ven. Scriptricem non inhærcere Ærae Vulgari, in prioribus est dictum, & in Justa Defensione, ex ipso Cathalogo Consulum Amortiano, ostensum. Neque alias notas certas Characteristicas Ærae Vulgaris*

ris in Civitate Mystica reperiri , per decursum claret.

90 Prosequitur D. Amort. *Tertio sequitur* , illo anno præcedente ad Æram Vulgarem , plenilunium Paschale nec incidisse in mensem Martium , nec Passionem Dominicam in diem Veneris , atque in diem 25. Martii , quod *Revelationes Agredanas* funditus evertit. Hæc Criticus: ex quo quaero , ubi Ven. Scriptrix anno Æram Vulgarem præcedente 25. Martii affixerit plenilunium Paschale ? vel ubi ipsi sermo de plenilunio Paschali illius anni ? Si ergo nihil de hoc habet , sicut nihil de eo scribit , quomodo evertuntur funditus *Revelationes Agredanas* , si illo anno in illum mensem non incurrit plenilunium istud ? Sequitur igitur , dicta hæc Critici esse verba merè inutilia , nihil ad rem facientia. Dum vero dicit , Passionem Dominicam non incidisse tali modo in diem Veneris , neque in 25. Martii , vel intelligit per annum , qui præcessit Æram Vulgarem , ipsum annum mortis Christi , quod utique ineptissimè faceret , ut palam est , cum anno Æram Vulgarem immediatè antecedente , neque juxta *Revelationes Agredanas* , neque juxta Agredistas Christus sit mortuus , esto dicatur , tum mortuum esse Herodem ? vel intelligit , quod sequatur vero anno mortis Christi , ut ille specificatur à *Revelationibus Agredanis* , non incidere Passionem Dominicam in diem Veneris &c? Tunc aliquid dicit , quod inferius Num. 111. abundè diluetur.

91 Denuò ait Criticus . „ Quartò sequitur , nec „ Consulatus Geminorum concurrere cum anno Pa- „ sionis Dominicæ , quod repugnat testimoniosis Patrum . „ Quintò sequitur , Herodem nihilominus obiisse ante „ Nativitatem Christi , quod repugnat Evangelio . „ Sextò sequitur , Historiam Herodis non convenire „ cum

„ cum Consulatibus Romanis , quæ omnia ex Testimoniis Josephi , & serie Consulatum Blanchiniana „ liquido constant. Itaque relinquitur , Eclipsin illam „ Lunarem nulli alteri anno assignari posse , nisi „ quarto , aut , si Apologistæ intervallum temporis „ inter 13. & 25. Martii nimis breve est , quod non „ evincit , quinto ante Æram Vulgarem , ita , ut De- „ monstratio mea prorsus invicta maneat sine proba- „ bili effugio. Hucusque Anti-Agredanus.

Ad quartum respondetur inferius num. 101. ex instituto. Hinc nunc aliqua dicere est superfluum. Quintum falsum est : nam juxta systema Agredanum , quod & in Cathalogo Amortiano Consulum suffragium pro se invenit , Christus natus est anno secundo , vel tertio ante Æram Vulgarem ; ergo Herodes uotantum anno mortuus ante Æram Vulgarem , non esset defunctus ante Christum natum , ut clarum est. Quod & Criticus fatetur in Controversia pag. 235. scribens : *Tertia Eclipsis contigit 10. Januarii uno, anno ante Æram Vulgarem: quod si de ista loqueretur Josephus, sequeretur nihilominus, Christum biennio ante Æram Vulgarem natum esse.* Ecce quomodo D. Amort iteratò sibi contradicit.

Sextum nihil ponderis habet. Historiam Josephi , quam Criticus se sequi profitetur , non convenire cum Consulatibus Romanis , testis est clarissimus P. Ignat. Schivarz Historicus celeberrimus à me laudatus in Justa Defens. pag. 272. & seq. Deinde , ipsum D. Amort Cathalogo suorum Consulum in materia hac Chronologica , & Anti-Agredana contradicere , offendit sequens Articulus , & ad finem hujus capituli additus ipse Cathalogus Amortianus , notis quibusdam à me illustratus. Si autem D. Amort potest huic Cathalogo , quem ipse sibi pro norma constituit , contra-

venire, hoc privilegium etiam aliis (qui necdum pro infallibili regula illam seriem Consularem assumpsere) concedat, necesse est. Demum Cathalogus ille incertus, & fallibilis (de quo in Defensione Justa pluribus pag. 265. egi) utique nec Agredanos, nec alios obligare poterit ad inevitabilem sui sequelam.

92 Ut ad ultima verba Critici etiam breve dem responsum. Illud intervallum inter Eclipsim, & tempus Paschale, ac mortem Herodis ad capienda omnia acta, quæ interea gesta fuisse commemorat Josephus, nimis breve, non tantum mihi, sed & ipsi Francisco Blanchino, cuius systema Amortius amplectitur, ac aliis visum est. Unde si sistema Blanchinianum est demonstratum, prout illud sine restrictione certum, & demonstratum Criticus affirmat, *quoad hoc punctum intervalli illius nimis brevis assignati ab Amortio, intentum meum contra eum evinco.*

Qui nec effugit gressu retrogrado, & cancrino, ab anno quarto ante Æram Vulgarem ad quintum rece dendo. Si enim Eclipsis, quæ ab Adversario pag. 234. anno quinto præcedenti Æram Vulgarem, & 23. Martii affigitur, fuit prænuncia mortis Herodianæ, eamque proximè præcessit, quæro, an mors Herodis se cuta fuerit circa Pascha anno quinto, quo fuit Luna passa illam Eclipsin 23. Martii, vel anno primum pos teriore, ita, ut annus integer, & plus adhuc temporis inter Eclipsin, & mortem intercesserit. Primum juxta ipsum Adversarium Controvers. pag. 234. admitti non potest; quia illo anno in diem vigesimum tertium Martii festum Paschale incidit, & sic illa Eclipsis non præcessisset Pascha, quod tamen secundum seriem Historiæ Josephinæ præcedere debuit. Videatur Ad versarius citatus. Si secundum, falsum est, quod dicta Eclipsis brevi præcesserit mortem Herodis: quinim
ne.

neque immediate precessisset eam, cum alia vicinior intervenisset, nimirum, quæ facta est anno quarto ante Æram Vulgarem 13. Martii; quæque proinde melius indicasset annum mortis. Utrumque militat contra placita Amortiana, tam in Controversia, quam in nova ejus sic dicta Demonstratione. Eapropter invicta manet mea justa Defensio, nec relinquitur locus effugiendi Critico, semper magis, ac magis impingenti, & sibi ac aliis, quos in Duces elegerat, ut Blanchino, ac Josepho contradicenti, quod amplius sequentia docebunt.

ARTICULUS V.

NOTABILIORES FALSITATES,
*Deceptiones, & Contradictiones Amor-
tianæ excutinuntur.*

93

JAM omne frænum ab Adversario laxatur falsitatibus, contradictionibusque, dum ita continuat suam excussionem, graviore manu (si secundum merita ejus agere animus foret) excutiendam. Sic loquitur., „Afferit quartò, evidenter à „Josepho, & me errari in calculandis annis Herodia-„nis. Videamus hujus Apologistę os sublime. Part. „3. §. 1. Arg. 2. num. 128. fol. 283. sic scribit: Ex „Chronologia Josephina filiorum Herodianorum Adversa-„rium ipsum certò, ac evidenter confutari posse, mihi evi-„dens est. Unum solum, vel alterum paragigma produ-„cam, ex quo, velut ungue Leonem, solis erroribus suis „terribilem quilibet, ni cœcus sit, conspiciet. Verum ex „solo aspectu sequentis laterculi de annis Herodianis, „& testimonio Josephi, & Blanchiniano Cathalogo „Con-

, Consulum Romanorum consecuti, Apologistæ error
 , confunditur.

ANNI HERODIANORUM FRATRUM
ex Testimonia Iosephi, & fastorum Consu-
larium, & ex Calculis Astro-
nomicis.

*Anni**Ante**Æ.V.*

6. Christus nascitur 25. Decembris.
 5. Herodes in Januario infantes occidit, &
 spectantur Jerosolymis duæ Eclipses Lu-
 nares, una 23. Martii, altera 13. Septem-
 bris.
 4. Spectatur Jerosolymis Eclipsis Lunaris, &
 Herodes paulò ante Pascha moritur: hoc
 anno exeunte, & proximo ineunte, Herod-
 di succedunt ejus quatuor filii, Archelaus,
 Philippus, Herodes Agrippa, Herodes
 Antipas, à Cæsare in quatuor Tetrarchias
 divisi.

*Post**Æ.V.*

7. Exauthoratur Archelaus.
 34. Moritur Philippus anno regiminis 37. in-
 eunte, Tiberii Imperatoris 22.
 36.) Herodes Agrippa obtinet Romæ à Cajo Ca-
 37.) ligula Titulum, & Diadema Regium, post-
 quam Tetrarchiam sui fratri Philippi jam
 triennio tenuerat.
 39.) Herodes Antipas accusatur Romæ, & con-
 40.) demnatur: hoc anno cūsus est Numus
 Herodianus, regiminis anno 43. Herodis

An-

Antipæ Tetrarchia datur Herodi Agrippæ.
 41. Caius Caligula occiditur die 9. Februarii.
 44. Moritur Herodes Agrippa anno Claudiī Imperatoris Tertio, Regni sui septimo, cuius quatuor annos exegerat sub Cajo Caligula, tres sub Claudio.

„ Hæc Tabella errorem Apologistæ penitus confundit:
 „ cùm enim Josephus testetur, Philippum obiisse anno
 „ Regiminis trigesimo septimo, anno Tiberii 22.
 „ quem ex fastis Consularibus Blanchini constat, in
 „ annum Æ. V. trigesimum quartum referendum esse,
 „ sub Consulatu Aceronii Proculi, & Pontii Nigrini,
 „ manifestum est, ejus Patrem debere esse mortuum
 „ quarto ad minimum anno ante Æ. V. Similiter,
 „ cùm constet ex Josepho, quòd Herodes Agrippa
 „ quarto anno Caii Caligulæ Tetrarchiam Herodis
 „ Antipæ sui fratri exauthorati obtinuerit, atque
 „ ex fastis Consularibus Blanchini certum sit, Cajum
 „ Caligulam Imperium suscepisse anno 36. hoc est tri-
 „ gesimo sexto Æ. V., adeoque quartum annum hu-
 „ jus Imperii incidere in annum Æ. V. 40. quo Hero-
 „ dis exauthorati Tetrarchiam obtinuit: iterum mani-
 „ festum est, Numum Herodis Antipæ signatum anno
 „ 43., non solum nullius falsitatis convinci, sed etiam
 „ ex eo convincenter probari, quòd ejus Pater Hero-
 „ des Magnus quarto ad minimum anno ante Æ. V.
 „ objérerit. Itaque falsitas Ærae hoc argumento, vel solo
 „ morali certitudine demonstrata, & præcox gloria-
 „ tio Apologistæ, duabus lineolis meæ Historiæ sine
 „ consideratione textûs præcedentis, & subsequentis
 „ malè mendosis, ungue leonis, in quem compro-
 „ mittit, erasa est. Hæc sunt verba Amortiana. Qui-
 „ bùs, ut docet sequens

DEFENSIO.

94 **N**ON mediocriter Chronotaxin Herodianam , & seipsum confundit , falsa fallis consultò addens , ac omni ex parte suis dictis , & suo Cathalogo Consulum , ac Josephi Historiæ contradicens . Et quid aliud sperari potuisset ab illo , qui non studio veritatis , sed immoderata propriæ existimatio- nis cura ad scribendum impellitur ? Sed ad rem .

Et quoniam Criticus ad aspectum sui laterculi provocat , eum lustrare oportet attentiore oculo , non ad meam , ut existimo , sed bene ad Adversarii maximam confusionem . Considerabo autem solum illa , quæ , vel Testimonio Josephi , vel ipsius Amortii , de falsitate , aut contradictione evidentè convincuntur .

Primò falsum est , quod Herodi , & quidem anno quarto ante æra Vulgarem exeunte , & proximo ineunte , successerint quatuor ejus filii , Archelaus , Philippus , Herodes Agrippa , Herodes Antipas , à Cæsare in quatuor Tetrarchias divisi . Hæc assertio Amortiana multipliciter fallit . Etenim Præprimis Herodes Agrippa non fuit unus ex filiis ab Herode defuncto relictis , ut claret ex Historia Josephi lib . 18 . Antiquit . cap . 11 . , ubi describitur universa Herodis progenies , & peculiariter ex libro 2 . de Bello Judaico , ubi Josephus ait : *Agrippa fuit filius Aristobuli , quem Pater Herodes interfecit :* ergò Agrippa fuit nepos , non vero filius Herodis Magni . Vide de hoc Dictionarium Biblicum D . Calmet &c . *Agrippa* . Deinde falsum est , & contradicit Josepho , ac Critico , quod filii Herodis fuerint in quatuor Tetrarchias divisi : siquidem Cæsar Regnum Herodianum , solum in tres partes , vel Tetrarchias , tribus filiis Herodis concessas , partitus est .

Id

Id constat ex Controversia D. Amort, qui pag. 229. ex Historia Josephi, seu lib. 17. Ant. cap. 16. (apud me est caput 17.) sequentia recitat: *Cæsar post paucos dies Archelaum quidem non pronunciat Regem, dimidie verò Iudeæ Regionis, quæ Herodi tributa reddebat, Tetrarcham constituit. Alteram dimidiā (NB) bifariam distribuit alteris Herodis filiis, Philippo scilicet, & Antipæ, hoc est, Herodi Antipæ, qui contra fratrem Archelaum de universo Regno certaverant. Et huic quidem Regio trans Iordanem Galilea tributa reddebat; Philippo autem Bathonea cum Trachonitide, & Auronitis reddebant talenta; ceterū Archelao Idumæa, & Iudea, & Samaria. Et hec quidem de filiis Herodis ordinata sunt.* Demum nec anno quarto ante æram Vulgarem Herodem mortuum esse, nec filios ejus ipsi successisse, jam vidimus in Defensione Justa à pag. 282., ubi & aliæ contradictiones Adversarii sunt ostensæ, quas iterum adducam in sequentibus.

95 Secundò datâ operâ Criticus decipere cupit, dum ait anno 34. æræ Vulgaris, & 37. ineunte sui regiminis, ac Tiberii Imperatoris vigesimo secundo, mortuum esse Philippum: videns enim malè cohæreret suam Chronologiam in Controversia sua propositam, ei ex proposito, aliisque sine ullo rubore contradicit, alligans modò mortem Philippi anno trigesimo quarto æræ Vulgaris, licet in Controversia pag. 233. demonstrativè certum esse voluerit, quod mors illa Philippi filii Herodis acciderit anno 36, consequenter non trigesimo quarto dictæ æræ.

Tertiò falsum est, ac contradicit Josepho, & Anti-Agredano, quod Herodes Agrippa annis 36. 37. æræ Vulgaris obtinuerit Titulum, & Diadema Regium, (NB) postquam Tetrarchiam sui fratri Philippi jam triennio tenuerat. Nam primò, ut ex Controversia

Amortiana à pag. 233. & Josepho ibi variè citato constat, Agrippa Tetrarchiâ Philippi non est potitus ante mortem Philippi, quæ primùm anno 36. Æræ Vulgaris, teste Amortio juxta mox dicta, contigit: ergò ante annum 36. vel etiam 37. Æ. V. Agrippa non jam tenuit Tetrarchiam Philippi. Secundo lib. 18: Antiq. à cap. 12. & seq. Josephus refert, usque ad mortem Tiberii Cæsarî, quæ primùm, juxta Catalogum Consulium Amortianum, & asserta Amortiana in Controversia ejus, anno 36. Æræ Vulgaris accidit, ut ostendi in Justa Defensione pag. 286. Herodem Agrippam variâ fortunâ usum esse, neque alicui Regioni, ut Tetrarcham præfuisse, donec tandem à Cajo Caligula, post mortem Tiberii, è vinculis, in quæ conjectus erat, liberatus, Diadematæ, ac Titulo Regio, & Tetrarchia Philippi defuncti donatus fuerit, quod confirmatur ex pag. 233. Controversiæ, ubi D. Amort ait ex Josepho, Herodem Agrippam quarto anno ante obitum Caii Caligulæ, & imperium Claudi (NB) Philippo in sua Tetrarchia successisse. Jam verò iterum liquet, tam ex Controversia Amortiana, quam aliunde, Cajum Caligulam tantum quatuor annis imperâsse, & quinto interfectum esse, & sic quartum annum ante mortem ejus, fuisse primum imperii ipsius: atque adeò ante primum annum imperii Caii Caligulæ, qui ipso fatente Amortio, fuit 36. Æræ Vulgaris, Agrippa non tenuit Tetrarchiam Philippi. Plura alia afferre possem, quæ antilogiam istam confirmant, qua Adversarius secum ipso, ac cum suo Josepho decertat, sed illa perspici possunt ab iis, qui considerat scripta Amortiana, tam in Controversia à pag. 231. quam hic ex eodem recitata, & confutata legere, ac cum meis responsionibus modò, & in Defensione justa à pag. 282. datis, conferre voluerint.

96 Quartò sibi contradicit Criticus, dum modò ait, anno 41. *Æra Vulgaris* occisum fuisse Cajum Caligulam. Etenim oppositum huic tuetur in Controversia pag. 233. jam tum sibi contradicens: ejus verba sunt: *Cum constet, Caligulam obiisse, & Claudiū successisse sub Consulatu Aceronii Proculi, & Pontii Nigrini, qui incidit (NB) in annum 36. Æra Vulgaris.*

97 Nonne parva ista Amortiana Tabella tot falsitatibus, & contradictionibus foedata non meos, sed Authoris sui errores confundit? & utinam ipsum D. Amort aliquando rubore suffunderet, ne, ad suæ famæ detrimentum maximum, lapsus tam crassos, ac antilogias tam palpabiles, admittere auderet. Verum nondum finis falsitatum, & contradictionum. Insequamur eas. Præter jam tactam antilogiam, iterum hic rectam, qua contra suam Controversiam morte in Philippi alligavit anno 34. *Æ. V.* non veretur Consulatum Aceronii Proculi, & Pontii Nigrini retrahere ad annum 34. *Æ. V.* & sic contradicere suo Cathalogo Consulum, quem jaſtat, esse moraliter certum, & demonstratum: nam in hoc, tam in Controversia pag. 219. quam Nova ejus Demonstratione pag. 6. Consulatui illi Aceronii Proculi, & Pontii Nigrini assignat annum 36. *Æra Vulgaris.* Deinde in Controversia pag. 233. refert annum quartum Caligulae in 39; in nova autem Demonstratione pag. 37. ait, illum incidere in annum 40. *Æra Vulgaris.* Evidem me minimè fugit, quod Adversarius necessitate compulsus ad extrema ista media descendat, &, dum vera responsione manifesta errata tueri n̄equit, saltem falsitatibus, & contradictionibus eis openi haud æquam ferre cupiat. Sed hoc pacto, ut opinor, ostendit, se perditam, & desperatam fovere causam. Et quis ita habes erit, ut existimet, argumentum, & responsum

Adversarii ex tām multis, tām evidentibus antilogiis, ac proinde certō falsis assertis consutum, mereri nō men Demonstrationis? Ausim dicere, quōd nec inter opiniones verē probabiles locum reperiat, sed ad Regionem Chimerarum, Vulpanserum, & Hircocervorum, qui contradictionibus delectantur, omni jure debeat relegari.

98 Dispulsis igitur errorum, & falsitatum tenebris, quibus Criticus meam Defensionem obscurare laboravit, eam iteratō, in synopsi, oculis eruditī, ac benevoli Lectoris exponere volui.

Prīmō sic argumentabār, & adhuc pergo argumentari. Josephus cum Amortio testatur, Philippum esse mortuum anno regiminis 37. qui juxta Adversarium referendū est ad Consulatum Aceronii Proculi, & Pontii Nigrini incidentem in annum 36. Æræ Vulgaris, ut habet Catalogus Consulū Amortianus, quem ejus Author, seu D. Amort vult per omnia esse demonstratum, & infallibilem: ergo manifestè falsum est, quōd Pater Philippi, seu Herodes, fuerit mortuus anno quarto ante Æ. V. nam ut ex scriptis Amortianis constat, eodem anno, quo mortuus est Herodes, successerunt ejus filii, vel certè statim sequente. Si enim 37. annos Regiminis Philippi subtrahas à 36. annis Æræ Vulgaris, manet annus 1. ante Æram Vulgarem, ut pueri, qui prima Arithmeticæ principia in schola, ut vocamus, Germanica delibant, computare sciunt. Proinde anno uno, vel duobus, Æram Vulgarem antecedentibus, Herodes mortuus est, & ei Philippus cum aliis Herodianis filiis successit: & sic pluribus annis vixit Herodes, quam Anti-Agredanus ex Josepho assignat. Hoc erat meum argumentum, quod hic contradictionibus tan-

tum abscondere studuit Criticus, ne ejus evidetas effacia statim omnium oculis appareret.

99 Secundò falsum est, quod Herodes Antipas regnârit usque ad exauthorationem 43. annos. Nam secundùm dicta Adversarii in Controversia pag. 283. & seq. à morte Herodis, & initio Regni Herodis Antipæ, & Philippi usq. ad mortem Tiberii, numerantur 37. anni, quibus, si addas illos Caligulæ 4. quibus adhuc Tetrarcha fuit Antipas, tunc 41. conficiunt, si anni illi 37. & quatuor omnes fuerint completi; vel 40. si unus, & alter fuerint incompleti. Ex quo manifestum est, numum Herodis Antipæ signantem 43. annos regiminis Antipæ, falsitatis, & placitum Amortianum in hoc numero se fundans, iterum contradictionis convinci à quolibet prima rudimenta Arithmeticæ edocto. Jam verò ex hoc argumento iterum clarum est, quod Herodes nec mortuus fuerit, nec ejus filii successerint anno quarto, sed bene uno, vel altero ante Æram Vulgarem. Nam si annos 40. vel quadragesimum annum subtrahas ab annis 39. Æra Vulgaris, in quorum ultimum, juxta Controversiam Amortianam, incidit quartus annus Caligulæ, tunc manet annus unus ante Æram Vulgarem, &c. Hæc mea iterum erat argumentatio, quam minimè erasit, aut debilitavit Leo Anti-Agredanus, licet omnes suos ungues sat fortes eidem infixerit: qua de re non præcox erat mea gloriatio, non os sublime; hæc encomia, uti debentur Amortio, ita ei omnino relinquio.

Moralem certitudinem iterum jaçat, ast non aliam, quam suarum confusionum, & errorum, quos notavi plures, & gravissimos, considerato textu præcedente, subsequente, & medio Adversarii, quem omni ex parte pessimè mendosum, nimirum meritis An-

tilogiis contra scipsum pugnantem reperi, repertumque omnium conspectui exposui, ut sciant, quam parum videat Criticus iste, dum se tam multa observationis indigna videre putat inscriptis Agredanis, & Agredanorum. Viderit aliquando, se dum causam bonam incautè, & solis falsitatibus persequitur, causam suam in dies deteriorem facere, & ab inconsulto ardore pugnandi, in nescio quæ viro Theologo, & Docto indigissima errata proripi. Verùm, licet Adversarius ad meridianam quoque lucem velit ex proposito nihil videre, perspiciet tamen indifferens Lector, meam defensionem, quam modò impugnat Criticus, esse in suo pristino robore: hanc non infringunt contradictiones, & falsitates Amortianæ, etiamsi turmatim in eam incursum tentent.

Manet ergò, quòd minimè certum sit, Herodem jam quarto anno ante Æ. V. esse mortuum, & sic Christum sexto, vel quinto ante eam esse natum. Videatur justa Defensio à pag. 282. ubi híc repetita, amplius deducta sunt.

ARTICULUS VI.

E X C U T I U N T U R R E L I Q U A , Q U A E
*restant de excussione tertiae meæ partis ab
 Adversario tentata.*

100 **S**IC sonant dicta cætera Anti-Agredani à pag. 38.,, Afferit quinto, Passionem Christi non posse fundamento moraliter certo figi ad Consulatum duorum Geminorum, ad quem eam plerique Scriptorum veterum consignant. Cur ita? Quia, inquit, multi Scriptorum Recentiorum repugnant.

,, Præ-

„ Præsumptionibus Apologista agit, ubi de demon-
 „ stratione quæritur. Statui pro regula inconcussa, &
 „ immobili, variante testimonio Scriptorum, illud am-
 „ pletendum esse, cum quo solo consentiunt docu-
 „ menta connexa, synchrona, & indubia. Si enim
 „ variante depositione testium, nemo dubitat, illis so-
 „ lis inhærendum esse, quibus solis assistit liquida
 „ circumstantiarum aliunde indubiarum veritas, quis
 „ neget prudenter, illa testimonia magis uniformia ve-
 „ terum Scriptorum circa tempus Passionis Dominicæ
 „ tutò præferri posse, ac debere, cum quibus solis con-
 „ veniunt documenta connexa, synchrona, & indu-
 „ bia, putè fasti Consulares, tabulæ Astronomicæ, Cy-
 „ cli, Litteræ Dominicales, Historici coævi, praxis
 „ ac observantia perpetua Ecclesiæ? Hæc autem om-
 „ nia concurrere cum solo Consulatu dñorum Gemi-
 „ minorum constat, partim ex demonstratis, partim
 „ ex serie actorum deductâ fûse in mea Historia. Nam
 „ cum Consulatu, quem Patroni Ærae Vulgaris, ac Re-
 „ velationum Agredanarum requirunt, nec consen-
 „ tiunt testimonia Josephi, nec numis Herodianus,
 „ nec tabulæ Astronomicæ quoad circumstantiam Ple-
 „ nilunii Paschalis, nec Litterarum Dominicantium, &
 „ feriarum per marmor Hyppolitanum usque ad Con-
 „ cilium Nicænum continuata periodus, nec dies 25.
 „ Martij, certus ex consensu fermè unanimi veterum,
 „ nec feria hebdomada quinosextra stabilita ex perpetua
 „ observantia Ecclesiæ, quæ tamen omnia partim exactè
 „ consentiunt, partim non repugnant cum concursu
 „ Consulatus dñorum Geminorum, & Passionis Domi-
 „ nicæ, prout abundè demonstratum est in Historia Con-
 „ troversia. De testimonio Josephii liquet ex dictis. Da-
 „ mob “

„ Pleniluniis Paschalibus à me ad 25. Martii, & diem
 „ 26. ³⁰
 „ Hebdomadæ quino sextum per tabulas Astronomicas,
 „ & tabulas Litterarum. Dominicalium ac feriarum de-
 „ ductis, Apologista nec audet quidein movere dubium.
 „ Pro Ruffio Gemono, & Rubellio Gemono Consulibus, ad
 „ quorum Consulatum à me alligatur Passio Domini-
 „ ca, stant ex antiquis Lactantius, Augustinus, Catalogus
 „ Romanorum Pontificum scriptus tempore Tiberii Pa-
 „ pœ, Sulpitius Severus, Victorius, Idatius, antiqui Catalogi
 „ Consulum, Cedrenus, Irenæus &c. qui omnes testantur,
 „ Christum passum esse sub duobus Geminis. Nullus
 „ veterum pro anno Passionis Dominicæ alios Consu-
 „ les assignat, nisi S. Epiphanius, qui de heresi Alogo-
 „ rum loquens Vinicium, & Longinum Cassium pro anno
 „ Dominicæ Passionis ponit, quo tamen ipso testimo-
 „ nio nil aliud, quam eundem secundum olympiades
 „ annum, ac duorum Geminorum consignat: quia
 „ certum est, eodem adhuc anno, quo Consulatum
 „ gerebant duo Gemini, usque ad finem Aprilis gu-
 „ bernantes, initio Maii in fasto Paliliorum more Ro-
 „ mano successivè novos Consules, nempe Vinicium,
 „ & Longinum Cassium, creatos esse, prout ex Catalogo
 „ Consulum per Blanchinum demonstrato patet. Ita-
 „ que pro nota temporis Characteristica circa an-
 „ num Passionis Dominicæ certitudine morali assu-
 „ mendus est ille annus, in quem ab initio Januarii,
 „ usque ad initium Maii indidit Consulatus duorum
 „ Geminorum, & residuo tempore illius anni Consu-
 „ latus Vinicii, & Longini Cassii.
 „ Ex his omnibus patet, morali certitudi-
 „ ni meæ demonstrationis de falsitate Æræ Vulgaris,
 „ ab Apologista nec hilum ademptum esse. Afferit qui-
 „ dem

„ dem Authores varios , qui de Æra Vulgari variant,
 „ sed nullos affert , qui argumenta meæ demonstra-
 „ tionis solvant . Siquid valet eorum authoritas , ibi
 „ & tamdiu valet , ubi & quamdiu agitur solis præ-
 „ sumptionibus , prout hactenus agebatur , necdum ha-
 „ bito Catalogo Consulum ex observationibus Astro-
 „ nomicis , antiquis inscriptionibus , antiquis numis ,
 „ & diligentissima combinatione documentorum syn-
 „ chronorum , demonstrato ; at verò habito tali Ca-
 „ talogo , & præ oculis omnium exposita ejusmodi
 „ combinatione documentorum , rogandi sunt , qui
 „ Authores obiiciunt , ut ex iis Authoribus principia ,
 „ & argumenta meæ demonstrationis moraliter certa
 „ dissolvant , quod Apologista non præsttit , prout
 „ hactenus ostensum est . Pro coronide accludo Notas
 „ Charaæteristicas temporum Agredanas , quibus af-
 „ firmo , certitudine physica constare , quòd Ven. Maria
 „ de Agreda Æræ Vulgari inhæserit . Apologista huic
 „ demonstrationi nec verbum opposuit : utrum hoc
 „ genus demonstrationis non intellexerit , vel tanquam
 „ insolubile dissimulaverit , aliis coniiciendum relin-
 „ quo . Interea donec Agredani alium , quām Æræ Vul-
 „ garis trigesimum quartum , designent , cum quo hæ-
 „ notæ temporum charaæteristicaæ ex Reyelationibus
 „ Agredanis de proæpta , quoad Plenilunia Paschalia , &
 „ hebdomadarum ferias , consentiant . Lectores benevo-
 „ li credant certissimè , demonstrationem meam , quòd
 „ Reyelationes Agredanae cum Æra Vulgari consen-
 „ tiant , ab Agredanis nec solvi potuisse , nec posse .

VARIÆ NOTÆ CHARACTERISTICÆ
in Revelationibus Agredanis.

- „ 1 COnceptio B. Virginis contigit die Sabbathi die 8. Decembris ante N.C. annō 16.
„ Part. 1. num. 218. 219. 220. 484. 485. 752.
„ 765. Part. 3. num. 551.
- „ 2 Annuntiatio B. Virg. contigit die Veneris 25. die Martii, novem mensibus ante N.C. Part. 1. num. 765. Part. 2. num. 138.
- „ 3 Nativitas Christi contigit die Dominica 25. Decembris. Part. 1. num. 463. Part. 2. numer. 1035.
- „ 4 Nuptiæ in Cana contigerunt Feriā secunda 6. Januarii, anno post N.C. 31. Part. 2. n. 1034. 1035.
- „ 5 Mors Christi contigit die Veneris, die 25. Martii anno post N.C. 34. Par. 1. num. 1035. 1099. Part. 2. num. 1157. 1297. 1358. Part. 3. num. 742.
- „ 6 Mors B. Virg. contigit die Veneris, die 13. Augusti anno post Christi Nativitatem 55. Part. 3. num. 742.
- „ 7 Pascha Judaicum anno post Christi Nativitatem 31. contigit die 24. Martii. Part. 2. numer. 1045.
- „ 8 Pascha Judaicum anno post C. N. 34. contigit die 25. Martii. Part. 2. num. 1157. 1158. 1159. 1297. 1358.
- „ 9 Pascha Judaicum anno post N. C. 41. contigit circa finem Martii, id est circa 31. Martii. Part. 3. num. 402.
- „ 10 B. Virgo septimo primū annō, ubi per An-

gelum de morte Herodis nuntium accipit, ex
Ægypto revertitur. Part. 2. 1. 4. c. 26. nu-
mer. 669. & 670. & c. 30. num. 703.

N.B. Hæc ultima Nota temporis sola sufficit ad
evidenter, & certitudine morali summa, demonstran-
dam falsitatem Revelationum Agredanarum. Quo-
modo enim mors Herodis dilata in annum septi-
mum post N. C. cum fastis Consularibus, & omni
Historia illorum temporum combinari potest?

Tandem finem habet Excusio Amortiana Ter-
tiæ Partis.

DEFENSIO.

101 **U**T Lectorem confundat Criticus, ad finem
suæ plurimū confusæ excussionis Ter-
tiæ Partis, plura in unum cumulum sine ordine, sine
lege confundere voluit. Sed separemus ea.

Primo non solum præsumptionibus, sed efficac-
cibus quoque, & nondum solutis probationibus osten-
di, non esse certum, quod mors Christi debeat figi
ad Consulatum duorum Geminorum, vel saltem, quod
Consulatus illorum incidit in annum 28. Æræ Vul-
garis. Si enim utrumque hoc certum est, si osten-
ditur *ex constanti traditione SS. Patrum & Ecclesie*, &
quidem tali traditione, quæ sit uniformis, circumstantio-
nata, intrepida, & circa rem publicam nullo perito Scrip-
tore quoad substantiam repugnante, prout superbè ma-
gis, quam verè declamat Adversarius pag. 238. Con-
troversiæ; si tam evidens, tam infallibile, inquam,
hoc utrumque est, tunc utique supra vires viri eru-
diti non esset assignare annum Mortis Dominicæ de-
terminatum, & certum, singulariter non esset supra
vires eruditissimi, & sapientissimi Moderni Pontificis.

Nihilominus hic Commentario de Festis N. 322. fol. 143. ita loquitur: *Si quo^t A^ëræ Christianæ anno crucifixus est IESUS, aut etiam quo^t anno etatis suæ, differere in animo haberemus, Controversiam sanè gravem susciperemus, N.B. cui nostræ Vires impares sunt, &c.* Textum totum à me allegatum videre potes in mea Defensione fol. 290. Cum ergò TANTUS DOCTOR, ET PONTIFEX se imparem agnoscat in designando certo anno mortis Dominicæ, incertum esse debet, in quem Consulatum illa inciderit, vel si de Consulatu constet, debet dubium remanere, cui anno A^ëræ Vulgaris illa affigi debeat, alias enim facilimè indicari posset, præsertim à Sapientissimo, & SS. D. N. BENEDICTO. Unde infero, asserto Amortiano, circa præsentem Controversiam, non *assistere liquidam circumstantiarum aliunde indubiarum veritatem*, nec cum eo *convenire documenta connexa, synchrona, & indubia*. Nam tam liquida, ac tam indubia veritas non fugeret intellectum PONTIFICIS MAXIMI in omni scientiarum genere, præsertim in Eruditio- ne Historica versatissimi. Respondeat Criticus ad hoc argumentum, quod in substantia jam objeci in justa Defensione pag. 290. & seq.

102 Dein non fideliter Anti-Agredanus meam refert Defensionem: estne hæc una mea ratio, quam oppono certitudini in hac materia prætensiæ, quia multi Scriptorum Recentiorum repugnant? certè non. Nonne pag. 290. dixi: *Inter hos Authores, qui in hoc puncto adversantur Anti-Agredano, præter alios etiam sunt P. Schivarz, Barradius, ac illi ferè omnes, qui docent, Christum Crucis esse affixum post annum 15. Tiberii, qui non sunt pauci, etiam N. B. ex antiquis Scriptoribus, & Patribus. Addidi postea, quod Origenes, (ut nil dicam de S. Epiphanio) PP. Synodi Cæfareen-*

sis seu Palestinae celebratae saeculo 2. S. Hieronymus, ac Eusebius non possint in hac parte cum systemate Amortiano convenire. Et revera hi omnes, vel mortem Dominicam alteri Consulatu, vel Consulatum Geminorum alteri anno debent assignare: quidquid autem ex his duobus dicatur, destruit totum argumentum Critici, & istud penitus incertum reddit, ut declaratum est magis in Justa Defensione pag. 288. & rei Chronologicæ peritus statim advertit. Non solis igitur Scriptoribus Recentioribus nitor. Ad hæc, ipsi Recentiores Chronologi non sunt contemnendi, sunt enim *innumerī* (ut ait Berti Tom. 5. L. 29. c. 7. Theol. Disciplin.) qui repudiant illam, de morte Christi sub Consulatu duorum Geminorum, sententiam: sed Chronologi *innumerī*, eti Recentiores, non statim abiciendi sunt, nec credendum, quod sine gravi, & verè probabili fundamento, cœco pruritu, agmine facto in opinionem aliquam irruant.

103. Ulterius docui in justa Defensione pag. 294. quod ipsi veteres PP. & Scriptores, quos pro se allegat D. Amort, in ipsum arma convertant, & ejus systemati repugnant, dum mortem Christi non ad eum diem, ad quem illam statuit Criticus, designant, & sic necessariò contradicunt Critico, & ipsius demonstrationem claudicare faciunt; imò ipso die variato, & annuni variare oportet, ut Chronologie periti sciunt. Itaque, vel Consulatus Geminorum ad alium annum Ærae Vulgaris, vel mors Christi ad alium Consulatum figi debet: quod, ut compertum est, & jam monui, singulariter in Justa Defensione, totum argumentum, imò totum systema Chronologicum Adversarii revertit. Hæc, & alia contra Criticum protuli citata Defensione. Proinde non solis præsumptionibus egi, sed validis fundamentis Amortianam putatitiam demon-

strationem concussi, & sine fundamento solido, in arena esse positam, ostendi.

104 Ast Consulatui Geminorum fixo ad annum Ærae Vulgaris 28. & morti Christi fixæ ad Consulatum istum, convenientia documenta conæcta synchrona, & indubia, utputa fasti Consulares &c. Itane? ergo fasti Consulares sunt documenta synchrona, & indubia? ast dubiam & incertam esse seriem Consularem jam in Defensione mea, & hoc opusculo probavi: & reâpse, ac exercitè confirmat ipse Anti-Agredanus, dum suo Catalogo, quem toties vociferatur esse demonstratum, audet imperterritè contradicere, vel illum mutare, ut Articulo præcedente num. 96. vidimus. Quid igitur de simili Catalogo consendum, quem ipse D. Amort Defensor ejus acerrimus infallibilem haud agnoscit, ac liberè deserit? Dein vel Catalogus ille est demonstratus, & certus, vel non? Si secundum, bene est, & lucratus sum causam. Si primum, sistema Chronologicum Amortianum huic Catalogo certo contradicens, & non subsistens, nisi illius series Consularis mutetur, non est certum, & demonstratum, utpote rei demonstratae, & certæ directè oppositum. Cesset ergo vanagloriatio, qua suum Catalogum, & in eo fundatam Chronologiam continuò usque ad apicem certitudinis, & demonstratae veritatis extollit.

105 Provocat præterea Criticus ad Historicos coævos, ac praxin, & observantiam perpetuam Ecclesiæ. Edicat, quinam sint Historicci illi coævi morti Christi, qui eam Consulatui duorum Geminorum alligant. Nullum in scriptis Adversarii legi: nam quos citat, pluribus sœculis floruere post Christum passum, neque hi se referunt ad Historicos Christo coævos. Hic quidem iterum alludit ad suum dilectum Josephum, sed iste, ut alia taceam, fallibilis ut plurimum est

est in re Chronologica, quemadmodum propriò damnō id se expertum esse dolebit Adversarius, & fateri debebit, si veritati locum cedere velit. Tantū legantur, quæ Articulis immediate p̄æcedentibus, & locis justæ Defensionis ibi citatis dixi. Quod numus Herodis Antipæ pro D. Amort nec obolum valeat, eumque contradictionis, reum faciat, partim ex Articulo priore, partim ex justa Defensione pag. 285. clarum est.

Praxin Ecclesiæ non favere Critico exinde patet, quia SS. D. N. optimè perspectam habet praxin, & observantiam perpetuam Ecclesiæ, quod vix mihi denegabit Criticus. BEATISSIMUS autem PATER jam citatus. (cujus verba in justa Defensione pag. 291. legere potes) ait, *tacito quodam Ecclesiæ consensu probatam, atque communem videri opinionem eam*, quam tenet Baronius circa annum mortis Christi, quæ etiam est Ven. Scriptricis, & cum systemate Amortiano non convenit, sed ab hoc tribus annis differt: quod jana notavi in justa Defensione pag. 293. sed D. Amort illud dissimulavit, nec quidquam respondit.

300 106. Ex die Passionis Dominicæ, quam statuit Criticus, nihil pro se elicit. Nam probabilius falsum est, Christum mortuum esse 26. Martii, cùm plerique PP. quos Adversarius pro se, & die 26. adducit, vigesimum quintum ejusdem mensis statuant, ut pluribus docui in Defensione justa pag. 300. Pauca verba solum recito ex ibi adducto textu SS. D. N. BENEDICTI, qui in Commentario de Festis fol. 142. num.

318. sic loquitur: *Quod ad diem emortualem D. N. IESU CHRISTI pertinet (NB) Vetus est, & perpetua traditio, Christum vigesima quinta die Martii obiisse, ut constat ex Tertulliano, Augustino, Chrysostomo, &c. Hactenus illa excussi, quæ solam ferè autoritatem concernunt, nunc ad alia, quæ in subsidium evocavit contra*

tta me, properandum est, nempè ad Plenilunia Paschalia, & litteras Dominicales, ac Ferias. Igitur

107 Secundò dicit Criticus, me de Pleniluniis Paschalibus &c. ne quidem movere dubium: sed legat dumtaxat illa, quæ à pag. 303. usque ad 307. tradavi in mea justa Defensione, & ex iis discet, me ex autoritate, & ratione in dubium vocasse doctrinam ejus de Pleniluniis, & litteris Dominicibus: fingit itaque, & falsum dicit, dum contrarium mihi affingit. Porro cum ad mea prima de Pleniluniis asserta nil responderit, ea in priore sua quiete remanent, nec Defensione opus habent. Nihilominus ex liberalitate quadam declarabo, quomodo, etiam consentiente Adversario, Paschale Plenilunium rectè congruat systemati Agredano, et si illud non sequatur Æram Vulgarem, sed eam duobus, vel tribus annis anteveritat, prout probabiliter saltem insistendo seriei Consulari Amortianæ, illam tanto spatio antecedit.

Ut verò ad hominem (ut dicere solemus) arguimenter, omnia declarationis principia ex Scriptis Amortianis desumam.

108 Itaque sciendum est, quod sequendo Catalogum Consulum Amortianum, si præcedat Chronologia Agredana tribus annis Æram Vulgarem, mors Christi incidat in trigesimum primum annum Ærae Vulgaris. Jam verò juxta tabulam Paschalem ab Anti-Agredano suis observationibus fol. 513. insertam, illo anno Plenilunium Paschale Kalendarii Nicæni incidit in vigesimum quintum Martii, juxta Kalendarium verò Julianum, & tabulas Astronomicas de la Hire in 27. Martii.

Dices fortè: saltem Plenilunium, quod in 27. Martii incidit, non congruit Paschati illius anni. Sed huic instantiæ ita respondeo ex Adversario, qui pag. 254.

Con-

Gontroversia defendit, Plenilunio Paschali anno 28.
 Æra Vulgaris non obstare, et si illud sive medium,
 sive verum inciderit in 29. Martii. Ait enim, hoc non
 obstante, Plenilunium Paschale juxta Cyclum Judaicum,
 in diem 26. Martii incidisse, cum Plenilunia media, seu
Cyclica à veris triduo distare possint, ut Astronomis notum
est. Si ita loqui libet, & licet Critico, quidni & mihi?
 Si ergo anno Æra Vulgaris 31. Plenilunium Paschale
 verum incurrit in diem 27. tunc Cyclicum ponit po-
 test die vigesimo quinto ejusdem, quia sic ultra tres
 dies non distat à Plenilunio vero. Videatur Anti-Agre-
 danus citato loco, & simul consulatur mea Defensio
 mox anteà allegatis paginis, ubi ex ipso Adversario
 quoque prostrata sunt, quæ ex tabulis Astronomicis
 demonstrata esse jubet. Inde

109 Infero, nec Plenilunium Paschale, vel Pas-
 cha anni trigesimi quarti, seu ultimi vitæ Christi, esse
 notam characteristicam physicè certam anni trigesimi
 quarti Æra Vulgaris, cum hoc Plenilunium, & Pas-
 cha convenire quoque possint anno alteri ejusdem
 Æra. Sed obtrudit Criticus adhuc duo Paschata, ex
 quibus ait constare, quod Ven. Scriptrix secuta fuerit
 Æram Vulgarem. Verum neque istis suum probat in-
 tentum: nam, dum obiicit Pascha Judaicum anni
 trigesimi primi post Christum natum, & ait, illud jux-
 ta Revelationes Agredanas incidisse in 24. Martii, cor-
 rumpit textum, ac sensum Agredanum, qui hoc non
 dicit, ut Adversario jam ostendi in justa Defensione à
 pag. 315.

110 Ut reliquæ quoque notæ aliqualiter excu-
 tiantur, adverti debet, quod ex concernant ferias, &
 dies, quibus quædam gesta Christi, & B. Virginis affi-
 guntur à Revelationibus. Verum circa has, scilicet
 secundam de Annuntiatione B. Virginis, ac quartam

de Nuptiis in Cana, duplicom esse ab Adversario commissam corruptionem textūs , aut sensūs Agredani, jam ostendi in iusta Defensione pag. 310. & seq. ac 313. & seq. Dein universim de istis feriis , ac ordine Litterarum Dominicalium , à quo illæ dependent, nihil certi posse adstrui ex clarissimo P. Schivarz pag. 304. justæ Defens. docui , non sola quidem illius nixus autoritate , sed ratione quoque certè gravi, quam Criticus verisimiliter ideo dissimulat , ac tangere non audet , quia ejus efficaciam timet : juvat itaque eam recolere , ac denuò Critico solvendam obiicere. Censem laudatus Historicus, ideo nihil certi ex ordine Litterarum Dominicalium circa ferias, & gesta Christi posse colligi, cùm bissextilium Canones tunc, dum Christus, & Deipara in terris agebant , fuerint Poparum imperitia sàt confusi: unde etiam Authores circa has Litteras variant , ut P. I. Coll. Hist. fol. 336. ostendit laudatus Historicus. Neque obest, quòd Augustus errorem Poparum denuò compensàrit , jubens duodecim annos continuos sine intercalatione decurrere , non enim per hoc omnem incertitudinem sustulit : quippè, et si illa compensatio ab Augusto facta certa sit , non tamen teste Petaviò certum est , quos annos tres ex illis duodecim non intercalandos Augustus determinârit. Iterum incertum est , quis annus , evolutis hisce duodecim, primus fuerit intercalatus , ita quidem ut , teste P. Schivarz, tres diversæ sententiae sint circa primum annum ab Augusto iterum intercalatum. Cùm igitur ab intercalatione maximè dependeat ordo Litterarum Dominicalium , & illa sit multùm incerta circa annos Christi , etiam Litteræ Dominicales circa illos annos multùm incertæ erunt, ut merito cum P. Schivarz dicere possimus: *Omnia hìc sunt incertæ*, incertæ Tabulæ Astronomicæ , incertæ Tabulae

Ex feriarum. Videatur Justa Defensio.

111 Verum ultima nota temporis de morte Herodis in 7. annum post Christum Natum dilata, sola sufficit ad evidenter, & certitudine morali summa, demonstrandam falsitatem Revelationum Agredanarum. Ita quidem Criticus, qui tamen sola hac putatia demonstratione, vel verius vano figmento, ex pluribus contradictionibus, ac falsitatibus consarcinato, seipsum enormiter prostituit, simulque verè demonstrat, se nihil contra Civitatem Mysticam posse demonstrare, quam Demonstrationum suarum insufficientiam, & evidenter falsitatem. Hæc nota in prima Parte hujus Opusculi, sicut & in defensione justa pag. 436. jam est confutata.

112 Ex his coniici potest, quam falsò Criticus assertat, me nec verbulum opposuisse huic suæ demonstrationi de notis Characteristicis Æ. V. malè depromptis ex Plenilunijs Paschalibus, ac ordine Litterarum Dominicalium. Notavi corruptiones textū in illis, impugnavi eas universim, & declaravi omnium Amortianorum dictorum, circa ejusmodi materias, incertitudinem, & Adversarius audet falsò dicere, quod nec verbulum illis opposuerim: estnè hoc candidè agere? Deinde ait, me afferre Authores varios, qui de Æra Vulgari variant, sed nullos me afferre, qui argumenta ipsius moraliter certa solvant. Ast Authores non attuli, ut ostenderem, illos variare de Æra Vulgari, quam Ven. Scriptrix nec explicitè, immò probabiliter satis nec implicitè adstruit, & quam nec defendendam suscepi, ut liquido constat legenti Justæ Defensionis Partem Tertiam, & illa, quæ hoc capite 3. adduxi. Illos ergò laudavi, ut eorum autoritate, & ratione larvam detraherem personatæ Demonstrationi Amortiane, cui etiam nihil certitudi-

nis adimere volui, aut potui, quia nullam habuit.
 Id quod non solis præsumptionibus, sed efficaci suffragante, ac ex versatissimis Chronologis petita ratione præstiti, diluendo ea, quæ Criticus objecit, & quibus suam putatitiam demonstrationem stabilire studuit. Neque de hoc multa juvat dicere; relinquo rem istam dijudicandam prudenti, indifferenti, & scripta Amortiana cum meis ritè conferenti Lectori, qui hanc dubiè inveniet, Adversarium suis argumentis, probationibus, ac confirmationibus, quæ tot falsitatibus, ac contradictionibus fœtent, id tandem demonstrâsse, quod nihil possit demonstrare contra Chronologiam Agredanam, & ei, licet invitus, probabilitatem suam relinquere debeat, seque eò magis confundere, quo plura scripta contra Civitatem Mysticam publico obtrudat. Ut magis patefiant fraudes, falsitates, & contradictiones Amortianæ circa calculum temporum perpetratae, Catalogum ejus Consulum multa ex parte, additis quibusdam notis, subjungam. Interea me quod attinet, piaculo mihi ducerem, si solius existimationis propriæ, vel conservandæ, vel acquirendæ causâ, tot, & tam palpabilibus falsitatibus Libros, & Tractatus implerem. Sibi forsan persuadet D. Amort, se solum ista intelligere, & neminem in toto mundo ejus errores adeò manifestos posse deprehendere; sed crediderit, si ita sentiat, se à seipso maximo-pere decipi, & confundi: sicut etiam fallitur vehementer, dum in re Chronologica tangente annos, & Gestâ Christi, atque B. Virginis, contra unanimem ferè omnium in notitia temporum optimè exercitatorum virorum sensum, sistema omni ex parte certum, seriemq. Consularem infallibilem sibi singit. Fallitur, inquam, ut vel ipsæ contradictiones, quibus sese toutes, & tanti luculenter implicat, demonstrant. Unde

me-

merito Adversarius, multiplicatis suis hallucinationibus, falsitatibus, & antilogiis, quibus Chronotaxin suam infecit in libris Anti-Agredanis, inferre posset, & deberet illa, quæ Spondanus, in Epitome Annalium Baronii, apparatui ad illos Annales adjungit, ubi ad finem ita pronunciat: *adèo nihil in temporum Historia usquequa certum, & ita plerisque omnes diversi abeunt, dum singuli antiquos Scriptores in suas opiniones detinent, & fastos Consulares ad libitum invertunt, annosque Imperatorum contrahunt, protrahuntve, ut computis suis sequent, ac denique suas temporum epochas, per incertos cœlestes characteres, priscorumq. seculorum neomenias, embolismos, eclipses, ac varios diversarum nationum mensas, firmare gaudent, anxiò sese nimis, & si non prorsus inutili, certè ad rerum per orbem gestarum veram afferendam Chronologiam, admodum incerto labore miserè torquentes.* Hoc inferat D. Amort: sequentia, quæ addit Spondanus, serviunt nobis Agredanis pro conclusione hujus materiae, qui cum eodem exclamamus: *Sed sinamus eos (Amortium, & Amortianos) otiosè in iis industriam suam exercere, ac pertinacissimis inter se dissensionibus (vel contradictionibus) digladiari. Sinaimus eos, nobis sufficit, otiosè, & inutiliter eos tempus, & bonas horas perdere, dum nihil afferre possunt certum in hac, vel alia materia, quod à statu probabilitatis suæ, Revelations Agredanas dejicere valeat.*

CATALOGUS
CONSULUM ROMANORUM
Amortianus
NOTIS NECESSARIIS ILLUSTRATUS.

Scripsi duplarem Consulum Romanorum D. Amort in suis Operibus Anti-Agredanis ponit, alteram in sua Controversia pag. 205. alteram in nova sua sic appellata Demonstratione, ac Excusione pag. 5. Priorem inchoatam ab anno 122. ante Æram Vulgarēm continuat usque ad annum 51. dictę Æræ. Alteram ab anno primo Æ. V. prosequitur usque ad annum 44. Ærę illius. Priori apponit Notas annorum ab Urbe Condita, Olympiadum, & Litterarum Domini-
calium, quas tamen omittit omnes in secunda, ea-
rum loco addens Cæsares, ac acta Historica. Proinde
nec eas ego adducam, cùm ad præfens institutum
meum nihil utilitatis conferant. Ipsa quoque aëta
Historica, ne per ea turbetur ordo, Catalogo quidem
non immiscebo, sed ad declarationem notarum reser-
vabo. Porrò & illos ex antecedentibus Æram Vulga-
rem annis solùm adducam, qui videntur meo propo-
fito necessarii, reliquos dimittam insalutatos, ut iis
Lector sine causa non gravetur. Notas ipsas post Ca-
talogum positas in valvula illis designata dumtaxat
Litteris Alphabeti indico.

<i>Anni ante Æram Vulg.</i>	<i>Cæsares.</i>	<i>Consules Romani.</i>	<i>Note.</i>
72.		L. Gellius Poplicula. Cn. Aufidius Orestes.	Contrad. A.
71.		M. Licius Crassus. Cn. Pompejus Magnus.	Contrad. B.
70.		Q. Hortensius. Q. Cæcilinus Metellus.	Contrad. C.
4.		L. Cornelius Lentulus. M. Valerius Corvinus Messala.	Falsitat. & contra. D.
<i>Anni Æ. V.</i>	<i>Augustus</i>		
1.		P. Vinicius. P. Alfenius Varus.	Contrad. univ. E.
2.		P. Ælius Lamia. M. Servilius.	Contrad. univ. E.
3.		L. Ælius Catus. C. Sentius Saturninus.	Contrad. univ. E.
4.		L. Valerius(Messala) Volosius. Cn.(Cornelius) Cinna Magnus.	Contrad. univ. E.
5.		M. Æmilius Lepidus. L. Arruntius.	Contrad. univ. E.
6.		A. Licinius Nerva Silanus. Q. Cæcil. Metell. Cret. Silan.	Contrad. univ. E.
7.		M. Furius Camillus. Sex. Nonius.	Contrad. univ. E.
8.		Q. Poppæus Sabinus. Q. Sulpitius Camerinus.	Contrad. univ. E.

<i>Anni Æra Vulg.</i>	<i>Cæsares.</i>	<i>Consules Romanos.</i>	<i>Note.</i>
9.	<i>Augustus</i>	P. Cornelius Dolabella. C. Junius Silanus.	Contrad. univ. E.
10.		M. Æmilius Lepidus. T. Stalitius Taurus.	Contrad. univ. E.
11.		Germanicus Cæs. Aug. C. Fontejus.	Contrad. univ. E.
12.		C. Silius. L. Munatius Plancus.	Contrad. univ. E.
13.		Sex. Pompejus. Sex. Appulejus.	Contrad. univ. E.
14.	<i>Tiberius.</i>	Drusus Cæsar. C. Norbanus Flaccus.	Contrad. univ. E.
15.		T. Stalitius Sifenna Taurus. L. Scribonius Libo.	Contrad. univ. E.
16.		C. Pompejus (in Controv. ponitur Pomponius)Flaccus. L. Cælius Rufus.	Contrad. univ. E.
17.		Augustus III. Germanicus Cæsar.	Contrad. univ. E.
18.		M. Junius Silanus. L. Norbanus Balbus.	Contrad. univ. E.
19.		M. Valerius Messala. M. Aurelius Cotta.	Contrad. univ. E.
20.		Augustus IV. Drusus Augustus II.	Contrad. univ. E.

<i>Anni Æra Vulg.</i>	<i>Cæsares.</i>	<i>Consules Romani.</i>	<i>Notæ.</i>
21.	Tiberius.	P. Naterius Agrippa. L. Sulpitius Galba.	Contrad. univ. E.
22.		L. Asinius Pollio. C. Antistius Vetus.	Contrad. univ. E.
23.		L. Cornelius Cethagus. L. Vitellius Varo.	Contrad. univ. E.
24.		Cossus Cornelius Lentulus. M. Asinius Agrippa.	Contrad. univ. E.
25.		Cn. Cornelius Getulicus. C. Calvisius Sabinus.	Contrad. univ. E.
26.		M. Licinius Crassus Frugi. L. Calpurinus Piso.	Contrad. univ. E.
27.		Appius Junius Silanus. P. Silius Nerva.	Contrad. univ. E.
28.		C. Rufius Geminus. C. Rubellius Geminus.	Contrad. F.
		(NB) Sequentem annum cum aliis quibusdam omittit Criticus in secundo suo Catalogo, haud dubiè ex intentione occultandi con- tradictiones hic commis- fas. Verum supplentur nunc omisi ex priore Con- troversia Amortiana.	

<i>Anni Æræ Vulg.</i>	<i>Cæsares.</i>	<i>Consules Romani.</i>	<i>Notæ.</i>
29.	<i>Tiberius.</i>	L. Caſsius Longinus. M. Vinicius.	Contrad. univ. E.
30.		Augustus V. L. Ælius Sejanus.	Contrad. univ. E.
31.		Cn. Domitius Ahenobarbus. M. Furius Camillus Scribonianus.	Contrad. univ. E.
32.		L. Sulpitius Galba. L. Cornelius Sulla Felix.	Contrad. univ. E.
33.		Paulus Fabius Persicus. L. Vitellius.	Contrad. univ. E.
34.		C. Cestius Gallus. M. Servilius Nonianus.	Contradi- ctiones. G.
35.		Sex. Papirius Alenius. Q. Plautus.	Contrad. univ. E.
36.	<i>Caligula.</i>	C. Aceronius Proculus. C. Pontius Nigrinus.	Contr. & Falsit. H.
37.		M. Aquilanus Julianus. P. Nonius Asprenas.	Contrad. univ. E.
38.		C. Cæsar Aug. Germanicus II. L. Apronias Cæsianus.	Contrad. univ. E.
39.		C. Cæsar Aug. Germ. III. <i>solus.</i>	Contradi- ctio. I.
40.		C. Cæsar IV. C. Sentius Saturninus.	Contradi- ctiones. K.

<i>Anni Ærae Vulg.</i>	<i>Cæsares.</i>	<i>Consules Romani.</i>	<i>Notæ.</i>
41.	<i>Claudius.</i>	(NB) In Controversia hi ponuntur Consules C. Cæsar Aug. V. occisus IX. Kal. Februarii. Tit. Catius. P. Cærelius. Et addit : (NB) <i>Consules forte abrafi.</i> In novo opusculo collocantur soli duo ultimi Cajo Caligula omisso.	Contradic- tiones. L.
42.		Ti. Claudius Aug. II. C. Cæcina Largus.	Contrad. univ. E.
43.		Ti. Claudius Aug. III. L. Vitellius.	Contrad. univ. E.
44.		L. Quinctius Crispinus. M. Statilius Taurus.	Contrad. mem. M.

N O T Æ.

(A.) (B.) (C.) Superiùs num. 83. jam insinuatum est, quod Amortius suam seriem Consulum afferuerit, esse demonstratam à FLOERCHENIO. Cum hoc igitur, Adversarium circa ordinem Consularem omni ex parte convenire, est necesse, ni secum ipso velit pugnare, & sibi contradicere, ut nemo, qui adhuc rationis compos est, inficiari potest. Jam vero anno 72. Æram Vulgarem præcedente, à Floerchenio statuuntur Consules *M. Terent. Varro Lucullus*, & *Cnejus Caf-*

Cassius Longinus. Dein illi, quos Anti-Agredanus hoc anno conjungit, ab illo in duos alias annos dividuntur, addito semper alio Collega. Nam D. Floerchenius anno 71. affigit Consulatum *L. Gellii Poplicola, & Corn. Lent. Clodian*: anno verò 70. adscribit Consulatum *Cn. Aufidii Orestis, & P. Corn. Lent. Surra*. Quæ repugnant ordini Consulari Amortiano, ut ex mox relatis, & in ipsius Catalogo, quem hic invatriatum circa seriem Consulum propono, enumeratis Consulibus liquet: videatur num. 83. citatus.

(D.) Anno quarto ante Æram Vulgarem Criticus pag. 37. Novæ Demonstrationis in laterculo hæc adscribit: *Spectatur Ierosolymis Eclipseis Lunaris, & Herodes paulo ante Pascha moritur.* Hoc anno exeunte, & proximo ineunte, Herodi succedunt ejus quatuor filii, *Achelaus, Philippus, Herodes Agrippa, Herodes Antipas, à Cœsare in quatuor Tetrarchias divisi.* Verum hic plura falsa conjunguntur. Primò falsum est, quod Herodes Agrippa fuerit filius Herodis. Secundò, quod huic successerit cum reliquis tribus filiis. Tertiò, quod filii, vel haeredes Herodis fuerint in quatuor Tetrarchias divisi. Hæc omnia falsa sunt, & contradicunt Historiæ Josephi, quam Criticus, circa facta Herodiana, vult certam, & infallibilem, ex qua etiam, suum Chronologicum systema in præsenti materia, imperat esse extra dubium, & ostensum. Videantur dicta num. 94. Dein Amortius etiam contradicit suo Blanchino, cuius tamen systema vult esse demonstratum; hic enim ait, Herodem non paulo ante Pascha, sed 25. Novembris obiisse. Vide dicta num. 88. Taceo alia, quæ citato loco, & sequentibus à me sunt asserta, & quæ ostendunt, Herodem non anno quarto ante Æram Vulgarem esse mortuum, si testimonia Josephi, ad Catalogum Amortianum applicata, aliquid probant.

(E.)

(E.) Catalogus Flœrchenianus universim differt ab Amortiano, cum ille alium annum Æ. V. quam hic tribuat singulis Consulatibus, & interdum uno, interdum duobus annis ab altero discrepet. Quod inde venit, quia D. Flœrchenius nunc aliquos ponit Consules, quos D. Amort penitus omittit, nunc Consulatum ab Adversario positum ille præterit: videatur num. 83. Quia de re series Consularis Amortii semper aduersatur seriei, ex propria confessione sua, demonstratæ. Videatur de hoc superius num. 83. ubi afferuntur verba Anti-Agredani, quibus indicat, suum Catalogum à Flœrchenio esse demonstratum.

(F.) Hoc anno (ita ait Criticus pag. 7. Novæ putatitiae Demonstrationis, & Excussionis) juxta concors testimonium ferè omnium Patrum moritur Christus. Primò contradicit iterum Flœrchenio, qui Consulatum horum duorum Geminorum affigit anno trigesimo Ærae Vulgaris: videatur num. 83. Secundò falsum est, quod juxta concors ferè omnium Patrum testimonium, sub Geminis Consulibus Christus sit mortuus: videatur num. 101.

(G.) Pag. 37. recentis sui opusculi, seu Novæ Demonstrationis &c. dicit: *anno hoc 34. Ærae Vulgaris moritur Philippus anno regiminis 37. ineunte Tiberii 22.* Item pag. sequente asseverat, in hunc annum 34. etiam incurrere Consulatum Aceronii Proculi, & Pontii Nigrini. En duplex antilogia, qua sibi ipsi, & suo Catalogo Consulari contrarius est D. Amort. Nam in Controversia sua pag. 233. demonstrativè certum esse jubet, & mortem Philippi, & Consulatum prædictum incidere in annum 36. Ærae Vulgaris. Dein Catalogus Consulatum ab Amortio positus uterque clare ejus fraudem exhibit, cum in utroque hi duo Consules anno 36. alligentur: videantur dicta n. 95.

(H.)

(H.) Nota Amortiana in Catalogo recentis opusculi pag. 6. sic sonat: *Hoc anno (id est 36. Æ. V.) Herodes Agrippa, filius Infanticidæ obtinet titulum Regium ab Imperatore Caligula.* In laterculo verò pag. 37. (quem huic meo opusculo num. 93. inserui) ait, annis 36. 37. Æ. V. Agrippam obtinuisse titulum Regium à Caligula, (NB) *postquam Tetrarchiam sui fratri Philippi jam triennio possederat.* Quibus plura falsa, tum repetuntur, tum recenter asseruntur. Primo falsum est, Agrippam fuisse filium Herodis Infanticidæ, ut ostensum est supra num. 94. ex Josepho, cuius historia circa facta Herodiana Critico est demonstrata; proinde iterum demonstrationi à se admissæ contradicit. Recoli etiam potest Nota sub lit. D. anteā allata. Secundo falsum est, ac contradicit Josepho, & Amortio, quod Herodes Agrippa annis 36. 37. Ærae Vulgaris obtinuerit titulum Regium (NB) *postquam Tetrarchiam sui fratri Philippi jam triennio tenuerat*, quod satis declaratum num. 95. qui potest relegi. Tertio recurrit jam commemorata sub lit. I. contradicatio de Consulatu Aceronii Proculi, & Pontii Nigrini. Quartò sibi contradicit denuò, dum in suo Catalogo hunc annum statuit primum Imperii Caligulae, cùm tamen in sua Controversia pag. 233. juxta ipsum constet, *Caligulam objisse sub Consulatu Aceronii Proculi, & Pontii Nigrini incidente in annum 36. Æ. V.* quod utique necessariò adversatur Critico, secundum quem (uti habet in sua Controversia pag. 219. & in nova, quam modò excutio, Apologia pag. 37.) Caius Caligula fuit occisus anno 41. Æ. V. videatur num. 96. Quintò contradicit Domino Flœrchenio, qui, non ab anno 36. Æ. V. ut D. Amort, sed 39. inchoat imperium Caii Caligulae Cæsaris. Sextò eidem D. Flœrchenio adversatur, quod Caius Caligula quinque annis præfuerit im-

imperio, ut ponit Criticus in suo Catalogo, cum Floerchenius solum quatuor annos statuat. Vide D. Floerchenium fol. 189.

(I.) In Controversia pag. 223. Criticus refert annum quartum Caligulae in 39. in nova autem demonstratione pag. 37. ait, illum incidere in annum quadragesimum, & iterum in Controversia pag. 223. in annum 36. *Æ. V.* Ecce, quam sibi semper dissimilis sit Anti-Agredanus in sua Chronotaxi, quam nihilominus per omnia cupit, esse infallibilem, & demonstratam.

(K.) Primò Anti-Agredanus Consulatum quartum Caji Cæsaris Caligulae cum C. Sextio Saturnino annexit anno 40. *Æ. V.* & D. Floerchenius, à quo tamen Amortius vult, suam quoque, seu Amortianam seriem Consularem, esse demonstratam fol. 189. eum rejicit ad annum 42. dictæ *Æræ*. Secundò in Laterculo pag. 37. novi opusculi, Criticus ait: *annis 39. 40. Æ. V. Herodes Antipas accusatur Romæ, & condemnatur. Hoc anno cufus est numus Herodianus regiminis anno 43. Herodis Antipæ Tetrarchia datur Herodi Agrippæ.* Hæc dicta iterum continent manifestam contradictionem, nempe hanc, quod Herodes mortuus fuerit, & ejus filii successerint uno, vel altero dumtaxat anno ante *Æram Vulgarem*: quod evertit totum systeema Amortianum, secundum quod mors Herodis, & filiorum successio retrotrahitur usque ad annum 4. ante *Æram illam*. Quæ deducta habes num. 99. & præcedente. Videri etiam potest justa Defensio à pag. 282. ubi ista paulò prolixius explicata sunt.

(L.) Annum 41. *Æræ Vulgaris* in Controversia signat D. Amort quinto Consulatu Caji Cæsaris Caligulae, cùm tamen Floerchenius, nec hoc, nec alio loco quin-

quinti Consulatū hujus meminerit, & omnes Constituti latus Caligulae quaternariō numerō concludat. Forsan corrigere voluit errorem in Controversia commissum, omittendo nunc Caligulam in novo opusculo. Ast hoc ipso ostendit, se errasse prius, & non demonstrasse in sua Controversia, licet in ea semper demonstrationem crepet. Dein timida, & dubia locutio: *Consules forte abrasi*: nec certa, nec demonstrativa est. Neque respondeat, Cæsarem Cajum Januario adhuc occisum, non esse computandum; hoc enim si dicceret, falsum esset: siquidem à renuntiatis ad initium Januarii Consulibus annus numerabatur, et si modico tempore Consulatum gesserint, aliis, vel ob obitum illorum, vel aliam causam, suffectis.

(M.) Nota huic anno quadragesimo quarto AE. V. ab Adversario in Catalogo Consulium pag. 8. novi opusculi apposita, hæc est: *hoc anno moritur Herodes Agrippa anno post obitum patris sui 48, & post obitum Philippi fratris, qui 37. Galilæ prærat, decimo.* Hæc Criticus: consultè prolongans annos Agrippæ, ut aliquale subsidium ferat vacillanti undequaque Chronotaxi suæ. Ait, Agrippam mortuum esse post obitum Philippi fratris *anno decimō*: sed hoc apertè contradicit assertis Amortianis, & pro demonstrata veritate venditis in ejus Controversia. In hac enim ista affirmantur ex Josepho. Primo *Agrippa vitâ priuatus est habens annum Regni (NB) septimum: quatuor namque sub Cajo Cæsare Caligula regnavit annis, (NB) Philippi Tetrarchia potitus per triennium; quarto vero Herodis quoque Tetrarchia adjuncta, tribus reliquis sub Claudi Cæsaris imperio exactis, nempe in Tetrarchia utraque.* Ita ex Josepho pag. 234. Controversiae indubitatum esse assertit. Proinde totum regni Agrippæ tempus uno septennio absolvitur. Ergo etiam totum tempus vitæ ejus post

mortem fratris Philippi ultra septennium extendi nequit, nempè statim, ac mortuus est Philippus cum Tiberio, qui eodem anno cùm illo defungebatur, Caius Caligula Agrippæ tribuit Tetrarchiam fratris sui Philippi; unde primus annus regni Agrippæ, fuit etiam primus annus vitæ actæ post obitum Philippi: alias enim quatuor annis sub Caligula Imperatore non regnasset Tetrarchiâ illâ potitus, cùm Caius Caligula tantum quatuor annis præfuerit imperio, juxta Chronologiam Flörcchenianam fol. 189. & dicta Amortiana pag. 233. Controv. Si autem primus annus regiminis, fuit primus vitæ actæ post obitum fratris Philippi, tunc, sicut non amplius septennio regnavit post mortem Philippi, ita nec diutius vixit. Hæc oīnnia, ex testimoniis Josephi, ab Adversario in sua Controversia à pag. 233. adductis tanquam infallibilibus, patent. Videantur etiam dicta hoc meo opusculo num. 95.

Modica hæc notâsse sufficiat, plura exactius observari possent, ut credo, errata, si diligentius excuterentur singula dicta Adversarii. Interea vel ex his solis satis confusa est gloria Anti-Agredani, qui publico, sub nomine demonstrationis, exhibit tantum plaustrum antilogiarum, & falsitatum, quibus secum ipso, & cum illis, ex quib[us] suum contendit esse demonstratum systema, continuò pugnat, homo varius semper, & inconstans.

CAPUT IV.

EXCUTITUR EXCUSSIO PARTIS IV.

ARTICULUS I.

EXCUTITUR INTRODUCTIO, VEL
Præfatio Adversarii.

113 **E**xcuſſio Partis Quartæ nec hiſò est me-
 lior prioribus, ut vel ipſa præfatio,
 aut introductio comprobat, ſic ſe habens apud Ad-
 versarium: „ In hac Parte IV. Apologista præmittit
 „ per modum Postulati duo prænotanda. Primum eſt
 „ iſtud: ſi argumenta Adversarii ſolum probabilia, & non
 „ certa ſunt, nihil officiunt Scriptis Agredanis: rationem
 „ hujus Postulati reddidit in Præfatione Partis Tertiæ,
 „ & in pluribus aliis locis, ubi perpetuò protestatur,
 „ à ſuis Agredanis nil aliud prætendi, niſi probabili-
 „ tatem earum Revelationum. In Præfatione præfata
 „ ſic ſcribit: Præmitto, ſemper per decurſum hujus opus-
 „ culi, præ oculis habendum eſſe, quod Revelationes Agre-
 „ danæ non vendantur pro iis, quæ fide Divina, & indu-
 „ bitata credi debent; ſunt enim Revelationes privatæ, quæ
 „ haud aliter, quam probabiles, ac piè ab aliis credibiles,
 „ approbari ſolent in Ecclesia. Non ergo ſtatiū expugnatae
 „ cendendæ ſunt, ſi de earum veritate certò non conſtat, ſi
 „ probabilitas argumentis impeti poſſunt. His enim ſtantia-
 „ bus poſſunt adhuc manere valde, & verè probabiles, &
 „ eſſe piè credibiles, maximè, ſi concurrant alia signa, quæ
 „ illuſionis ſpeciem amovent. Ita postulat Apologista; in
 „ quo

quo postulato explicito observo, contineri duo alia
 postulata iimplicitè; nam dum probabilia certis oppo-
 nit, eo ipso iimplicitè prætendit, nihil offici Reve-
 lationibus Agredanis, etiamsi ostendantur esse pro-
 babilius falsæ. Alterum, quod iimplicitè postulat.
 Apologista, consistit in eo, quod licet hæ Revela-
 tiones monstrentur esse probabilius falsæ, nihilomi-
 nus debeatur illis reverentia, veneratio, ac res-
 pectus tanquam rebus, quæ saltem probabiliter sunt
 Divinæ. Huc enim collimat tota intentio Agredista-
 rum, ut habeantur tanquam sacrilegi, qui verbô,
 aut factô irreverenter tractant res, quæ probabiliter
 sunt Sacratæ, vel Divinæ, v.g. Hostias, quæ
 probabiliter sunt consecratæ, aut Reliquias, quæ
 probabiliter sunt genuinæ &c. Huc, inquam, Agre-
 distæ iimplicitè collimant, licet necdum apertè, &
 explicitè hunc à tota Ecclesia cultum prætendant.

Secundum Postulatum Apologistæ est, ut si Re-
 velationes Agredanæ ex aliquo principio, aut ex-
 perimento Philosophico convincantur certitudine
 physica esse falsæ, id nihil officiat Revelationibus
 Agredanis. Ratio est, quia Agredistis licet confu-
 gere ad miracula, quæ omnem etiam certitudinem
 physicam contemnunt, & irrident. Hoc Postula-
 tum Apologista non iisdem verbis, eodem tamen
 sensu pro urbe refugii eligit, dum in Præfatione
 Partis Quartæ sic scribit: Secundum notandum est,
 quod præviè moneri petit, mirabilia, quæ DEUS in SS.
 Deipara operari dignatus est, legibus nature, & Philo-
 sophicæ haud esse conclusa: unde sequitur, non statim
 rejiciendam esse aliquam assertionem circa vitam, ac
 gesta B. Virginis, licet illa videatur contraria quibusdam
 sententiis Philosophicis. Ex hoc ergò Postulato sequi-
 tur, nihil offici Revelationibus Agredanis, si ea, quæ

„ in illis Revelationibus tanquam connaturales causæ,
 „ proprietates , effectus , aut circumstantiæ rerum gestarum
 „ simpliciter sine nota charæteristica miraculi enarrantur , demonstrentur esse Physice impossibilia. Recepipiunt enim se Agredistæ ad urbem refugii , hoc est
 „ ad suffugium miraculi. Itaque juxta Apologistam
 „ frustra laboravi , dum in meo de *Revelationibus* opere ,
 „ & in Historia Controversiæ Agredanæ attuli argumen-
 „ menta varia ex Matheſi , Philosophia , & Historia ,
 „ quæ Revelationes Agredanas partim falsitatis con-
 „ vincunt , partim præsumptione falsitatis violenta
 „ gravant.

„ Post præfata duo Postulata , Agredanus Apolo-
 „ gista conatur suo robore destituere argumenta à me
 „ proposita , intermixtis subin observationibus , quod
 „ textus à me ex versione Germanica allegatus , discor-
 „ det à textu originali Hispanico. Quantum roboris
 „ Apologista meis argumentis detrahatur , patebit ex
 „ decursu : quod ad corruptiones textuum attinet ,
 „ sufficienter respondi in Historia Controversiæ. Ipsa
 „ verò Postulata Postulatis contrariis subverto. Sit
 „ itaque

„ Postulatum 1. Si contra aliquod corpus Reve-
 „ lationum afferantur centum falsitatis argumenta , ex
 „ quorum quolibet seorsim sumpto monstrantur esse
 „ probabilius falsæ , eo ipso laborant specie falsi , ac
 „ proin , per argumentum Decreti Concilii Tridentini ,
 „ ab usu publico Ecclesiastico arcendæ sunt. Patet per
 „ se , & ex dictis Part. 1.

„ Postulatum 2. Si in Revelationibus quibuscumque recenseantur tanquam connaturales causæ , proprie-
 „ tates , effectus , aut circumstantiæ rerum gestarum nullâ addita nota characteristica miraculi , quoad
 „ eam causalitatem , proprietatem , aut circumstan- „ tiam ,

„ tiam , quæ tamen ex Mathesi , Philosophia , aut
 „ Historia ostendantur , esse physicè impossibilia , non
 „ tanquam miraculosa , sed tanquam absurdæ , & falsæ
 „ explodenda sunt . Ratio est , quia alioquin non ha-
 „ beretur criterium inter Pseudo-Evangelia , & genui-
 „ na , inter Fabulas , & Historias , inter Apocrypha , &
 „ sincera , inter veras Revelationes , & falsas , prout
 „ in opere de Revelationibus ostensum est.

„ Postulatum 3. Si contra corpus aliquod Reve-
 „ lationum , quarum Scriptor , vel Scriptrix affirmat,
 „ omnes sine exceptione venire à Deo , afferantur
 „ centum argumenta falsitatis seorsim probabilia , vio-
 „ lenta præsumptio falsitatis adversus integrum cor-
 „ pus Revelationum concipienda est , quæ non exclu-
 „ ditur , nisi per demonstrationem certam Revelatio-
 „ nis factæ . Hoc Postulatum bimembre , quoad poste-
 „ riū membrum patet , quia præsumptiones violentæ
 „ nulli cedunt , nisi liquidæ veritati . Itaque , nisi Agre-
 „ distæ attulerint argumenta demonstrativa , aut de-
 „ monstrativis æquivalentia , quòd corpus Revelatio-
 „ num Agredanarum sit ex integro revelatum à Deo ,
 „ sed tantum in argūmentis probabilibus hæreant ,
 „ præumptionem violentam oppositam Revelationi-
 „ bus neutiquam enervant . Quoad primum verò
 „ membrum Postulati , quòd nempè sola argumenta
 „ probabilia congregata præumptionem violentam
 „ pariant , probatur ab innumeris exemplis . Sic enim ,
 „ prout in Historia Controversiæ Agredanæ Part. 5.
 „ fol. 548. ostendi ad finem ; si dentur 100. monetæ
 „ diversarum formarum , quarum quælibet est proba-
 „ biliter falsa , ob rationes particulares cuilibet pro-
 „ prias , moraliter certum , aut certè violenta præ-
 „ sumptio est , unam , & alteram esse falsam . Et quan-
 „ do in hospitali dantur centum ægtoti , diversis

„ morbis periculose decumbentes , ita ut de quolibet
 „ eorum probabile sit , moraliter certum , aut certe
 „ violenta præsumptio est , unum , vel alterum ex iis
 „ moriturum. Et quando dantur centum domus rui-
 „ nosæ , de quarum singulis probabile , eam brevi rui-
 „ turam , moraliter certum , aut certe violenta præ-
 „ sumptio est , unam , vel alteram brevi ruituram.
 „ Et , si producantur centum testes , de quorum singu-
 „ lis ob rationes particulares probabile sit , cum falli,
 „ aut fallere , violenta præsumptio est , unum ex illis
 „ falli , aut fallere. Et , si testis alioquin fide dignissi-
 „ mus testetur circa trecenta objecta à se observata,
 „ vel audita in Indiis , circa quorum singula possit
 „ habere locum deceptio passiva testantis , ita ut circa
 „ singula illa objecta , ob particulares rationes , pro-
 „ babile sit , eum falli , moraliter certum , vel certe
 „ violenta præsumptio est , eum falli , saltem in una,
 „ vel altera relatione. Et , si centum personæ ducantur
 „ ad inquisitionem , quarum quælibet ex particuliari-
 „ bus indiciis suspecta est , & probabiliter rea , mora-
 „ liter certum , vel saltem violenta præsumptio est,
 „ unam , vel alteram , licet quoad nos indetermina-
 „ tam , esse ream. Jam applicando hæc exempla ad
 „ centum assertiones Ven. Mariæ de Agreda , utut fide
 „ dignissimæ , eo ipso tamen illusioni phantasie ob-
 „ noxiæ , si harum singulæ monstrarentur esse probabi-
 „ liter falsæ , consequitur , moraliter certum , vel sal-
 „ tem violentam præsumptionem esse , quod saltem
 „ una , vel altera earum , licet quoad nos indetermi-
 „ natæ , falsa sit : quod concessò , eo ipso sequitur , non
 „ esse probabile , corpus Revelationum Agredanarum
 „ ex integro , prout Ven. Scriptrix afferit , à Deo
 „ esse .

„ Ex his etiam consequitur , quod Apologista non
 „ re-

„ referat fideliter vim meæ demonstrationis. Ego
 „ enim præsumptionem violentam , & vim convin-
 „ centem posui in aggregato , seu collectione om-
 „ nium indiciorum probabilium Revelationes Agre-
 „ danas gravantium; ille verò mentem meam sic ex-
 „ ponit, quasi in argumentis singulis , aut vim con-
 „ vincentem, aut præsumptionem violentam agnos-
 „ cám. Hinc Parte IV. id solum totus agit, ut osten-
 „ dat, argumenta scorsim sumpta neutiquam ejus ro-
 „ boris esse, ut Revelationes Agredanas, aut falsitatis
 „ convincant, aut præsumptionem violentam pariant:
 „ quàm iniqua sit hæc mentis meæ expositio, non so-
 „ lùm ex conclusione mea Partis V. sed etiam ex ipsa
 „ operis mei Præfatione, imò ex ipsa Dédicatione mea
 „ ad SS. D. N. BENEDICTUM XIV. liquet. In Præ-
 „ fatione, de meis argumentis loquens , his verbis
 „ mentem meam exposui : in Parte IV. affero ex Ma-
 „ thesi , Philosophia , & Historia argumenta varia,
 „ quorum aliqua determinatè moralem certitudinem,
 „ alia verò saltem magnam probabilitatem , seu pru-
 „ dens dubium adversus Revelationes Agredanas evin-
 „ cunt. Ipsiis autem his argumentis probabilibus (NB)
 „ collectivè, sumptis certitudinem moralem tribuo,
 „ quia morali certitudine constat, inter centum casus
 „ fallibiles , ubi ad destruendam Divinitatem Civitatis
 „ Mystice sufficit , si in unico casu fallant , non pru-
 „ denter sperari uniformem exitum , nisi aliunde de-
 „ monstretur certitudo absoluta pro Revelationibus
 „ Agredanis. Talem verò certitudinem non reperiri
 „ Parte VI. & VII. evinco. Eodem modò loquor in De-
 „ dicatione ad Sanctissimum ; en verba Dédicationis:
 „ in Parte IV. ex Matheſi , Philosophia , & Historia varia
 „ argumenta resumo, quorum nonnulla in eo certitudinis
 „ gradu colloco, ut apud peritos prudens dubium plane

„ nullum relinquant. Aliis pluribus in hoc genere argui.
 „ mentis, vires saltem movendi prudens dubium affero, quod
 „ sufficerit, ut circa Revelationes Agredanas, nullo indu-
 „ bio diuinitatis charactere insignitas, (NB) ipsa sua mul-
 „ titudine, prudentibus metum fortem latentis aliquando
 „ falsi iniijciant. Ex his manifestum est, à me in meis
 „ argumentis agnoscí, & vendi aliqua solùm tanquam
 „ probabilia, ita tamen, ut, ex collectione tot indi-
 „ ciorum falsitatis probabilium, nascatur violenta
 „ præsumptio. Quis est ergo ille incorruptionis can-
 „ dor in iis, qui mihi falsationem textus Agredani te-
 „ merè obiiciunt, dum ipsimet mentem meam, non
 „ in puncto ad caput rei indifferenti, vel accidentalí,
 „ sed in articulo omnium maximè substanciali, tam
 „ malè exponunt, ut ubi ego vim demonstrativam,
 „ aut præumptionem violentam in collectione argu-
 „ mentorum probabilium colloco, illi Lectori sicut
 „ faciant, quasi omnia pro demonstrativis, aut pa-
 „ rientibus violentam præumptionem venditem?

„ Ex his autem consequitur, Partem IV. Apolo-
 „ gistiæ laborare in ventos, dum responsis suis in id
 „ unum incumbit, ut ostendat, varia mea argumen-
 „ ta seorsim spectata non esse convincentia. Idipsum
 „ enim, prout ostendi, non semel, nec in uno loco
 „ professus sum. Itaque cùm Apologista vim mei ar-
 „ gumenti ne quidem attigerit, à scopo longè aber-
 „ rat, tamdiùque vistam dabit causam, donec osten-
 „ derit, ea argumenta, quæ pro demonstrativis habeo,
 „ non esse demonstrativa, & quæ pro probabilibus
 „ vendito, aut non esse probabilia, aut si sint proba-
 „ bilia, ea non esse idonea ad conflandam aliquam
 „ moralem certitudinem, vel præumptionem violen-
 „ tam, etiamsi collectivè sumantur.

„ Si quis proin querat; quānam determinatè ar-
 „ gu-

„ gumenta pro demonstrativis, quænam tanquam pro-
 „ babilia venditem, id sequens meorum argumento-
 „ rum brevis indiculus docebit, ubi dūm ostendo,
 „ argumentum ab Apologista non exui suā certitudi-
 „ ne morali, aut physica, signum esto, illud à me de-
 „ fendi tanquam demonstrativum. Reliquis, in qui-
 „ bus non ostenditur variatio textū Hispanici, quoad
 „ substantiam, probabilitatem, aut præsumptionem
 „ vendito. Hucusque Præfatio Anti-Agredani, qui,
 ut exhibet

DEFENSIO

114 **P**Ræter verba inania nihil attulit. Præ-
 primis primum meum Postulatum pe-
 tit crīsibus satis ineptis. Pronuntiavi, probabilitatem
 solam oppositam Revelationibus Agredanis, illis ob-
 stare minimè. Assertum istud extra dubium me jam
 posuisse in Defensione Justa à pag. 813. confido: pla-
 ceat ibi videre; neque enim animus mihi est antiquam
 semper tundere incudem, & saepius recocta nauseam
 solūm creant.

Ast, ait Criticus, me in dicto Postulato oppone-
 te certis probabiliā: ita est; nempē in hoc sensu, quod
 non requiratur, ut constet certō de privatim Reve-
 latorūm veritate, scilicet objectiva, sed sufficiat, ip-
 sis competentem suffragari probabilitatem, quod nihil
 Sacris Litteris, aut aliās sanę doctrinā, aut bonis mo-
 ribus dissonum contineant. Atque hoc pacto cum SS.
 D. N. BENEDICTO XIV. ac cum ipso Amortio ci-
 tatis pag. 817. Justae Defensionis, ac aliis Viris docti-
 simis loquor, nec deest ratio: quia privatæ Revelatio-
 nes, tantum probari solent, ut eas cēu dicto modo
 probabiles, non verò ut certas, aut fidē Divina cre-
 den-

dendas respiciamus. Verum istam, quæ omnes Revelationes privatas, & non solas Agredanas spectat, doctrinam haud sustinet Adversarius.

115 Dicit enim iterum, quod eo ipso implicitè prætendatur, nihil offici Revelationibus Agredanis, etiamsi ostendantur *probabilis* falsæ, quia licet demonstrentur probabilissimè in summo gradu probabilitatis esse falsæ, necdum tamen per hoc sunt certò falsæ.

Quibus Criticus nimium sibi iterum sapiens, insidias struit placito non tam meo, quam virorum gravissimorum; verum ab his me facile expedio, dico, quid intelligam, dum affirmo, Revelationibus Agredanis (idem est de aliis privatis) non obesse, si probabilibus argumentis impetantur; nam quid Author implicitè intelligat, ubi verba id non indicant, hoc ex ipso petendum est, cum quilibet sit interpres verborum suorum; neque statim pro libito alicui Scriptori sensum quempiam implicitum, de quo ille forte nec cogitavit unquam, affingere licet. Aperio ergo mentem meam asserens, præeunte R. P. Viva in Thesin 3. ab Alexandro IV. confixam num. 103. Revelationem aliquam, vel propositionem privatim revelatam eo usque esse probabilem, & piè credibilem, ac non esse rejiciendam ut certò falsam, quousque excessus opinionis probabilioris, vel probabilissimæ oppositæ non sit tantus, ut pariat quamdam certitudinem moralem &c. Igitur quæro ex Adversario, ne de voce multum certemus: intelligitne per opinionem probabilissimam talem, quæ oppositæ probabilitatem veram, ac solidam penitus evacuat, & relinquit solam probabilitatem tenuem? vel intelligit illam, quæ adhuc secum compatitur aliam verè, respectivè, & absolute probabilem sententiam oppositam, licet in

infimo probabilitatis gradu constitutam? Si primum, ajo, me negare omnino, quod talis propositio, quæ dicitur privatim revelata, adhuc possit dici sufficienter probabilis, & quod ei non obstat probabilissima sententia opposita; secus est, si alterum affirmetur. Subdo tamen, quod nec D. Amort, nec aliis hucusque contra ullam ex Revelationibus Agredanis proferre potuerit sententiam oppositam in primo sensu probabilissimam, vel in eo probabilitatis, sive majoris, sive summæ gradu constitutam, ut penitus solidam, ac veram probabilitatem talis Revelationis elicerit, eamque reddiderit certò falsam. Quod patet ex Justa Defensione, & meo proposito abundè sufficit.

116 Postulatum meum secundum non tam implicitum, quam explicitum est hoc, quod Revelationes Agredanæ probari, & permitti possint ad normam aliarum Revelationum à Sede Apostolica approbatarum. Atque in hoc me haud quaquam errasse existimabit ille, qui mente quieta, à præjudiciis libera, ultimum articulum Defensionis Justæ de probabilitate Revelationum Agredanarum tractantem, legere voluerit. Ubi verò dico, vel tacite etiam insinuo, sacrilegum esse, qui irreverenter tractat Revelationes Agredanas probabiliter veras; sicut sacrilegus est tractans irreverenter hostias probabiliter consecratas? Nihil, quod vel minimam speciem haberet, aut suspicionem moveret similis absurdī effati, tota in Justa Defensione, aut aliis Vindiciis Agredanis reperiet benevolus Lector. Affingit ergo Anti-Agredanus talia placita Agredistis, ut eos, & Scripta Agredana contemptui, & ludibrio hominum, rem istam non penetrantium, queat exponere.

117 Postulata alia Criticus objicit meis præsup-

positis, quę tamen omnia mérito postulantur falso. Primum, & tertium variè jam excusum est in Justa Defensione, & nuper primum in præsenti meo ope- re num. 72. & seq. Placeat videre ibi dicta, & citata ex Justa Defensione, sicut & ipsum integrum ultimum paragraphum ejusdem Justæ Defensionis, in quo li- bratur probabilitas Revelationum Agredanarum ad pondus Sanctuarii, & mentem versatissimorum in hac arte virorum. Ad hæc, si Criticus hic vel suppose- re, vel affirmare velit, suo primo Postulato, se cen- tum fallitatis argumenta Revelationibus Agredanis opposuisse, ex quorum quolibet scorsim sumpto monstrentur esse *probabilis* falso, ipsius assertio non solum *specie falsi* laborat, sed reāpsē falsa est. Quām parum probabilitatis, plerisque argumentis Anti-Agre- danis ab Amortio conglobatis, insit, nōrunt illi, qui ea cum responsonibus Agredanorum expenderunt, idque patesiet amplius in sequentibus.

Sed impugnemus Criticum propriō telō. Ex assertionibus centum Ven. Mariæ de Agreda, utut fide dignissimæ, si tamen singulæ monstrentur esse probabiliter falso, seu sint tantum probabiliter veræ, aut mērē probabiles, consequi existimat, certum esse moraliter, vel saltem violentam præsumptionem, quòd saltem una, & altera earum falsa sit, & sic non sit probabile, totum corpus Revelationum esse ve- rum. Verūm si hoc de centum Revelationibus tan- tūm probabiliter veris dici debet, nonne & idem asseri potest, & debet de centum illis argumentis probabilibus Amortianis, quibus probat, vel proba- re nititur, has Revelationes singulas probabiliter esse falsas? quidni? siquidem probabilitates Amortianæ plus privilegii sibi non vindicant, quām aliæ; ergo & moraliter certum, vel violenta præsumptio est,

quòd

quòd tota collectio harum probabilitatum non sit probabilis ex integro. Jam sic quæro : possuntne stante hac præsumptione violenta ; aut certitudine , adhuc centum illæ assertiones Amortianæ merè probabiles , & consequenter fallibiles approbari , ut licetè legi valeant ? Omnino possunt probari , si præter solam probabilitatem illis nihil obstet , respondebit Amortius ; aliæ enim non solùm de his Scriptis Anti-Agredanis , sed etiam de omnibus ferè libris Theologorum Scholasticorum , ac Philosophorum foret conclamatum , cùm in iis ordinariè pleræque , & ultra centum conclusiones merè probabiles , quæ etiam ab aliis probabiliter falsæ dicuntur , reperiantur , & sic non amplius approbari possent ; si earum approbationi mera probabilitas centum propositionum officeret . Verùm inde sequi necesse est , quòd , & Revelationes Agredanæ , non obstante illa collectione tot probabilium assertiorum , adhuc approbari possint , ut licetè legi queant : quia & Revelationes privatæ tantum probantur , & legi permittuntur , sicut libri aliorum Auctorum , ut in Defensione Justa , & in hoc opusculo ex SS. D. N. BENEDICTO XIV. & Eminentissimo Cardinali Turrecremata monuj.

118 Neque obstat , quòd omnes Revelationes dicantur Divinæ , vel à Deo esse : nam & hoc tantum probabile est , & ex fide humana Ven. Scriptricis , Personæ famâ sanctitatis claræ pendet . Verùm hujusmodi commenta , quæ Criticus perpetuò repetit , jam omnia sunt dissipata , & soluta à pag. 813. Justæ Defensionis , ut nullatenus D. Amort causam conquerendi habeat , quòd mentem , aut vim argumenti ipsius non attigerim , aut falsò fuerim interpretatus : hoc enim falsò afferit . Evidem crisiñ hanc inutilem de centum propositionibus probabilibus collectivè

acceptis, ex qua violentam præsumptionem contra Civitatem Mysticam deducere conatus est, per plura folia perstrinxi ad finem, seu Articulo ultimo Justæ Defensionis; hinc Parte IV. & V. mihi solum reliquum erat docere, quod omnes, & singulæ assertiones Agredanæ, ab Adversario in dubium revocatae, adhuc sint, & maneant solidè probabiles. Ex eo enim, uti modò vidimus, jam infertur, quod nulla violenta præsumptio, quæ earum approbationi obesset, possit adstrui.

Nihilominus, ne credat Criticus, sua exempla superius adducta de 100. monetis probabiliter falfis, de 100. ægrotis periculosè decumbentibus, ac centum domibus ruinosis, & aliis ejusmodi, esse tam ponderosa, ut ea ne digito quidem hic attingere, vel levare audeam, aut possim, ea brevi, & repetita retorsione in Adversarium rejicio. Percontor enim: vel ex recitatis exemplis sequitur, unam ex 100. sententiis merè probabilibus Amortii, aut aliorum Scholastico-rum, esse certò falsam, aut sanè præsumptionem esse violentam, quod una ex iis sit certò falsa, vel non sequitur. Si secundum, idem infertur de 100. assertis Agredanis solum probabiliter veris, & argumentum Amortianum omni robore destituitur. Si primum, recurrit mox à me formata ratiocinatio. Nam si non obstante cumulo centum placitorum merè probabilium, seu probabiliter etiam falsorum, possunt libri Scholasticorum, ac Amortii probari, & edi, ac legi permitti, idem judicium ferri & potest, & debet de Civitate Mystica, ut ex præsenti discursu fit liquidum.

Præterea non obesse quidquam Revelationibus privatis, earumque approbationi, esto una, vel altera assertio earum in se falsa sit, dummodo verè proba-

bilis respectu nostri intellectus maneat, neque certe
 falsitatis argui queat, inferius num. 275. hujus opus-
 culi clarè docet SS. D. N. BENEDICTUS XIV. ubi
 quoque pronuntiat, nihil absurdī inde deduci, dum
 duæ diversarum personarum Revelationes sibi sunt
 contrariæ, aut omnino contradictoriæ, ex quibus
 utique unam in se esse falsam necesse est, cùm duæ è
 diametro contrariæ, & sibi repugnantes doctrinæ
 simul veræ esse hardi possint. Præter alia mox citato
 loco videnda hæc habet ERUDITISSIMUS PONTI-
 FEX: *Nihil refert, quædam falsa (in Revelationibus pri-
 vatis contenta) piè credi. Non quòd ea ratione, qua falsa
 sunt, vel si sciuntur esse falsa, credi possint; procul hoc
 à pietate fidelium: sed cadit existimatio, vel pia creduliti-
 tas, non super veritate, & falsitate, sed tantummodo
 super apparentia, vel probabilitate. Et hoc utique non est
 periculosum, vel falsum; quia constat de apparentia, &
 probabilitate, dum falsitas, vel veritas ignota est. Sicut
 stat, quodlibet contradictionum esse probabile, & unum
 stat cum altero, (NB) non in veritate, sed probabilitate;
 sic diversis respectibus utrumque contradictionum credi po-
 test cum fidei puritate.* Plura citato num. 275. præsen-
 tis opusculi dicit SS. D. N. quæ miscas Amortianas
 penitus abigunt. Etenim ex his ita inferre possum.
 Primo, duo contradictionia possunt non solum seorsim,
 sed & simul sumpta esse probabilia, & horum
 probabilitas stat simul, licet unum eorum indetermi-
 nate sumptum, necessariò, & evidenter sit falsum:
 ergo à pari etiam centum Revelationes merè proba-
 biles non solum seorsim, sed etiam simul acceptæ
 manent probables, quamvis earum una, aut altera,
 scilicet indeterminate accepta esset (ut interea per-
 mitto) certò falsa. Secundo, Revelationes duæ con-
 tradictoriæ probabiliter veræ possunt piè credi, &

simul permitti, ut legantur, esto una earum indeterminate accepta necessariò, & evidenter falsa sit: item Revelationes istæ duæ contrariæ, vel contradictoriæ nihil de sua perdunt probabilitate, quam scorsim habent, etsi simul sumantur; alioquin simul ab Ecclesia non possent approbari, aut permitti: ergo idem dic de cumulo 100. Revelationum verè probabilem, & conclude, probabilitatem in Revelationibus privatis requisitam non tolli per hoc, quòd una, vel altera earum indeterminate accepta, sit certò falsa, sed exigi, ut determinari queat, quænam singillatim falsa sit: alias duæ Revelationes contradictoriæ non possent sufficienter manere probabiles, nec simul permitti, ut legantur, nec piè credi. Hunc nodum solvat Criticus, quo ipsum Maximi Pontificis doctrina constrictum tenet.

119 Quæ reddit Adversarius ad secundum meum Postulatum, more consueto Amortiano falsa sunt, & falsam maculam Revelationibus Agredanis tribuunt. Hæ enim nuspian illa, quæ in Christo, & Deipara supra naturam sunt, recensent tanquam *causas connaturales, proprietates, effectus, circumstantias rerum gestarum*, nullâ additâ notâ characteristicâ miraculi, aut eventus supernaturalis. Contrarium constat ex tota Parte IV. & V. Justæ Defensionis, imò ex universa Civitate Mystica attentè perlecta. Quare Postulatum secundum Critici laborat suppositò falsò.

Insuper argumenta illa, quæ in causa Agredana pro demonstratis habet D. Amort, non esse demonstrata, & ea, quæ pro probabilibus venditat, aut non esse probabilia, aut si sint probabilia, non esse idonea ad conflandam aliquam moralem certitudinem, vel præsumptionem violentam, etiamsi collectivè sumantur, partim ex his, partim in Defensione Justa,

citato loco agitatis, liquidum est; ab imputatis vero corruptionibus textus, se Criticum nondum purgasse per refugium ad versionem Germanicam, neque se purgaturum esse deinceps, superius Parte secunda hujus opusculi, & in Defensione justa variis locis de hac re dicta exhibent. Criticus itaque sisyphi more versat saxonum nitendo sudans, neque proficit hilum, dum in omnem se partem movens, Revelationes Agredanas nec lato ungue è possessione suæ probabilitatis movet.

ARTICULUS II.

EXCUTIUNTUR ARGUMENTA
Adversarii ex Matheſi, & Phi-
losophia.


IN hoc, & sequente Capite quinto primò ponitur argumentum, & responsio Adversarii ad meam justam Defensionem iisdem verbis, quibus leguntur apud eundem in suo novo opere, seu nova sua Demonstratione, & Excussione; subinde subdo novam, & continuatam Defensionem.

Argumentum I.

120 „ **R**evelationes Agredanæ dicunt, Hierosolymam distare Nazarethō 30. milliarib; & contrā domum Zachariae, seu Civitatem Juda tantum distare Nazarethō 27. milliaribus; quod est impossibile; cū Civitas Juda utpote Hierosolyma australior, evidenter longius distet Nazarethō, quam Hierosolyma. Part. 2. num. 201. 211. 738.

„ **P.** Hoc argumentum Apologista non exuit sua

, certitudine: nam si fingat Nazarethum, Samariam,
 & Hierosolymam sitam esse in triangulo, nihilomi-
 nus minor erit distantia ex urbe Hierosolyma, vel
 certe æqualis, quam ex domo Zachariae. Poterit
 enim itinerans Hierosolyma tendere per A. B. C. ut
 patet ex adjecto schemate.



Hoc est argumentum, & responso Amortiana mihi data.

Primò in Defensione justa pag. 323. ostendi, ab Adversario corruptum esse textum Agredanum, qui semper leucas ponit, ubi Criticus milliaria habet, cum tamen leucam inter, & milliare magnum apud eruditos discriben intercedat. Quam corruptionem non delet per hactenus allatas excusationes, ut ex dictis Part. 2. hujus opusculi, & assertis Civitatis Mystice variis locis claret. Secundò dissimulat aliam rationem meam sanè gravem, quam attuli pag. 326. Consistit ea in hoc, quod teste Sansonio peritissimo Mathematico, nulla Mappa Geographica exactè designans situm locorum Palæstinæ data fuerit. Unde rite intuli, nihil certi

de distantia locorum Palæstinæ ex Mappis posse inferri. Rationis hujus efficaciam , quæ argumentum Adversarii in Mappis Geographicis , & Figura ex his deducita pag. 333. Controversiæ Amortianæ fundatum , prætensa certitudine penitus exuit , subtiler subdole. Dein nunquam percipere potui , quo pacto Anti-Agredanus longitudinem viæ , qua unus ab altero loco distat , & de qua in præsenti puncto , citatis locis Ven. Scriptrici sermo est , certò velit discere ex Mappis Geographicis. Geographi distantiam locorum lineis rectis per avia , & devia dimetuntur ; cùm tamen viæ plerumque suas habeant ambages sat curvas , nunc majores , nunc minores. Unde crux ista Amortiana , non inter argumenta infallibilia , sed inter argutias otiosas collocari petiti

Tertiò fingit sibi Criticus figuram suo proposito accommodatam ; sed istud sibi notet , quod aliud sint lineæ in charta formatæ , aliud via trita , & usitata. Potest quidem Adversarius lineas facile ducere per A. B. C. sed nequit illac iter agere , si non sit quoque via per illas lineas exstructa , aut forte , ob impedimenta intervenientia , exstrui non possit. Ostendat ergo Criticus priùs aliquo documento certo , & ipsam viam per A.B.C. conformiter illi figuræ fuisse factam , & simul Ven. Scriptricem de hac via esse locutam , dum eam 30. leucas longam dixit , & non de alia ducente Hierosolymam. Si haec non ostendat , sicut nec ostendet in æternum , nihil certum , imo neque probabile quid objicere potest Doctrinæ Agredanæ. Nec desunt alia , quæ contra figuram Amortianam novam militant , possetque opponi alia figura ; verum brevitatis causa hæc omnia , præsertim novam figuram Amortianæ contrariam , omitto. Nam , ut insinuatum est , ex similibus figuris , & Mappis Geographicis in

præsenti puncto , parum subsidii invenitur , si de viis
peculiariter antiquis , quæ modò jam possunt esse
destructæ , quæritur , sicuti modò solum quæstio est
de via usitata , & trita vivente B. Virgine Maria. Pa-
riter in Defensione justa afferui , Nazarethum , Sama-
riam , & Hierosolymam in quibusdam Mappis peritissi-
morum Mathematicorum habere *quasi* triangularem
situm , quam particulam *quasi* & Criticus addere de-
buisset , ut fideliter mentem , & sensum redderet.

Argumentum II.

122. „ R Evelationes Agredanæ afferunt , mo-
 „ raliter impossibile esse , ut Christus
„ intra triduum venerit in Canam Galilææ ex finibus
„ Judææ. Atqui hoc moraliter non est impossibile.
„ Part.2. num. 1034.

„ Et Hoc loco Apologista respondet , in originali
„ Hispanico sensum esse , quod ex Judæa sit iter trium
„ dierum in Canam. Si ita est , cessat argumentum ,
„ sed tamen eo ipso meum argumentum erat de-
„ monstrativum , quod ostendi , moraliter hoc esse
„ possibile , quod negabatur in versione Germanica.
Ita Adversarius.

DEFENSIO.

123 C Essat , & nullum omnino est , ac fuit
argumentum Critici , quod aperte
corrupit textum , vel sensum Civitatis Myticæ , non
solum prout ille in originali Hispanico , sed & in ver-
sione Germanica continetur. Nam sicut editiones
Latina , & Hispanica habent , quod ex finibus Judææ
Canam sit *via trium dierum* , ita & Germanica Augus-
tana

tana citato num. 1034. expressis verbis ait: *Da doch
3. tag reisen bis dahin gezellet vverden: id est, cum ea-
men trium dierum iter illuc sit.* Proinde Christus, etiam
juxta versionem Germanicam, iter illud trium dic-
rum intra triduum moraliter potuit emitiri. Quare
Criticus priori corruptioni modo addit falsam excu-
sationem, cum versio Germanica editioni Hispanicæ,
& aliis in hoc punto apprimè sit conformis, quod
& Adversarium non latet, utpote qui pag. 120. Con-
trov. allegat textum Germanicum clarum. Placeat
tantum relegere, quæ Criticus à pag. 117. in sua Con-
troversia, & ego pag. 327. in Justa Defensione adduxi-
mus, & clarè patebit, quām evidens, & quām inex-
cusabilis sit corruptio illa.

Argumentum III.

124 „ **R**evelationes Agredanæ dicunt, tres
„ Reges venisse ex Persia, Saba, &
„ Arabia, eosque 25. Decembribus discessisse, & 6. Ja-
„ nuarii advenisse in Bethleem. Verūm, totum affir-
„ mavi esse difficile; quia cùm etiam morati sint
„ unō, vel alterō die Hierosolymis, ut colligitur ex
„ Evangelio, hoc iter, ad minimum 300. milliarium
„ Germanicorum, conficiendum fuisse intra decem
„ dies. Part. 2. num. 552. 557. 568. 1035.

„ & Hoc loco Apologista confugit cum Gonza-
„ lezio, & Landelino ad Dromedarios. Sed ubi ostendit,
„ aliquando ullum Regum, etiam urgente ne-
„ cessitate, sic profectum? quod sine exemplo est
„ in moribus humanis, morali certitudine falsum est.
„ Inferius autem Apologista concedit, hos tres Reges
„ tantum fuisse Dynastas. Quæ igitur Dynastis causa
„ sic properandi, ut intra decem dies trecenta millia-

alia conficerent? an timuerunt præcocem mortem
Messiae? Ilo bi? : utrumque nullum nihil videtur quod
in isto, an illi? Obiectum. Ad hanc non accedit nihil
sib[us] nunc bulli DEFENSIO.

125 **C**ontra dicta Amortiana invicta manet
mea Defensio. Nam juxta eam cum
Ven. Scriptrice sentiunt plures, ut Suarez, ac Baro-
nius &c. Dein Magi omnes tres oriundi fuere, &
venere ex Arabia felice, ut ex Revelationibus Agre-
danis deduxi pag. 343. & sequentibus Justæ Defensio-
nis; ex Arabia autem felice facile (NB) spatio sex die-
rum posse Hierosolymam perveniri, maximè si Drome-
dariis utaris, testis est Tirinus in caput 2. Matth. v. 1.
ut ibi dixi.

Porrò vanum, quem sibi in re ista formavit Ad-
versarius, scrupulum, vel sola haec verba Defensionis
Justæ pag. 314. eximunt: *Neque credibile est, tres Ma-
gos voluisse in via, & terra aliena, à regnis suis dissi-
morari, aut animalium suorum* (seu Dromedariorum,
qui natura sua sunt velocissimi, & una die 40. leu-
cas, vel adhuc plures confidere possunt) *nativæ celeri-
tati frænum injicere, præcipue quia desiderium videndi, &
adorandi Salvatorem addidit alas, & iter accelerari fe-
cit, contemptis quibusvis difficultatibus, que occurrere po-
terant. Neque alias Reges, aut Principes, utut addicti de-
liciis, multas moras in via trahere, sed potius omni, quo
potest fieri modo, iter urgere solent. Quibus satis proba-
biliter soluta est crisis tota Amortiana. Videatur Justa
Defensio pag. 333.*

Si verò allatis fidem neget Criticus, eam saltem
adhibeat SS. D. N. BENEDICTO XIV. qui Commen-
tario de Festis Part. 1. num. 67. asserit, Magos ex
Arabia felice tredecim dierum spatio, *presentim* juxta

Ifaiæ oraculum adhibitis velocissimis Dromedariis, potuisse percommode Bethleemum pervenire, parare itineri, quæ opus essent, & Hierosolymis aliquantum temporis immorari; cum (ut rationem sui asserti dat BEATISSIMUS PATER) ab Hierosolymis, non plus, quam octo dierum iter ea regio, id est Arabia felix, absit.

Argumentum IV.

126. „ **R**evelationes Agredanæ affirmant, Gab.
„ zam Hierosolymâ distare 20. horis,
„ Sed ex mappa Pl. Coronelli, & aliorum colligitur,
„ distare 28. Part. 2. num. 631. 1483. **A** „ & Apologista varietatem Mapparum objicit: per,
„ hoc non tollit dubium. Ita Criticus.

DEFENSIO.

Stante dubio, & incertitudine Mapparum manet præsumptio pro veritate, ac probabilitate Scriptorum Agredanorum, quæ ex tam incertis, & inter se piugnantibus principiis, id est inappis, certæ falsitatis argui, aut convinci nequeunt. Plura dat Justa Defensio pag. 334. Insuper, doctrinam *quoad nos* dubiam, & adhuc controversam, privatæ Personæ posse revelari, in Justa Defensione pag. 68. 90. & aliis pluribus dictum est: cuius ratio est, quia omne, quod est in se verum, à Deo revelari potest; sed doctrina *quoad nos* dubia, & controversa potest in se esse vera; ergo potest revelari. Hinc, si aliquid legitur in Revelationibus privatis, de quo etiam prudenter dubitari potest, non idcirco statim ceu figmentum rejiciendum est.

Argumentum V.

127 „ R Evelationes Agredanæ asserunt , B.
 „ Virginem in deserto Bersabeæ con-
 „ fecisse 60. millaria. Sed hoc non potest dici , cum
 „ hoc desertum vix duret 5. milliaribus. Part. 2. num.
 „ 631. 1483.

„ B. Hoc loco Apologista iterum alium sensum
 „ ex originali Hispanico producit , ubi illa 60. millia-
 „ ria non referuntur ad desertum Bersabeæ , sed ad
 „ reliquum iter. Si ita est , cessat hoc argumentum.
 „ Ex hoc ipso tamen sequitur , argumentum ex ver-
 „ sione Germanica fuisse demonstrativum. Hæc D,
 Amort.

DEFENSIO.

ITA est , cessat argumentum Critici , & nullum est ,
 cùm textus Agredanus (ut patet ex versione La-
 tina Augustana) per *deserta ut plurimum* loca Part. 2.
 num. 630. non solum desertum Bersabeæ , sed & reli-
 qua loca deserta à solitudine Bersabeæ usque Heliopo-
 lim clarè , & in sensu obvio significet. Verùm sicut
 cessat argumentum Adversarii , ita minimè cessat , aut
 diluitur corruptio textūs , vel sensū Agredani , per
 recursum ad editionem Germanicam , ut jam variis in
 locis , tum in Defensione Justa , tum Part. 3. cap. 2.
 hujus opusculi ostendi. Videatur etiam in Indice De-
 fensionis Justæ §. Versio Germanica Civit. Myst.

Argumentum VI.

128. „ **R**евелationes Agredanæ definiunt terræ diametrum esse 2502. milliarium, seu leucarum. Sed hic numerus leucarum in ea notione, ac mensura, in qua à Revelationibus Agredanis sumuntur, non convenit cum dimensionibus terræ aliunde certis. Part. 2. num. 1459.

„ B. Hoc loco Apologista censet, diametrum terræ non esse exactius cognitum à modernis Astronomis. Errat. Legat acta Academæ Regiæ Parisiensis ab anno 1699. 1700. 1701. 1702. 1738. 1739. 1740. 1741. 1742. ubi per observationes Astronomicas institutas in Gallia, America, & Suecia, videbit, certitudinem haberi de terræ diametro, non per opiniones, sed demonstrationes. Hactenus Adversarius.

DEFENSIO.

Diametron terræ non esse demonstratam, & certò ac evidenter cognitam, probavi in Justa Defensione primò ex S. Scriptura, quæ cap. 1. ver. 2. Eccli. cognitionem (nempe certam, ac indubitatam) latitudinis, consequenter & diametri terræ, inter impossibilia videtur collocare. Secundò ex testimonio recentissimi ac Clarissimi P. Antonii Mayr, & alterius ingeniosi ac moderni Mathematici ab illo allegati. Nonne laudatus P. Mayr, tanquam Auctor recentissimus, scripsit postquam jam magna pars actorum illorum Academæ Regiæ Parisiensis fuit publico communicata, atque adeò dicto Viro Eruditissimo optimè cognita, nec tamen ipse vim quamdam demonstrativam

vam in ejusmodi actis invenit? Tertiò stabilivi id ex ratione; quia praxes, & observationes, quas moderni adhibent ad dimetiendam terram, seu cœlestes, seu terrestres, sunt omnes non levi fallibilitatis periculo expositæ. Omnia in Defensione justa à pag. 336. & seqq. prolixius deducta videri possunt, quæ Anti-Agredanus sua pertinaci contradictione necdum solvit. Ad hæc: ineptè impugnatur hic Ven. Scriptrix, cum non constet, de qualibus leucis locuta fuerit. Neque obest, quod tali modo Revelationes Agredanæ circa hoc punctum sint quoad nos obscuræ, & indeterminatæ: nam hoc non repugnare Revelationi privatae, ab exemplo tum S. Scripturæ, tum aliarum Revelationum privatatarum, ostendi pag. 340. justæ Defensionis. Quibus etiam solutum est

Argumentum VII.

129 „ **R** Evelationes Agredanæ affirmant, per „ 60. stadia confici 4. milliaria Pa- „ lœstina, seu Hispanica. Jam verò, aut sumitur no- „ men stadiorum, & leucarum in aliqua notione de- „ terminata, quoad nos cognoscibili, vel non? Si „ loquitur in notione hominibus incognoscibili, eo „ ipso illa revelatio Deo indigna est, & ridicula. Nam „ locum habet illud 1. Corinth. 14. v. 6. Si venero ad „ vos linguis loquens (quas nemo intelligit) quid vobis „ prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scien- „ tia? Tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum de- „ derint, quomodo scietur id, quod canitur, aut quod ci- „ tharizatur? Etenim si incertam vocem det tuba, quis „ parabit se ad bellum? ita & vos per linguam, nisi mani- „ festum sermonem dederitis, eritis in aera loquentes. „ Quod si his stadiis, & leucis tribuatur determinata

„ notio , in Revelationibus Agredanis expressa , ea
 „ subsistere non potest cum suppositis , & observationi-
 „ bus aliunde certis. Part. 2, num. 1483.

„ & Apologista observat dimensiones leucarum
 „ esse varias. Et ego observo, non decere Deum eam
 „ indeterminationem in suis Revelationibus : Deum
 „ sequi hunc morem loquendi indeterminatum , im-
 „ possibile est. Sic habet Criticus.

DEFENSIO.

130 **S**olutio hujus argumenti jam est data in excusione præcedentis , seu sexti argumenti. Dicit quidem Criticus , non decere Deum eam indeterminationem , & obscuritatem. Sed etiam dixit Lutherus , hanc non decere Deum in Revelationibus publicis in Sacra Scriptura factis , dum in libro de servo arbitrio , appludentibus aliis hæreticis ita interrogavit : *Si Scriptura est vel ambigua , quid illam opus fuit nobis Divinitus tradi ? an non sumus satis obscuri , & ambigu , nisi de cœlo nobis angeatur obscuritas , & tenebrae ? Ergo bene dicit Lutherus ? ergo sic loquenti etiam applaudet D. Amort ? Absit. Si autem in Sacra Scriptura , in Revelationibus publicis decuit Deum obscure loqui , & in sensu *quoad* nos dubio ; cur id non deceat etiam in Revelationibus privatis ? Respondeat Adversarius ad exempla Sacræ Scripturæ , & Revelationum Birgittanarum ipsi objecta in Defensione justa , antecedente numero citata. Ad hæc facit. Cæterum , & ipsi jam declaravi pag. 340. just. Defens. & seq. qua ratione dimensio illa fuerit clare cognita à Ven. Scriptrice , & aliis , non sciolis , sed devotis profit , et si ab his tantum obscure apprehensa sit. Ad quod iterum altum in responsione Adversarii silentium.*

Ar-

Argumentum VIII.

131 „ **R** Evelationes Agredanæ asserunt , stel-
 „ lam à tribus Regibus in Persia , Sa-
 „ ba , & Arabia simul eodem tempore visam fuisse in
 „ infima aeris Regione ; sed hoc est impossibile , quia
 „ est demonstratum , totam atmosphærā aeris non
 „ esse altiorem ad summum 30. milliaribus. In hac
 „ autem altitudine idem objectum nec spectari , nec
 „ in eandem viam dirigere potest. Part. 2. num. 557.

„ **R**. Apologista conatur effugere , quòd Domi-
 „ nia horum trium Regum fuerint contermina , eos-
 „ que tantùm fuisse Dynastas finitimos. Etiamsi enim
 „ fuerint solum Dynastæ , erat tamen unus in Persia ,
 „ alter in Saba , tertius in Arabia , quorum locorum
 „ tanta est distantia , quanta Hispaniæ à Germania ,
 „ ita ut objectum ad altitudinem 30. milliarium
 „ spectari non possit à Dynasta Hispano , & Germani-
 „ co , ac simul dirigere in eandem viam. Demonstra-
 „ tio ergo manet. Hucusque Amortius. Qui tamen ,
 ut nova exhibet

DEFENSIO

132 **T**Otam Defensionem meam priorem non
 recensuit , ne vis ejus notaretur. Si-
 quidem pag. 343. & seq. Defensionis justæ primò do-
 cui , tres Magos fuisse Regulos seu Primores oppido-
 rum suorum , habentes Regna , vel verius Dominia
 non ampla , ac contermina , ita ut mutua familiarita-
 te inter se uterentur. Secundò explicavi pluribus ,
 quomodo eorum Regna , vel Dominia fuerint vicina ;
 cò quòd Saba fuerit pars Arabiæ felicis , ex qua alter

corum ortus fuit , & inter Persiam , ex qua unus Magorum venisse dicitur , ac Arabiam non tanta sit distantia , cum haec ab illa solo sinu Persico separetur , vel omnino ille Magus fuerit Arabs , seu oriundus ex parte Arabiae Persiae finitima , ideo Persia appellata : nam Arabia secundum partem vicinam Persiae , & ipsa Persia vocabatur . Tandem ostendi , ab Anti-Agredano fuisse corruptum textum Agredanum , qui non ait *in insma aeris regione* stellam illam fuisse positam . Ad ista igitur omnia citato loco justæ Defensionis fuisse explicata , & efficaciter probata , unum solum novit reponere Criticus sequente argumento , cui proinde dum satisfacio , & Defensionem contra præsens argumentum confirmo . Sit igitur

Argumentum IX.

133. " R Evelationes dicunt , quod stella eadem tres Reges , unum ex Persia , alterum ex Saba , tertium ex Arabia , procedendo ita direxerit , ut brevi convenerint , & suas revelationes contulerint , ita ut intra undecim dies sicut Hierosolymis . Atqui haec sunt impossibilia ; quia si stella existat in intima regione aeris , versus eandem viam præcundo dirigere non potest . Part. 2. num. 556. 557.

" B. Apologista respondet , Sabam esse partem Arabiae : sed si est pars contenta in Arabia , male à Revelationibus distinguitur , sicut male dicerem : ex Hispania , & Catalonia , & Gallia &c. venerunt peregrini . Si autem distinguuntur ista tria loca , Dynastia non erant finitimi , sed ab invicem remotissimi . Manet ergo certitudo argumenti . Ita pronunciat Anti-Agredanus .

DEFENSIO.

134 **S**abam esse partem Arabiæ felicis cum
Plinio docent Suarez, Baronius, & alii,
ut in justa Defensione pag. 345. & seq. dictum jam est.
Sabam itaque Ven. Scriptrix distinguit solum ab alia
parte Arabiæ, quæ nomen aliud, quam Saba habet,
vel simpliciter Arabia dicitur, non autem intendit,
Sabam à tota Arabia esse penitus distinctam. Sed ma-
lè sic locuta est Ven. Scriptrix? Ira credit quidem Cri-
ticus, sed non alii sic existimant, nimirum illi, quibus
Psalmita non est male locutus, dum Psal. 71. cecinit:
Reges Arabum, & Saba dona adducent, etiam si juxta
eruditos Arabiæ pars sit Saba. Psalmistam igitur imi-
tatur Ven. Scriptrix. Exemplum Critici nihil ad rem
facit, ubi illud per Biblicum eliditur; quinimo Ad-
versarius ex illo ipso exemplo, quod usurpat, refelli-
tur. Ecce Joannes Hubner in suo lexico *y. SPANIEN*
ait Aragoniam, & Castiliam speciali titulo, & modo
vocari Hispaniam præ aliis Regnis, & Provinciis Regi
Hispano subjectis: jam si Hispaniam in illa pressiore,
& specialiore significatione acciperem pro sola *Castilia*
& Aragonia, non vero pro *Catalonia*, utique bene
dicerem: *Ex Hispania & Catalonia venere peregrini.*
Ita quoque credibiliter nomen Arabiæ, alicui parti
ejus specialiter à Sacra Scriptura, & Ven. Scriptice S.
Scripturam imitante, adscribitur, & per consequens
recte dicitur, *ex Arabia*, (intelligendo partem illam
Arabiæ, cui speciali titulo hoc nomen tribuitur) *&*
Saba venisse Magos. Qua de re, manet in suo vigore
utraque contra hoc, & prius argumentum, facta De-
fensio, quam minimè labefactat crisis Amortiana, utut
se certam jactet.

Argumentum X.

Revelationes dicunt, B. Virginem die 24. Decembris Bethleem advenisse horā quarta sole jam occidente. Sed ex Astronomia constat, Solem eo tempore Bethleem occidere hora quinta. Part. 2. num. 463. Apologista contendit, eo die, quo Sol hora quinta occidit, si ea hora aliquid fiat, dici posse, id occidente Sole contigisse. Communior usus loquendi apud nos vix aliquando hunc modum loquendi observat. Manet ergo argumento ex visitationi more loquendi sua præsumptio, quæ sumitur ex communius contingentibus.

DEFENSIO.

In responsione ista Adversarius iterum technas usurpat, ut veritatem nimis apertam roget. Primo suum argumentum non ritè refert; secundo plura in mea Defensione asserta præterit, ac tertio illam rationem, quam affert, & impugnat, ita immunit, ut sibi ipsi non sit similis. Argumentum suum vitiat, quia modò latit, &c. 24. Decembris Solem occidere horā quinta, cum prius in observationibus pag. 521. dixerit, Solem tum occidere hora quinta fermè, uno videlicet minuto tantum ante quintam &c. Neque me latet, quare hoc faciat: nam alias virtutem rationis illius, quam hic refutat, & mutat, non potuisset effugere. Quod statim patebit cum illis, quæ sunt à Critico callidè prætermissa, si totam seriem Defensionis meæ in compendio dedero. Itaque

Primo ipse Criticus in observat. fol. 521. fatetur, quod verba Ven. Scriptricis in hac materia possint in falso sensu explicari: adeoque vanè tantum, & sine causa ea observat, & perstringit. Secundo Ven. Scriptrix solùm assérit, quòd hora quarta illo tempore Sol fuerit in via ad occasum, & propè occasum; sed si Sol circa quintam, & quidem unō minutō priùs occidit, ut citato loco in Observationibus testatur ipse Criticus, horā quartā jam fuit in via ad occasum, & prope occasum, nam tò prope occasum admittit latitudinem moralem. Tertiò ponitur illa ratio, quam Adversarius tangit, & ita imputat, ut sibi non sit amplius similis. Easīc habet usitato more in Hispania (addo, & in Germania) hora quarta numeratur usque dum quinta est impleta, sicut annus 20. ætatis numeratur, donec impletus est annus 21: ergò rectè assérit Ven. Scriptrix secundum modum usitatum, Solem tum occidisse horā quartā, licet minuto ante quartam occiderit, quia nondum erat quinta completa, & sic adhuc numerabatur quarta: hoc est argumentum meum ex Gonzalezo adductum, quod Adversarius corrumpit, quia & ipse novit, justam causam non aliter impugnari posse, quātū simulib⁹ mediis parū aequis, quæ tamen Scriptis Agredanis, & Agredanorum nihil roboris detrahunt. Videatur totum argumentum in justa Defensione pag. 348. ubi etiam modestia Amortiana commendatur.

Argumentum XI.

136. " **R** Evelationes asserunt, S. Hostiam in
 " Communicantibus ascendere in cor,
 " & ibi imprimere characterem; sed hoc est impossibile,
 " cum S. Hostia in stomacho resolvatur in chyli,
 " & species destruantur. Imò Revelationes plus
 " asserunt; quòd nempe S. Hostia in corde B. Virginis
 " tanquam in tabernaculo perpetuò fuerit conservata.
 " Part. 2. num. 1197. 1202. Part. 3. num. 116. 121.
 " 122. 123. 124.
 " B. Apologista fatetur, id fieri non potuisse in
 " B. Virgine sine miraculo. Sed non ostendit, in Re-
 " velationibus addi notam characteristicam miraculi
 " quoad ipsam translationem. Prodigium in Revela-
 " tionibus solum constituitur in eo, quod S. Hostia
 " non fuerit corrupta in stomacho, sicut corrumpi-
 " tur apud alios homines; utrum verò Revelationes
 " admittant in pectore communicantium supra cor
 " post resurrectionem characterem perpetuum, & qua-
 " de causa, & num ob effectum à S. Hostia relictum
 " transeuntem in cor, meritò dubium manet in-
 " specto textu Revelationum. Cæterum vis mei ar-
 " gumenti verè demonstrativi in eo consistit, quòd
 " stultum sit, S. Hostiam collocare in corde, tanquam
 " tabernaculo, nisi supponatur ibi stagnatio purissimi
 " sanguinis. Itaque Revelationes Agredanæ, nisi rem
 " stultam concedant, necessariò debuerunt supponere,
 " quòd stagnet sanguis, & nulla detur circulatio san-
 " guinis per cor, in quod simul omnis potus, & ma-
 " gna pars chyli transferatur.

DEFENSIO.

137 Continuat D. Amort suas falsitates, sine quibus in causa Agredana aliquid scribere ipsi videtur impossibile. Notam characteristicae miraculi desiderat in scriptis Agredanis: verum hanc ipse solus studiosè ad meridianum Solem claudens oculos, non videt. Textum ex Part. 3. Civitatis Mysticæ, ac num. 124. adduxi in justa Defensione pag. 354. qui non solam conservationem specierum Eucharisticarum sine corruptione, sed & earum translationem ad cor Virgineum &c. *prodigium novo quodam singulari modo factum* appellat.

Quod dicta Amortiana de impressione characteris in cordibus communicantium sint meræ inanes cavillationes sine ullo fundamento, satis superque dixi à pag. 355. justa Defens. ubi videatur.

Ultima verba Anti-Agredani sine ulla modestia prolata, & acerbiore acetō, si par pari referre vellem, diluenda, nullo modo ad rem sunt. Transeo, quod hujus verè demonstrativi argumenti (melius commentum dixeris) vim affirmet in eo consistere, quod ex collocatione hostiæ in corde tanquam tabernaculo sequatur in eodem stagnatio sanguinis purissimi: transeo, inquam, quod hujus asserti, in quo tamen vim demonstrationis esse prætendit, nec meminerit quidem in observationibꝫ, & controversia: illud unum assero, sive novæ, sive antiquæ demonstrationis vis in hujusmodi dictis ponatur, eam nullius esse roboris: si enim Criticus intendit per talia tribuere Ven. Scriptici, quod juxta eam in omnibus communicantium cordibus S. Hostia asservetur tanquam in tabernaculo, iterat figmentum jam pag. 351. Defens. justa rejetum.

etum. Si autem loquitur de corde B. Virginis, tunc talis conservatio specierum consecratarum illo tempore, quo fiebat, & durabat, erat miraculosa, & supernaturalis, ut ex citato textu Civitatis Mysticæ, ut ex tractatis de hac re in iusta Defensione claram est. Atque hoc prodigium ita patrare, & S. Hostiam Deus ita in corde Deiparæ locare potuit, ut non obesset functioni naturali organorum vitalium, neque impedit circulationem sanguinis. Vel hoc fuit Deo impossibile, quia ita imperat D. Amor? Tantum cesseret Anti-Agredanus Deo patranti prodigia praescribere regulas, aut limites. Plura expetentem Lectorem ad meam justam Defensionem pag. 331. invito.

Argumentum XII.

138 „ **R**evelationes dicunt, quod in utero Virginis B. Virginis 3. guttae sanguinis ex corde destillaverint, ac delatae fuerint in matricem, & ex iis formatum Corpus Christi. Sed ista dupliciter errant. Primò, quia supponunt, non dari circulationem sanguinis, sed sanguinem perfectissimum stagnare in corde. Secundò, quod proxima materia conceptionis sit formalis sanguis. Jam autem physicè certum est, dari circulationem sanguinis, & guttas sanguinis esse in perpetuo transitu per cordis ventriculos. Dein etiam moraliter ex observationibus recentiorum Medicorum certum est, proximam materiam conceptionis esse ovula deducta ex ovario in matricem. Cum ergo aliunde constet, quod Deus in assumptione humanæ naturæ in omnibus se accommodaverit ordini causarum secundarum, quantum salva virginitate, honestate, ac decentia fieri potuit, non est verosimile, Deum

„ voluisse pro materia conceptionis assumere formam
 „ lem sanguinem. Part. 2. num. 137.
 „ Apologista hoc loco plenis manibus conatur
 „ oculis Lectorum iniicere pulverem, ne videant ab-
 „ surditatem hujus miraculi. Undecumque enim Deus
 „ materiam pro corpusculo Salvatoris formando ex
 „ carne virginea sumpserit, manifestum est, à nullō
 „ eam efformationem ex sanguine cordis omnium im-
 „ purissimo, utpote cui miscetur chylus & potus,
 „ prudenter admitti posse, nisi qui stagnationem pu-
 „ rissimi sanguinis supposuerit. Aut igitur Revelatio-
 „ nes Agredanae supponunt, ac eo ipso affirmant, aut
 „ fingunt miraculum absurdissimum. Itaque hoc meum
 „ argumentum non exiuit sua certitudine. Ita res-
 „ ponso, & argumentum Amortianum, in quo, ut
 docet

DEFENSIO

196 **A**DVERSARIUS suos defectus mihi affingit:
 Dum ipse obscurat veritatem, ne à
 Lectoribus videatur, ait, me plenis manibus oculis
 Lectorum iniicere pulverem. Ast abstergamus pulve-
 rem sive à D. Amort, sive à me sparsum, ut eluces-
 cat, quisham occultatae, aut violatae veritatis sit
 reus.

Primò, Criticus est varius, & non sibi constat in
 hoc argumento; nam in observationibus pag. 521.
 asseruit, secundum Scripta Agredana ex corde Virgi-
 neo tres guttas sanguinis purissimi decidisse (scilicet
 naturaliter, & via naturali) in matricem; quod ibi
 impugnavit cœn adversum circulationi sanguinis, vi-
 cuius sanguis ex corde in arterias, ex his in venas pro-
 pellitur. Cum vero in hoc notata fuerit corruptio-

textus Agredani volentis has tres guttas (non via, nec actione naturali, sed virtute supernaturali) delatas esse ex corde ad matricem, nunc & in Controversia ad alia convertitur, & ait, in systemate circulationis sanguinis (quod nec ego, nec Ven. Scriptrix ab eo præscindens negamus) sanguinem purissimum non posse dari in corde. Quis tibi videtur, benevole Lector, homo adeò varius, ab uno ad alterum saltitans? Nonne hic querit occulere manifestam veritatem, & pulverem tentat oculis legentium iniicere, ne perspiciant corruptionem ab ipso commissam. De qua etiam alatum silentium servat in responsione ad meam Defensionem, cum tamen in hac illa corruptio pag. 357. pluribus fuerit demonstrata.

140 Præterea illud, quod modo meis sat prolixè deductis assertis obiicit, jam omni ex parte dilutum est in Defensione justa pag. 362. ubi ex ipso systemate circulationis sanguineæ intuli, posse reperiri in corde tres guttas (plures non requirit Ven. Scriptrix) purissimi sanguinis etiam naturaliter, & sine miraculo: licet enim (ita ibi ratiocinabar) chylus cum sanguine ante hujus ingressum in cor in vena subclavia commisceatur, tamen in illa massa sanguinea multæ sunt particulæ, quæ jam sepius per varia viscera, quasi vasa, & cribra depuratoria transeuntes plurimum depuratae, & ita dispositæ sunt, ut maximam perfectionem in utroque cordis ventriculo accipient. Ex hoc ergo sanguine purissimo cordis fuere illæ tres particulæ. Ubi etiam rejici illud assertum Amortianum, quod sanguis purissimus tantum in cerebro detur; cum enim juxta systema circulationis sanguinis, sanguificatio non in aliquo determinato viscere, tanquam officina sua peragatur, sed in toto corpore per ipsum motum circulatorium perficiatur, ita fit, ut hæc portio sanguinis in hoc vis-

cere, vel parte, altera in alia, & aliqua etiam in corde suam perfectionem ultimam obtineant. Hic meus de hac re jam in Defensione justa erat sermio, penitus conformis placitis novae Philosophiae, admittentis circulationem sanguinis: quo etiam dissolutum jam fuit, quod nunc inaniter repetit Criticus, dictans, à Ven. Scriptrice debere admetti stagnationem sanguinis oppositam circulationi.

141 Cæterum Revelationes Agredanae non supponunt, nec affirmant, aut fingunt miraculum absurdissimum. Quod dum Criticus incautè (ut sèpius solet) loquitur, simul tangit honorem Ecclesie, quæ jam in Revelationibus S. Mariæ Magdalena de Pazzis lib. 3. cap. 16. num. 1. approbavit hoc miraculum conceptionis Christi factum per extractum ex corde Virginico purissimum sanguinem, & in utero collocatum. Plura de hac re dixi in justa Defensione pag. 359. & sequentibus, quæ si legantur, evidenter constabit, argumentum Critici non potuisse exui certitudine aliqua, cù solùm ratione, qua homo nudus non potest exui veste.

Argumentum XIII.

142 „ R Evelationes dicunt, lac B. Virginis esse naturaliter incorruptibile. Sed „ hoc fieri non potest. Part. 2. num. 549.

„ Apologista negat, enim esse sensum textus „ Agredani, quod lac B. Virginis sit naturaliter in- „ corruptibile; & ego dico, id consequi ex principiis „ Ven. Mariæ de Agreda, dum asserit, corpus desti- „ tutum peccato originali habere in se principium „ per modum naturæ congenitum incorruptionis, „ nempe donum primævum iustitiae originalis, quod „ licet

„ licet supernaturale sit , transit tamen simul cum na-
 „ turā , & per modum naturae in posteros non in-
 „ fectos peccato originali . Hanc suppositionem Agre-
 „ danam dico falsam esse , quia nec ipsa quidem caro
 „ & sanguis Christi erant de se incorruptibilis , aut
 „ immortalia independenter à Verbo . Hactenus verba
 Amortiana .

DEFENSIO.

Coumencium in illis postea quod in aliis

I 143 Gnero planè , quid mirer amplius in An-
 ti-Agredano , constantiamne ejus , aut
 inconstantiam . Illam ostendit pertinaciter insistendo
 suis , ut vocat , argumentis , etiam postquam clare
 corum deceptio fuit detecta . Hanc , seu inconstan-
 tiam monstrat , tantopere variando in propugnandis
 illis , quæ Civitati Mysticæ obijcit . Paradigma utrius-
 que dat præsens argumentum . Perseverat in argu-
 mentatione ista , quod Revelationes Agredanæ Part. 2.
 num. 549. affirment , lac B. Virginis esse naturaliter
 incorruptibile , licet jam Landelinus , & Gonzalezius
 demonstrârint , hoc esse alienum à sensu Civitatis
 Mysticæ , quæ citato loco solum adstruit , lac B. Vir-
 ginis propter optimam temperiem , & proprias quali-
 tates , si asservatum fuisset , multo tempore non fuisse
 corruptendum , omnimodam autem incorruptibili-
 tatem fuisse habiturum ex speciali privilegio , proinde
 non naturaliter . Perspiciens igitur Criticus , textum
 Agredanum contra ipsius argumentum pugnare , no-
 rum recenti falsitate in eum istum paravit in sua
 Controversia pag. 350. dicens : Ita est : *Revelationes asser-
 runt , lac B. Virginis esse incorruptibile per speciale
 privilegium , sed privilegium consistens (NB) in collatione com-
 plexionis specificæ , vi cuius illud lac non alteraretur .* Dum
 verò

verò in Defensione justa pag. 368. docui , responsu*m* istud Amortianum esse novum , Revelationibus Agredanis , in quibus nil simile legitur , evidenter repugnans figmentum , nunc ad aliud commentum convertitur , falsò affirmans , incorruptibilitatem lactis Mariani consequi ex principiis Ven. Mariæ de Agreda , dum afferit , corpus destitutum peccato originali habere in se principium per modum naturæ congenitum incorruptionis , &c.

Commentum hoc , & falsam assertionem Adversarii principium petere , dum ejusmodi principia à placitis fidei nostræ adeò abludentia Revelationibus Agredanis affingit , nimis notum est iis , qui Civitatem Mysticam indifferentे animo volverunt. Et ubi statuit ejusmodi principia Ven. Scriptrix ? Cur non allegavit textum continentem ista principia ? Ille textus , quem h̄ic impugnat , & in argumento citat , nil de his imaginariis à Critico confictis principiis habet , neque alium adducere poterit : imò contrarium longè ex Scriptis Agredanis eruitur , ut patet legenti illa , quæ circa similem materiam dixi à pag. 762. justæ Defensionis. Ad ea ibi videnda Lectorem remitto , ne opusculum istud ob similes non necessarias repetitio-nes nimiam in molem excrescat.

Jam vidimus varium , & mutabilem Criticum , ab uno ad aliud medium saltitatem , vel , si mavis , celeriter equitantem , ut suo argumento subsidium aliquod ferret , quod tamen tamdiu attulisse non est censendus , quamdiu textum non produixerit , in quo principia illa Bajana , vel Bajanis affinia , quæ affingere tentat Criticus Ven. Scriptrici , sunt comprehensa.

Dignetur pariter recolere benevolis Lector illa , quæ à pag. 368. justa Defens. huic argumento oppo-*sui* , & ad quæ ferè omnia Criticus nunc obmitescit;

horret nempè eruditionem longè maximam SS. D. N.
BENEDICTI XIV. suis Anti-Agredanis assertis citato
loco evidenter repetitîs vicibûs oppositam.

Erubescit quoque , & silentio abscondere nititur
sua falsa dicta circa hanc materiam sive controversiae
inspersa. Et utinam aliquando siceret penitus , vel si
loqui ei liberet , ita loqueretur , & scriberet , ut Chri-
stianum , ac Religiosum , & veritatis studiosum virum
decet.

Argumentum XIV.

144 " **R** evelationes dicunt , secundinas in
" Nativitate Christi non venisse ex
" utero Virgineo , quia fuerunt continua cum corpo-
" re Christi , & portio materni sanguinis. Sed neu-
" trum potest dici , quia secundinæ nec sunt aliquod
" continuum cum corpore infantis , nec sunt pars
" materni sanguinis. Part. 2. num. 479.

„ B. Apologista iterum amat miracula , ac defen-
dit , in B. Virgine corpus Christi non fuisse forma-
tum ex ovulo materno , quia censet , illud non de-
cidi ex ovario sine motibus concupiscentiae , sed
illud esse formatum ex sanguine Virgineo. At ego
dico , ovulum illud , tanquam connaturalem ac im-
mediatam Conceptionis materiam , fuisse à B. Vir-
gine more naturali formatum , sine motibus concu-
piscentiae per naturalem operationem Spiritus Sancti
decisum , & translatum in matricem. Formationem
autem miraculosam ex sanguine B. Virginis , cum
recedat à consueto ordine naturæ , sine necessitate,
utilitate , congruitate , inter miracula incredibilia,
ac proin improbabilia pono. Qualis autem è textu
Agredano intelligatur continuitas secundinarum ,
dubium manet.

DEFENSIO.

145

AMO miracula, sed ea, quæ amant alii
viri doctissimi, & ratio comprobat.
Non licet enim ex communibus, & iis, quæ in nobis fiunt,
inenarrabilem Virginis partum, quæ supra mentem, &
sermonem Verbum peperit, definire, metiri, & describere.
 Ita habet Canon 79. Concilii Trullensis, quem alle-
 gant, & sequuntur Suarez 3. Part. D. Thom. Disp. 13.
 ac Viva in Prop. 14. ab ALEXAND. VIII. confixam:
 ubi laudatus Viva cum Ven. Scriptrice sentiens pro-
 nuntiat, *Christum à B. Virgine sive ullo dolore, sive secun-*
dinis, sine ullis folidibus esse natum. Et nemo negaverit,
 absuisse à Conceptione, & Nativitate Christi ea om-
 nia, quæ quidem si absunt, generationis substantiæ
 non derogant, in ipsis autem naturæ terminis invol-
 vunt, aut innunt aliquam impuritatem, aut super-
 fluitatem non necessariam ad id, *ut Regina Cœli dicatur*
vera Mater, & Christus D. Noster verus ejus filius, &
natus ex illa, ut Ven. Scriptrix Part. 2. num. 478. lo-
 quitur. Ex quibus utique inferre licet, conceptio-
 nem Christi non fuisse factam ex ovulo, quod vel ip-
 sum semen fœmineum est, vel semen in se continet,
 ut moderni Medici docent: etenim juxta Suarium
 tom. 2. in 3. Part. D. Thom. Disp. 10. sect. 1. satis
 pium & probabile est, *Conceptionem hanc absque ulla se-*
minis transmissione perfectam esse, si propriè, & rigo-
rosè de semine loquamur. *Hoc enim dictis Sanctorum, &*
perfectioni Virginitatis magis est consentaneum, & Phi-
losophice doctrinæ non repugnat, & si repugnaret, potius
(NB) *effet Theologie accommodanda, quam è contrario.*
 Quamobrem SS. D. N. BENEDICT. XIV. Part. 2.
 Comm. de Fest. pag. 266. num. 39. Catechismus Ro-

manus, Saavedra, & alii maximi nominis DD. ac Revelationes S. Magdalena de Pazzis ab Ecclesia approbatæ cum Ven. Scriptrice tenent, Corpus Christi ex purissimo Virginis sanguine ad matricem delato (per consequens non ex semine, aut ovulo) esse primò formatum. Piget de hac re plura verba facere , cùm eam jam (ut puto) amplè , & efficaciter satis declaraverim in just. Defens. pag. 359. & seqq. Neque ibi adducta argumenta Adversarius attingere , multò minus solvere est ausus ; manent ergò inconclusa. Nec admitto miraculum , quod non deceat Christi Nati, & Virgineæ Matris dignitatem ; cùm hoc miraculum videatur necessarium , ut Nativitas Christi decenter , & congruè fieret ; & ab ea abesset , quidquid indecentiæ nomen seminis foeminei , vel in ipsa voce involvit. Nunquid & ipse Criticus , ut decentiæ consulat , assertit , semen , vel ovulum sine motibus concupiscentiæ contra alias consuetum morem esse per Spiritus Sancti operationem decisum ? Unde & ob eam rationem etiam affirmet , omnino nullum semen , sed ejus loco sanguinem purissimum intervenisse. Verum , ut dixi , inanibus ejusmodi crisibus citato loco jam est satisfactum : quare hic supersedere possum longiore excusione earum.

Inde quoque justâ sequelâ fluit , non esse inconveniens , nec improbabile , quod secundinæ Virgineæ Matris fuerint ex sanguine purissimo ejusdem tanquam ex materia ex qua , ut Philosophi loqui solent : quia non decebat , ut ad purissimam hanc generationem concurreret semen , aut ovulum seminis receptaculum &c. aut sanguis menstruus , sed unicè purifimus.

Demum , si dubium manet , qualēm continuatatem secundinarum cum corpore infantis intelligat

Textus Agredanus; quō pactō potest Criticus in observationibus, & controversia sua imputare Revelationibus Agredanis determinatum aliquem hujus continuitatis sensum? Verūm Revelationes Agredanas nec absurdum, nec improbabilem, sed potius Medicorum sententiæ conformem sensum reddere, dum secundinas cum corpore infantis *continuas*, *vel contiguas*, *aut continuas*, & *contiguas simul* dicunt, explicavi pag. 373. justæ Defensionis, dum asservi sub diversa consideratione eas contiguas, & continuas dici posse: *contiguae* enim sunt, quia fœtui non immediate unitur; *continuae* verò, quia mediatè, seu mediante funiculo umbilicali cum corpore fœtus prorsus arctum habent nexus naturalem. Vide cit. pag. justa Defens.

Argumentum XV.

147 „ **R**Evationes dicunt, quod B. Virgo ministraverit in utero sanguinem putrifissimum; quia ministrabatur ex impulsu amoris, & aliarum virtutum. Hæc causalis est falsa. Ratio est, quia si Mater etiam Sanctissima sit, non tamen propertereà per affectus amoris, & aliarum virtutum de purabit sanguinem v. g. scorbuticum, podagricum, leprosum, corruptum, aut salibus, & particulis crassis ex alimento crudo plenum, ab ejusmodi partibus ineptis ad bonam complexionem communicandam infanti. Part. 2. num. 139.

„ B. Apologista textui huic Agredano conatur ilinire sensum pium. Sed pro sensu obvio, ac connaturali, quem ego verbis Agredanis attribui, stat præsumptio.

DEFENSIO.

148 **S**ensus, quem faciunt verba Ven. Scriptrix, hic est: quod concoctionem sanguinis purissimi in Deipara maximopere promoverint affectus amoris, & virtutum, illum alterando, & alteratione hac concurrentibus ipsa vi nativa, & organis corporis Virginei ad suam perfectionem perducendō. Hunc sensum pium, & verum non illinio Scriptis Agredanis, sed illis inexistere in Defensione justa pag. 375. ostendo ex triplici textu Civitatis Mysticæ: quorum prior Part. 2. num. 139. hic est: *Cum sanguis ille, quem reliqua Matres suis infantibus ad eorum incrementum subministrant, sit imperfectus, & immundus, contra Virgo dabit filio suo purissimum &c.* quia interuentibus affectibus amoris, atque aliarum virtutum. Alter vero habetur Part. 1. num. 214. ubi corpus B. Virginis dicitur perfectissimum, optimis organis, & temperamento instratum, quod utique etiam plurimum contulit ad perfectiorem sanguinem elaborandum, sicut & Ven. Scriptrix affirmat Part. 2. Civitat. Myst. num. 548. (hic est textus tertius à me laudatus) lac apprimè dulce, & suave esse procreatū in corpore tam puro, perfecto, & temperatissimæ constitutionis.

In isto sensu intellecta Ven. Scriptrix (sicut nec aliter intelligi potest) loquitur conformiter Menti SS. D. N. BENEDICTI XIV. ac Medicorum, qui sustinent, amorem internum, & alios affectus posse plurimum alterare sanguinem, atque adeò vel meliorem, vel deteriorem reddere: quod solum impugnat, & negat Criticus nixus inconveniente ratione illa, quod Mater etiam sanctissima non possit per affectus amo-

ris depurare sanguinem scorbuticum &c. quæ si ali-
quid probet, supponit necessariò, in B. Virgine crea-
tura hac perfectissima fuisse sanguinem scorbuticum,
podagricum, leprosum, ac corruptum. Hoc suppo-
situm quām male conveniat B. Virginī, jam in Defen-
sione justa docui. Neque D. Amort aliquid contra
meam ibi de hac re factam crīsin justissimam movere
audet. Inde sequitur, neque pro sensu (si Criticus
alium, quām supra explicatum, Ven. Scriptrici in hac
materia tribuit) neque pro argumento Anti-Agreda-
ni stare præsumptionem, sed contra utrumque certa-
re apertam veritatem, quam invadere præsumit ratio-
ne plānè indigna Mariano Cliente.

Argumentum XVI.

149 „ R Evelationes dicunt, quòd B. Virgo
„ plus lachrymarum profuderit, quām
„ omnes homines simul sumpti. Sed hoc fieri nequit.
„ Part. 2. num. 801.

„ B. Apologista illam particulam *plus* ita explicat,
„ ut dicatur B. Virgo acerbius flevisse. Sed plus la-
„ chrymarum fundere, quām omnes homines simul
„ sumpti, & acerbius ftere, valde sunt diversa. Imò si
„ textus Agredanus solùm urgeret acerbitatē, dice-
„ ret potiūs: acerbius flevit, quām omnes homines
„ sigillatim sumpti; simultas enim hominū non au-
„ get acerbitatē, sed multitudinem lachrymarum.
„ Si textus Hispanicus verè aliud haberet, cessaret ar-
„ guimentum, sed eo ipso foret absurdā Revelatio, quā
„ ad exprimendam acerbitatē adhibet simultatem
„ creaturarum dicendō: Nulla ex creaturis omnibus,
„ immò nec omnes simul acerbius ploraverunt. Stat ergò
„ præsumptio pro multitudine lachrymarum intenta
„ per textum.

DEFENSIO.

150 **N**on ita explico, sed Revelationes in versione Augustana Latina Part. 2. num. 801. ipsæ dicunt: *Nulla ex creaturis omnibus, immò nec omnes simul (NB) acerbius ploraverunt.* Neque est absurdum Revelatio, dum ad exprimendam acerbatem, vel intensionem acerbatis assumit simultatem omnium creaturarum; id enim etiam in aliis locum habet: sic enim dici potest: *B. Virgo plus, id est intensius dilexit Christum, quam omnes creature puræ simul:* Item dici potest, & dicitur à præstantissimis Viris: *B. Virgo plus gloria in cœlis obtinet, quam omnes Angeli, & homines beati simul:* consequenter etiam plus, seu intensius gaudet in cœlo, quam illi simul sumpti: ergo etiam major intensio doloris explicari potest absque absurdo ita dicendo: *B. Virgo plus, seu acerbius, ac intensius doluit, vel majori cum amaritudine flevit, quam omnes creature simul sumptæ.* Cessat ergo non solum argumentum Critici, sed & ejus nova, ac inanis crisis.

Argumentum XVII.

151 „ **R**evelationes dicunt, quod B. Virgo in utero materno plus sciverit de operibus Divinis naturalibus, ac supernaturalibus, quam scient omnes Angeli, & Beati per totam æternitatem. Sed hoc dici nequit, quia cum successivè scienda per totam æternitatem sint aliquod infinitum syncategorematicum, huic infinito aliquod finitum, quale est habitus scientificus etiam supernalis, æquari non potest. Part. 1. num. 226.

„ B. Apologista censet , eam scientiam , qua quis
 „ sciet omnia , qua Sancti per totam æternitatem sci-
 „ turi sunt , fore nihilominus entitativè finitam . Sed
 „ hanc sententiam meritò rejicit Philosophia , & Theo-
 „ logia probabilior , ac sensus Doctorum communior:
 „ non est verosimile , Deum per ejusmodi Revelatio-
 „ nes muliebres voluisse informare Theologos .

DEFENSIO.

152

Candoris sui in re Agredana usitati ite-
 rum argumentum præbet Criticus ,
 dum recenset dumtaxat illud , quod solum transmisi-
 & meam ultimam responcionem , in qua meam fixi-
 mentem , siccò pede transfilit , nec verbulo ejus men-
 tionem faciens .

Primum à me solum gratis datum quod attinet ,
 sic sonant mea dicta pag . 382. just . Defens . Primo
 transmiso (NB) minime concessò , quòd sensus textus
 Agredani sit ille , quem Adversarius proponit , Revelatio-
 nesque dicant , B. Virginem in utero jam cognovisse synca-
 tegorematicè infinita objecta , tamen hujusmodi doctrina
 non est omnino improbabilis . Dein ex placitis Doctoris
 Mariano-Subtilis , & plurium Scotistarum , ac Docto-
 ris Eximii contendebam , doctrinam istam esse verè
 probabilem , proinde rationem Adversarii oppositam
 ex infinito depromptam , nec certam , nec evidentem
 esse , qualem tamen esse jactat in controversia fol . 361 .
 Et hoc jam sufficeret mihi , cum officii mei sit solum
 probare , nihil improbabile , & certo falsum in Reve-
 lationibus Agredanis ostendi posse .

153 Ait D. Amort , à probabiliore Theologia ,
 & Philosophia rejici hanc meam sententiam ; sed ne-
 que id dicenti oblisto : probabilior sit opposita opinio ,

hujus tamen per hoc non tollitur probabilitas vera ac solida; cum minus quoque probabilia possint esse verè probabilia. Neque Revelationes, si minus probabilem opinionem proponunt, reformat Theologiam: nihil enim probabilitatis addi, vel deimi opinionibus Theologorum in Scholis disputatis per Revelationes privatas, nōrunt, vel leviter Theologica Scientia tincti, & aliunde in mea justa Defensione saepius inculcatum est Adversario, & acta etiam Agredana docent. De hac ergo reformatione nihil timendum Amortio, qui tamen in hac materia, sicut & alias saepius, reformat se ipsum, dum sententiam illam, quam prius in Controversia cit. loc. afferuit certam, modò solum agnoscit probabiliorem.

154 Verum, ut jam monui, ista omnia tantum liberaliter largitus sum, & transmisī, non concessi; etenim in justa Defensione pag. 383. allegatis textibus Civitatis Mysticæ declaro, mentem Ven. Scriptricis non esse, quod scientia illa B. Virginis se debuerit *actu* extendere ad omnia objecta, quæ aliquando in æternum cognoscent omnes creaturæ. Atque ipse Criticus proculdubio advertit vim meorum dictorum, & corruptionem sensū Agredani ab ipso factam, hinc apud ipsum altum silentium de isto punto, quod cum non fuerit aggressus, sic nihil attulit, quod meæ Defensioni in hoc punto præcipue, vel minimum obesset.

Argumentum XVIII.

155 „ **R**evelationes dicunt, quod in morte Christi ad imperium B. Virginis steterit motus cœlorum. Sed hoc fieri nequit; quia cessante motu cœlorum cessat motus ætheris, seu

„ materiae subtilis , transcuntis per poros aeris , & omnium corporum , & sic necessario etiam cessaret motus aeris ; cessante autem motu aeris cessaret respiratione , & omnis alius motus in animalibus , & plantis ; quia facultas motrix in animalibus , & plantis nihil agit , nisi praesupposita meatione aeris. Hæc omnia certa sunt apud Aristotelem , D. Thomam , & in omni sana Philosophia. Part. 2. num. 1389.
 „ 1390.

„ &c. Hoc loco Apologista concedit denuò duplex miraculum otiosum. Primò , quod motus coelorum interruperint suum cursum. Secundò , quod interrupto motu coelorum non fuerit interruptus motus inferiorum. Hoc miraculum otiosum voco , quia nec utile erat Angelis in Cœlo , nec hominibus in terra : itaque ad otiosa somnia , resque Sapientia Divina indignas , indubitatò releganda sunt.

DEFENSIO.

156 **R**ursus in fidelitatem delinquit Criticus , dum meam respcionem ad suum argumentum , nescio quibus tenebris , involvere videtur. Demonstravi , textum Agredanum esse corruptum ab Adversario , falsò imputante Ven. Scriptrici , quod in morte Christi Cœli ab omni motu cesserint ; cum tamen illa evidenter suas assertions restringat ad motum , & influxum ordinarium , seu alias solitum , quem (NB) mutatum esse ait in morte Christi , prout ipsi textus Civitatis Mysticæ ab Adversario citati ex Part. 2. num. 1389. 1390. clarè docent , ubi exprefse dicuntur : *Sol obscuratus est , alii autem Planetæ (NB) ordinarium in res terrestres actum , & influxum non habebant , Cœli , & Luna (NB) aliò agebantur motu :* ita textus. Si

autem Cœli alio fuerunt acti motu, non cessarunt ab omni motu. Hæc, & plura alia his similia objecti Critico, ostendens ejus palpabilem corruptionem textus, & falsitatem; ab hac se purget oportet, si quid ad rem respondere velit.

157 Ast exutiamus ejus responsonem, vel ideo otiosam, quia dicit, me duplex admittere miraculum otiosum. Et quodnam est primum illud à me concessum miraculum inane? Hoc, quod motus Cœlorum in morte Christi interruperit cursum suum. Verum interrogo, intelligitne Adversarius omnem, vel dumtaxat ordinarium cursum Cœlorum juxta me tunc esse interruptum, & omissum? Si primum, & mihi falsum affingit, ut liquet ex mox, & in justa Defensione pag. 385. dictis. Si secundum, quod motus ordinarius Cœlorum, præsertim Solis, & Lunæ, fuerit interruptus, & mutatus, affirmat à me assertum, lubens in ejus concedo sententiam; sed per hoc non adstruo otiosum miraculum, utpote quod in Evangelistis fundamentum, & in périssimis Scriptoribus assensum invenit. Nonne S. Mathæus 27. S. Marcus 15. S. Lucas 23. testantur, Christo Crucifixo à sexta hora tenebras factas esse usque ad horam nonam? Illas autem tenebras ortuim habuisse ex miraculosa eclipsi, quæ haud immutato motu ordinario Cœli, maximè Solis ac Lunæ, non potuit contingere, testantur Doctores maximi, ut SS. D. N. BENEDICTUS XIV. qui Part. I. Comment. de Festis num. 304. ait, hanc eclipsin, que universum orbem terrarum tenebris circumfudit, fuisse miraculum: nihil enim ejusmodi Luna pleno orbe potest contingere: ubi Sanctissimus alios quoque pro se allegat. Quibus se conjungit Clarissimus P. Antonius Mayr de Adventu Christi num. 361. & seq. ita loquens: „Hæc eclipsis utique fuit valde mirabi-

„lis , utpote , quæ contigit tunc , quando Luna toto
 „ semicirculo distabat à Sole , adeoque plena potius
 „ erat , quam nova , sive Soli conjuncta. Sed hunc ip-
 „ sum Lunæ ad Solem accessum , S. Dionysius scribit,
 „ sibi & Apollophani visum esse prodigiosum ; hinc
 „ idem Sanctus fertur tunc exclamasse : *Aut Deus na-*
 „ *turæ patitur , aut mundi machina dissolvetur.* Atta-
 „ men fateri necesse est , Lunam solam nullatenus suf-
 „ fecisse , ad totum Solem terris omnibus absconden-
 „ dum ; cùm illa sit terrâ saltem quindecies minor , Sol
 „ autem utrâque plurimis millenis vicibus major.

„ Unde Suarez addit miraculum alterum , docens ,
 „ negatum Soli fuisse concursum Divinum , ad radios
 „ in terram vibrandos , quamvis in Cœlum , & stellas ,
 „ tunc emittere eos potuerit. Et quidem ipse agnos-
 „ cit , sic non opus fuisse , ut Luna miraculosè per to-
 „ tum semicirculum orbitæ suæ regrederetur ad So-
 „ lem : at reponit , ex testimonio S. Dionysii hoc fa-
 „ctum haberi , & Deum voluisse , ut utrumque lumi-
 „ nare , majus , & minus , Christi gloriæ deserviret ,
 „ fieretque miraculum majus , ac manifestius : quod ,
 „ Deum voluisse , utique est valde probabile , cùm alia
 „ tunc prodigia accumulaverit. Hæc Ant. Mayr. Jam
 verò si SS. D. N. BENEDICTUS , & alii Doctissimi
 Viri admisso extraordinario , & miraculoſo motu in
 Cœlo pro illis circumstantiis non admittunt otiosum
 miraculum , neque ego admitto , adſtruens illum ex-
 traordinarium cursum , vel mutationem cursūs , & in-
 fluxūs ordinarii. Dein si alia miracula in morte Chri-
 ſti contingentia ſuere rationabilia , etiam de hujus ra-
 tionabilitate non est dubitandum , præcipue , quia ex
 Historia Evangelica conſtat , quòd Deus illo tempore
 voluerit miracula accumulare .

Alterum à me sustineri miraculum otiosè , & fal-
 fo

so dicit Adversarius. Unicè pag. 386. justæ Defensionis scripsi , quòd motus inferiorum non cesset , cessa-
nante motu cœlorum (NB) *ex hac ratione* (ab Adver-
sario pag. 364. controversiæ assignata) *quia omnes in-*
feriorum motus dependent à motu ætheris , seu aura æthereæ.
Verbō rationem ibi impugnavi , non verò assertio-
nem Adversarii , ab hac enim abstraxi. Immò id so-
lùm transeunter factum est , neque in impugnatione
rationis illius fundavi sententiam Ven. Scriptricis , ut
vel ex ultimis verbis , quibus meam responsonem
clausi , constat ; quæ hæc sunt : *Quomodocumque ista se*
habeant , nihilominus æthere suo Adversarius aerem verbe-
rat , dum falsò attribuit Venerabili Scriptrici , quod illa mi-
nimè scriptis , scilicet in Crucifixione Christi omnem motum
cœlorum cessasse. Non admissi ergo primum miraculum.
quòd omnis motus cœlorum cessarit in morte Christi;
unde consequitur , quòd neque admiserim secundum
à primo dependens , saltem juxta Adversarium , quòd
scilicet omni motu Cœlorum cessante non cessarit mo-
tus inferiorum.

Criticus itaque , cùm nihil veritati consonum pos-
sit in aciem educere contra Scripta Agredana , variis
ambagibus , & fraudibus vult ea circumvallare , ne am-
plius illorum verus sensus legentibus pateat ; nam vel
solo illo agnito , jam quoque perspicuum est , Criti-
cum nec posse , nec velle aliter Civitatem Mysticam
agredi , quàm per argumenta aut falsa , aut ad rem
minimè facientia.

Ut ejusdem subdolus agendi modus , circa hoc ar-
gumentum adhibitus , magis appearat , eum paucis
exhibeo. Primò corrupit sensum Ven. Scriptricis. Se-
cundò , cùm videret , ipsam versionem Germanicam
Civitatis Mysticæ obstare sibi , eam in controversia cir-
ca hoc punctum non adduxit , cùm tamen aliàs conti-

nùò illam citet , tanquam unicè in observationibus suis discussam , & impugnatam. Textus ille Part. 2. Civit. Myst. num. 1390. in Germanica Augustana editione Critico (ut ipse protestatur) per quam familiari sic habet : *Die Sonne verbarge ihr Liecht , die Planeten (NB) veränderten ihren einflus , die himmel und der Mond ihre beriegungen :* Id est , *Sal abscondebat lumen suum , Planetæ (NB) mutabant suum influxum , Cœli & Luna suos motus.* Tertiò affert in controversia loco versionis Germanicæ Gallicam , sed cum ejusdem textum , in Latinum idioma transferens , mutilet , rursus Lectori vult illudere ; sed tantùm suum intentum obtinere potest apud linguaæ Gallicaæ penitus ignarum. Textus Gallicus apud Criticum in controversia hic est : *Les planettes changerent leurs influences : les cieux , & la lune interrompirent leurs mouemens : que verba ita latine reddidit : Cœli , & Luna interruperunt motus suos* ubi omittit primam sibi contrariam constructionem hanc : *Planetæ mutaverunt influxus suos.* Quartò , quām infideliter se gerat Criticus in referenda , & impugnanda mea responsione , & Defensione opposita huic argumento , ex dictis palam est.

Argumentum XIX.

158 „ R Evelationes dicunt , quòd caro Christi sit caro B. Virginis , & quidem eadem. Part. 3. num. 117. 766. sed hoc dici nequit.

„ &c. Apologista nixus auctoritate quorundam tuetur , quòd probabiliter fuerit in Christo caro eadem , quæ fuerat in B. Virgine. Sit ea sententia auctoritate probabilis , ab intrinseco tamen ex ratione probabilius est falsa. Itaque contra Revelationes Agredanas stat fortis præsumptio.

DEFENSIO.

IN præsente responsione Criticus unam falsitatem prius jam à me castigatam renovat , & ad alias tres à me verè imputatas nihil responderet , quia nempe novit se apertè reum . Prima , quam hic innovat , falsitas est , quod particula carnis B. Virginis transierit in corpus Christi , vel quod caro Christi sit caro B. Virginis ; simile enim nihil in Civitate Mystica aliquem deprehensurum esse , etiam si eam lynceis quoque oculis lustret , jam docui pag. 388. Defens. just.

Alterum falsum suppositum ab Anti-Agredano Scriptis Agredanis afflictum , est , quod sanguis B. Virginis transierit in corpus Christi per modum partis constitutivæ sine ulla mutatione substantiali . De quo pag. 389. Hoc falsum sequuntur duo , vel adhuc plura alia à pag. 390. justa Defens. confutata . Ad quæ cùm nihil respondeat Criticus , neque se posset , aut audeat libera re à primo falso imputato , manet inconcussa mea Defensio imputans verè eidem quadruplicem , aut quintuplicem falsitatem . Insuper omnia , quæ Ven. Scriptrix refert de carne Christi ex sanguine B. Virginis formata , & in utero nutrita , ac postea in eodem permanente sumimè consona esse rationi , & auctorati , ac simul doctrinæ gloriosissimè regnantis SS. PONTIFICIS BENEDICTI XIV. intelliget benevolus Lector , relecto integro §. 18. Part. 4. art. 1. justæ Defens. qui incipit à pag. 387. ac destruit penitus vanam , quam Criticus Revelationibus Agredanis opponit , præsumptionem .

Argumentum XX.

159 „ **R**evelationes docent , 33. annorum
 „ esse ætatem perfectam ; nec ab eo
 „ tempore hominem crescere in longitudine , sed cras-
 „ sitie , quod tamen non est perfectionis : ita Part. II.
 „ num. 856. item & ab eo tempore hominem jam
 „ deficere , ac calorem , & humorem naturalem mi-
 „ nui , & propterea hominem in senium vergere. Sed
 „ hoc posterius non est verum.

„ B. Apologista censet , in Revelationibus Agree-
 „ danis annum ætatis trigesimum tertium sumi circi-
 „ ter , ita ut duos , vel tres annos supra , vel infra re-
 „ cipiat. Si ita est , eo ipso hæc locutio tam indeter-
 „ minata est indigna Deo.

DEFENSIO.

Repetit Criticus prorsus inutiliter in sua respon-
 sione prius jam excussam assertionem , de Re-
 velatione quoad nos incerta , & indeterminata , ceu
 indigna Deo. Ne & ego otiosæ recotionis arguar , re-
 mitto Lectorem benevolum ad justam Defensionem
 meam pag. 340. & seq. Huc etiam faciunt , quæ scri-
 pti in eadem Defens. justa pag. 331. num. 168. Redit
 hæc Adversarii responsio frequentius in sequentibus,
 sed semper expeditur simili remissione. Vide etiam di-
 gitia superiùs in hoc opusculo num. 130.

Argumentum XXI.

160 „ **R**евелationes dicunt, quod B. Virginis
 „ tot & tantæ fuerint concessæ gra-
 „ tiæ, quantæ per absolutam ejus potentiam pro ejus
 „ capacitatem potuerunt decenter concedi. Hoc tamen est
 „ difficile, et si in eam sententiam ipsius valde propen-
 „ deam: Part. II. num. 1515. 146. 243. Part. III.
 „ num. 515. Part. I. num. 251. 283. 289. 480. 481.
 „ 483. 487. 507. 590. 490. 497. 498.

„ B. Apologista censet, me contradicere mihi met
 „ ipsi, dum in Revelationibus Agredanis crisi subjici-
 „ cio eas propositiones, in quas alibi fateor meipsum
 „ propendere. Non contradico mihi met ipsi, dum in
 „ Revelationibus Agredanis anno propositio nes, vel
 „ inter Theologos controversas, vel in sensum erro-
 „ neum declives. Censo enim, Deum nolle per mu-
 „ lierem reformare Theogiam, praesertim per pro-
 „ positiones æquivocas, aut facile in sensum erroneum
 „ versatiles. Ex illo ergo modo loquendi, & docendi,
 „ qui Deum dedecet, à me eruitur contra has Revela-
 „ tiones præsumptio.

DEFENSIO.

Doctrina, quam Criticus sibi ipsi contrarius hoc
 argumento perstringit, apud Ven. Scriptricem
 est, à B. Virgine post Christum summam in moderna
 providentia obtentam esse gratiam, in eo sensu, quod
 Deus quidem alicui creaturæ adhuc potuerit de abso-
 luta potentia conferre majorem, non tamen de po-
 tentia ordinaria, quia in providentia moderna statuit,
 ut nulla creatura pura ad tantum gradum gratiæ
 ascen-

ascenderet, ad quantum evecta est Deipara. Atque assertio ista clare continentur in Civitate Mystica, ut ostendi pag. 396. & seqq. justa Defens. Dein citra ullam controversiam est conformis unanimi sensui Doctorum, & indoctorum verè fidelium, quorum nullus audebit B. Virginis denegare gratiam in prædicto sensu Agredano summam: qua ratione ergò protest Criticus dictam Agredanam doctrinam accensere propositionibus inter Theologos controversis, & in erroneum sensum declivibus, aut facile versatilibus. Hic modus loquendi, & docendi, quem sectatur Civitas Mystica, nec Deum dedecet, nec præsumptionem adversus illam inducit, ut nōrunt, qui ea, qua oportet, intentione volverunt Revelationes Agredanas: sed an modus loquendi, & docendi Eusebii Amort in Causa Agredana, in qua continuò singit, & decipere conatur, Theogum Christianum deceat, aliis censendum relinquo.

Ad hoc D. Amort se adhuc sciat esse debitorem dissimilat enim corruptionem sensu Epistolæ SS. D. N. BENEDICTI ipsi à me imputatam à pag. 400. justæ Defens. & ab Adversario verè circa hoc argumentum commissam: quare nihil dicit? Nempe cùm delictum nimis manifestum fateri nolit, saltem illud taciturnitate sua vult abscondere. Rogo, adeat animus, & indifferens Lector justam Defensionem à pag. 396. ubi videbit, quomodo Amortius contrarius sit textui Agredano, SS. D. N. BENEDICTO XIV. sibi ipſi, & Suarezio à se allegato, ac proinde omni ex parte, ad quam se vertit, impingat, & ipsas suas machinas confringat.

Argumentum XXII.

16100, R Evelationes dicunt, Cœlos esse cry-
stallinos. Part. II. num. 17. 128.

Quod juxta modernos Astronomos indubitato fal-
sum est.

¶ Apologista censet, Revelationes Agredanas
per Cœlos crystallinos intelligere aqueos. Verum,
si revera ac constanter in his Revelationibus intelli-
guntur Cœli aquei, tribuitur Deo impropria locu-
lio, dum in iisdem Revelationibus dicitur, quod
ascendente in Cœlos Domino Cœli se aperuerint, ac
diviserint; alioquin debuisse etiam hoc in classem
miraculorum reponi, quod ascendente Domino se
aperuerit, ac divisoriter aer, corpus illis aquis cœlesti-
bus longè crassius.

DEFENSIO.

162 Q Uod descendente Verbo, in signum re-
verentiae sese etiam aperuerit aer, ait
Ven. Scriptrix citato per Adversa-
rium textu scilicet num. 128. Part. II. Civit. Myst.
ubi ita habet: *Quamvis necesse non sit parare viam, cum
Deitas compleat omnia, & ubique locorum præsens assi-
stat, nec quidquam illi possit obſistere, nihilominus Cœli ma-
teriales ſuspicientes Creatorem ſuum reverentiam exhibue-
runt, omnes undecim cum elementis inferioribus (proinde
& cum aere) ſeſe aperientes, & dividentes. Verum, ut
pateat, Criticum meæ reſpoſionis vim non enervasse,*
refero primò ex argumento ejus, ut in observat. pag.
524. proponitur, hæc verba: *Certum eſt apud modernos
Astronomos Cœlos eſſe fluidos, non solidos, ſeu crystallinos; non*
ig-

igitur videtur, descendente Verbo eos ab invicem divelli.

Secundò iterum recito meam responsionem in Defens. justa pag. 402. datam, quæ talis est: *hunc observationi, & argumento jam fecit satis Gonzalez ostendens, minimè in allatis textibus affirmari, quod cœli sint solidi: ab hoc enim, an solidi, vel liquidi, aut fluidi sint, abstrahunt. Nam primò, etiam fluida interdum crystallina dicuntur, ob puritatem, & transparentiam suam: sic aqua pura crystallina, vel crystallò prior dici solet. Hunc in modum etiam Apoc. 22. dicitur: & ostendit mihi fluvium aquæ vitae splendidum tanquam crystallum. Secundò, etiam fluida divelli, & dividì possunt; nam aqua maris, extendente Moyse manum, divisa est Exodi 14. & percutiente Elia pallio suo aquas jordanis, ea divisa sunt. 4. Reg. 4. ergò, esto cœli sine fluidi, in proprietate tamen sermonis potuerunt divelli. Item Ven. Scriptrix citato textu non restrinxit suum assertum ad divisionem solarum rerum solidarum, prout putat Adversarius, quod patet ex ipsius verbis; ait enim cœlos cum elementis inferioribus sese aperuisse, & divisisse: inter elementa etiam inferiora est aer fluidus, & minimè solidus, atque adeò per hoc, quod Ven. Scriptrix affirmet, cœlos se aperuisse, se divisisse, noluit affirmare eos esse solidos; cum etiam fluida juxta ipsius textum se possint dividere, & actu divisorint. Ex quibus colligi potest, quod fluida, proinde aer quoque, ac cœli, si fluidi sint, possint propriè dici divelli &c. & consequenter responsio Amortiana meæ Defensionis vim minimè debellârit.*

Argumentum XXIII.

163 „ **R** Evelationes dicunt, corpus huma-
„ num ex quatuor humoribus com-
„ pactum esse. Sed hoc est falsum; quia chymici ex
„ partibus constitutivis humani corporis, v.g. ossibus,
„ nervis, carne non eliciunt quatuor istos humores.
„ Part.I. num. 214.

„ B. Apologista textum Agredanum sic explicat,
„ ut corpus B. Virginis non dicatur *compactum* ex qua-
„ tuor humoribus, sed tantum in eo reperiri quatuor
„ humores. Sed insipienti textum meritò dubium
„ relinquitur, an non potius, prout mihi videtur,
„ intelligendus in sensu obvio, ingeneret sensum de
„ compositione corporis ex quatuor humoribus.

DEFENSIO.

UTINAM aliquando Criticus desineret fingere du-
bia, ubi nulla sunt: certè textus Ven. Scriptri-
cis Part. I. Civit. Myst. num. 214. clarissimè signifi-
cat, quatuor humores tantum dari in corpore huma-
no, nullatenus autem indicat, hoc ex illis ceu par-
tibus constitutivis esse compactum, & compositum:
videatur tantum textus ipse, ac justa Defensio pag.
403.

Argumentum XXIV.

164 „ **R** Evelationes dicunt Part.I. num. 214.
„ quatuor humores in B. Virgine
„ fuisse tam perfecti temperamenti, ut non agerent ad
„ corruptionem mutuam. Hoc autem naturaliter fieri
„ nequit.

„ B.

„ B. Apologista hoc loco denuò in subsidium vo-
 „ cat miraculum, ita ut ipsum B. Virginis tempera-
 „ mentum etiam in sua conservatione potuerit dici
 „ supernaturale. Ego verò, utut B. Virgini concedam
 „ omnes gratias animæ, puritatis, & sanctificationis
 „ constitutivas, hanc incorruptibilitatem corporis
 „ censeo esse improbabilem, cum ipsem Christus
 „ infirmitates nostras in corpore suo portaverit, & teste
 „ Apostolo ad Hebr. 4. tentatus fuerit per omnia pra-
 „ similitudine (hoc est, sic exigente cum nostra natura
 „ similitudine) absque peccato.

DEFENSIO.

165 **Q**UI totam meam responsonem in just.

Defens. pag. 405. legerit, statim ad-
 vertet, quād manca sit responsio
 Amortiana. Docui cum Ven. Scriptrice superna vir-
 tute, & non sine miraculo à Deo in Deipara tale tem-
 peramentum elaboratum, & conservatum fuisse, ut
 nunquam aliqua intemperies exurget humorum in
 corpore Virgineo, quæ corruptionem, aut putredinem
 exigeret, vel efficeret. Assertum hoc compro-
 bavi ex ipsa dignitate Deiparæ, & perfectione corpo-
 ris Mariani, stabilivique autoritate plurium ibi ad-
 ductorum.

Subinde intuli, frustrà ab Anti-Agredano fuisse
 impugnatum hoc temperamentum, quod Revelatio-
 nes dicunt *miraculosum*, per hoc, quod *naturaliter fieri
 nequeat*: nam quæ miraculosa sunt, utique naturaliter
 fieri nequeunt.

Ostendi tandem, quod hoc temperamentum, &
 in sua productione, & in conservatione, possit dici
 supernaturale. In productione quidem; quoniam ad

ipsius in tali, tamque perfecta temperie coordinacionem, & formationem Artifex Deus in utero S. Annæ specialiter, ac supernaturaliter, seu extraordinariâ providentiâ concurrebat. In conservatione verò supernaturale dici potest; quia Deus singulari, & extraordinaria providentia hoc temperamentum in suo semper vigore conservavit, curavitque, ne ab ullo agente intrinseco, vel extrinseco turbaretur &c. Ad hæc itaque Adversarius respondeat necesse est, si velit meam infringere Defensionem, quam citata pag. 405. inveniet benevolus Lector adhuc inconcussum, etiam post excussionem Amortianam.

166 Sed ipse Christus Dominus infirmitates nostras portavit: ergo & B. Virgo Maria. Pulchra hæc sanè esset illatio! Non dixerit utique Criticus, in Christo fuisse morbum, aut infirmitatem aliquam ex intemperie, aut corruptione humorum corporis humani ortam; aliàs enim ipsi occurreret Suarez tom. I. in 3. Part. D. Thom. Disp. 33. dicens: *est sententia temeraria, & pia rum aurium offensiva*, quod Christus, ut nobis in omnibus assimilaretur, assumpserit hujusmodi ægritudines; ubi etiam contrariam conclusionem statuit cum D. Thoma, & aliis pluribus. Rationem dat, quia morbus, vel ægritudo non oritur, nisi ex imperfecta corporis formatione, quæ in Christo locum non habuit, ut constat; vel ex aliqua immoderatione in cibo, & potu, aut alia ex consimili causa, quæ quām longissimè etiam à Christo absuit. Ubi etiam docet Doctor Eximus, quod in Christo fuerit optimum temperamentum, & quod textus S. Scripturæ, qui de assimilatione Christi cum hominibus in infirmitatibus &c. loquuntur, nullatenus de morbo, vel ægritudine intelligi petant. Eam ob rem antecedens illud ab Adversario in dicto sensu, in quo solo Re-

Revelationibus Agredanis opponi potest, intellectum, falsum est. Si vero intelligatur de aliquibus poenaltibus aliis, quas Christus amore nostrae salutis liberè in se suscepit, tunc neque ab illis sese B. Virgo eximere voluit, sed potius (ita habet Civit. Myst. Part. II. num. 19. & 20.) omnes creatureas mandato suo eò adegit, ut secum peragerent illa opera, & actiones, quæ sibi naturaliter molesta, acerba, & poenalia essent: quia ita similis foret SS. Filio suo passura cum illo &c. Inde fit, aut nihil probare crimin illam Amortianam ex parte cum Christo Domino instituta deductam, aut nimium.

Argumentum XXV.

167 " **R** Evelationes dicunt: dolor in patiendo, verus dolor, aut luctus non est, sed tantum apparenſ, quia cum sola lætitia toleratur. Sed hoc non potest dici, quia conjunctio unius contrarii ad alterum non tollit naturam veram illius. Part I. num. 255.

" Bz. Apologista textum Agredanum sic explicat, ut dolores Sanctorum neget solum esse respectivè dolores, nempe comparatè ad alios dolores. Verum an textus Agredanus præcisè hoc dicere velit, meritò dubium manet; & supposito etiam, quod sic sumi posset, is tamen modus loquendi non est usitatus à Deo, qui in Scriptura suos dolores, tanquam veros dolores proponit; v. g. in Prophetæ: *videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Thren. I.

DEFENSIO.

168. **D**ubitet Criticus de sensu textū Agredani , sufficit mihi vel ipsum textum videndum pag. 408. in just. Defens. dubio facere satis. Non loquitur ille aliter , quam aliās Ascetāe , PP. immō , & ipsa Sacra pagina loqui solent? ait Spiritus Sanctus : *non contristabit justum , quidquid ei acciderit; non sunt condigne passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Christus beatos dicit suos Discipulos , cūm eos oderint homines , exprobraverint , & persecuti fuerint , in illa die eos gaudere jubet ; & hæc utique crisi sua non notabit Criticus ? ergo nec verba Ven. Scriptricis: *Dolor in patiendo* (apud justos meritis Christi & Patrocinio B. Virginis ad profectum suum ritè utentes) non est verus dolor , qui cum vera & summa letitia toleratur , & immensi pretii est: vide sis , an non modus loquendi Ven. Scriptricis sit etiam usitatus Spiritui Sancto in sacro Codice ? Verūm , & ipse dolor à Christo pro nobis toleratur , edulcat iustorum adversitates , quod piæ expertæ sunt animæ , & testantur ; unde & illud : *videte , si est dolor sicut dolor meus* , potius confirmat , quām infirma reddit dicta Ven. Scriptricis. Videatur justa Defensio pag. 408. quæ jam omnia Critici dubia dissolvit.

Argumentum XXVI.

169. „ **R** Evelationes dicunt , quòd Deus B. Virginis tanta contulerit , quanta „ Deus potuit conferre , ita , ut plura conferre non „ potuerit. Item tribuunt B. Virginis virtutes in gradu „ absoluṭe perfectissimo , & possibili &c. Sed hæc „ dici

„ dici nequeunt, quia sequeretur dari infinitum ma-
 „ ximum, quod implicat. Part. I. num. 251. 283.
 „ 289. 480. 483. 487. 507. 590. 488. 489. 497.
 „ 498. 506. 562. 657. 772. Part. II. num. 38. 71. 75.
 „ 82. 426. 152. 244. 426. 190. 243.

„ B. Apologista repetit ea, quæ superiùs dixerat
 „ ad Argumentum XXI. & ego repeto ea, quæ ibi
 „ dem respondi. Addo, per hoc denuò admitti innu-
 „ mera miracula, quæ non pertinent ad puritatem,
 „ & sanctitatem B. Virginis; immò neque ad digni-
 „ tatem. Hæc enim tanquam verè summa semper
 „ agnita est per sedecim præcedentia sœcula ab omni-
 „ bus Sanctis etiam devotissimis Mariæ, quin ad men-
 „ surandam eam dignitatem indigerint hoc genere
 „ miraculorum. Pertinent ergò in classem miraculo-
 „ rum otiosorum, vel curiosorum, contra quæ stat
 „ præsumptio.

DEFENSIO.

170 **C**riticus priorem argumento vigesimo
 primo jam auditam cantilenam repe-
 tens, nec aliam, quām ibi datam responsionem me-
 retur. Nihilominus non credas velim præter jejunam
 prorsus repetitionem superiùs ad argumentum vigesi-
 mum primum dictorum, argumento praesenti seu vi-
 gesimo sexto à me reponi nihil. Nam justa Defensio
 pag. 409. & seqq. priùs jam probata novis additis testi-
 moniis, etiam ex ipso Critico depromptis roborat, ac
 eundem sibi satis evidenter adversari ostendit. Dein
 sensus omnium fidelium rectè sentientium per cuncta
 hucusque elapsa sœcula fuit, B. Virginis, utpote ad
 dignitatem Matris Divinæ à Deo supra cæteras puras
 creaturas elevatæ, maximas præ omnibus puris crea-
 tu-

turis collatas esse gratias, & dona, quamvis de potentia absoluta, & B. Virgini, & alteri creaturæ adhuc major, & major gratia in infinitum conferri potuerit: atque hic est ipsissimus sensus Ven. Scriptricis, ut ex variis ejus textibus fit liquidum: unum solum exhibeo. Part. II. Civit. Myst. num. 84. ita alloquitur Deipara Ven. Scriptricem: *quemadmodum (Deus) animam meam adeò ineffabili dote (gratiarum) dotavit, ita posset innumeræ alias dotare (NB) salvō tamē semper toto infinito residuo.* Et quamvis nulli alteri creature exhibeat tantam liberalitatem, sicut mihi exhibuit, id non est exinde, quod aut non possit Eccl. atque adeò Ven. Scriptrix sectatur communem sensum fideliū, qui hactenus existimârunt, quod Virgineæ Matris suæ magna præ aliis fecerit, qui potens est: videatur justa Defensio jam citata.

ARTICULUS III.

EXCUSSIO ARGUMENTORUM EX Historia Biblica Eccl.

Argumentum I.

171 „ **R** Evelationes dicunt, quod Scriptura „ asserat, Diabolum tentando Evans „ serpentinis formam mentitum esse. Sed hoc Scriptura „ non asserit. Part. I. num. 139.

„ Be. Apologista ait; posse Scripturæ hoc tribui, „ quod affirmet, Diabolum ipsum in forma serpentis „ esse locutum, eò quod in uno loco dicatur, Diabo- „ lum esse locutum, & in alio loco idipsum tribua- „ tur serpenti. Verum non videtur verosimile, quod

„ Deus , revelando aliquam veritatem , se referat ad
 „ textus Scripturæ versatiles in varios sensus , qui
 „ etiam diligenter expensi , vel combinati non inge-
 „ nerant sensum obvium à revelatione intentum. Ita-
 „ que contra hunc morem loquendi , qui tribuitur
 „ Deo , stat præsumptio.

DEFENSIO.

172 C Avillationem Amortianam , vel sola sequentia Bonavent. Baronis verba in tract. de operibus 6. dierum Part. 2. pag. 247. confutant. Ea sic sonant : *Nimis notum est , quām familiare sit Scripturæ appellare res nominibus earum rerum , in qua- rum specie apparent. Sic Gen. 8. tres Angeli apparentes appellantur viri , in quorum specie apparuerunt. Similiter Act. 1. duo Angeli apparentes vocantur viri. Unde etiam Diabolus vocabatur serpens , in eius specie apparuit , vel (ut cum Ven. Scriptrice loquar) cuius speciem mentitus est , ut posset Evam sub eumentito schemate serpentis decipere : hinc discimus , Ven. Scriptricem nil contra stylum Scripturæ loqui , imò huic maximè conformari. Unde patet , inania esse ista verba Critici : non videtur verosimile , quod Deus , revelando aliquam veritatem , se referat ad textus Scripturæ versatiles in va- rios sensus , qui etiam diligenter expensi , & combinati non ingenerant sensum obvium à revelatione intentum. Si quidem textus Sacræ Scripturæ cap. 3. Genesis collat- tus cum aliis textibus ingenerat sensum obvium à Re- velatione Agredana intentum , ut vidimus. Ad hæc , vel sunt in S. Scriptura textus versatiles in varios sen- sus , vel non sunt? Si ultimum , tunc si se Deus in pri- vata Revelatione refert ad unum , vel plures textus S. Scripturæ , ineptè dicitur , quod se referat ad textus*

versatiles, quales in Sacra pagina non reperiuntur. Si primum, utique illi textus utut versatiles sunt Verbum Dei, Divinitus ad publicam Ecclesiæ institutionem revelatum: ergo etiam Deus in aliqua Revelatione se potest ad illos referre; nam quæ inconvenientia, si Deus loquens se referat ad suum verbum anteà dictum, & revelatum? Dein si aliquis textus in Sacra Scriptura, ut iste de Eva à serpente tentata, est dubii sensus, & ideo interpres in plures opiniones abeunt, potest Deus privatum alicui Personæ revelare, quænam opinio, vel expositio attingat sensum determinatè à S. Scriptura intentum: hæc enim non sunt impossibilia, atque hac de causa non est mox rejicienda Revelatio privata, quia in ea legitur unus determinatus sensus circa textum adhuc dubium apud interpres in vario sensu eum accipientes. Hæc, & plurā alia videre potes in justa Defensione pag. 414. Nam Criticus hic nihil novi assert, quod ibi non est plenè dilatum.

Argumentum II.

173 „ **R**evelationes dicunt, quòd in Libro Numerorum contineantur pertinētia ad Arithmeticam. Si sensus horum verborum est, quòd in isto libro numeri contineantur, qui spectant ad Arithmeticam, sensus est otiosus: quis enim ignorat, ut opus sit animadversione, numeros spectare ad Arithmeticam? Si autem sensus sit, ibi contineri spectantia ad præcepta Arithmetica, etiam falsus est; neque enim ex isto libro discitur Arithmetica. Part. I. num. 149.

„ R. Apologista pro hoc more loquendi impro prio assert textum parallelum ex S. Hieronymo. Sed

„ in primis pro locutione impropria valdè extraordi-
 „ naria non stat præsumptio ; dein ejusmodi modus lo-
 „ quendi versatilis ac improprius non decet Deum
 „ revelantem.

DEFENSIO.

174 **C**riticus in omnem partem versatilis modum loquendi versatilem iterum sed falso tribuit Ven. Scriptrici. Ipse in observationibus pag. 527. fatetur Scripta Agredana posse in sensu fano accipi : ast , quia tantum cavillari voluit Civitatem Mysticam , ei sensum ab ipsa non intentum affingere laboravit , & sic rursus sensum Agredanum corrupit.

Textus itaque Civit. Myst. Part. I. num. 149. ait: *Liber Numerorum involvit etiam ea, quæ ad Arithmeticam spectant, & recondita ubique Sacra menta latent, ubi per spectantia ad Arithmeticam, non præcepta artis computandi, sed ipsa Mysteriis reconditis plena enumeratio, & supputatio mansionum populi in deserto intelligitur, ut colligitur ex parallelo textu S. Hieronymi, qui in 2. Prol. ad Paulinum cap. 7. de lib. Num. ait: Numeri Verò nonne totius Arithmeticæ, & Prophetiae Bal laam, & quadraginta duarum mansionum per erenum mysteria continent? ubi explanator habet: per totius Arithmeticæ mysteria, non speculationes matematicas, sed dictas enumerationes arcanæ intelligentiæ plenissimas indicari.*

Tam ergo modus loquendi usitatus S. Hieronymo Doctori, in exponentibus Scripturis Maximo , non potest ab Amortio justè morderi tanquam versatilis , & extraordinariè improprius , aut indignus Deo reve lante. Plura in just. Defens. pag. 411. contra quam

nihil haec tenus, quām otiosa verba attulit Criticus.

Argumentum III.

175 " **R** Evelationes dicunt, quōd *omnia mysteria novae legis fuerint declarata in Prophetis, & Psalmis.* Sed hoc non est verum, quia S. Paulus testatur, documenta Veteris legis fuisse tantum umbram futurorum. Part. I, num. 155. 159. ibi. " **A**pologista ait; hunc terminum, declarari, in eo sensu accipiendum esse, ut idem significet, ac obscure prefigurari: verum ille terminus in sensu obvio ac usitato, pro quo solo stat præsumptio, plus dicit. Deum autem immediatè per semetipsum locum, qui verbis impropriis, nec decet, nec præsumendum est.

DEFENSIO.

IN mox recitata responsione Criticus corrumpit meam Defensionem, & manifestè falsum dicit, Ostendat ille in mea Defensione, præsertim pag. 418. & seq. (ubi de hoc argumento solum agitur quæstio) ista, vel similia verba, hunc terminum declarari in eo sensu accipiendum esse, ut idem significet, ac obscure prefigurari. Nil tale mea scripta omnia excusant occurret, bene oppositum. Nam distinguo ibi ista duo, nimirum declarationem, & obscuram præfigurationem; primam ajo juxta Ven. Scriptricem esse factam *ipsis Prophetis*, quibus revelata sunt mysteria novae legis; secundam seu obscuram præfigurationem horum mysteriorum posse adhuc dari in libris Prophetarum: nam non est idem, hoc est clarè cognitum.

tum à Propheta , & hoc est clarè descriptum in libro à Propheta : primum , quod affirmat Ven. Scriptrix , potest esse sine altero , & hinc ex primo asserto , alterum non necessariò sequitur. Tantùm legat amicus Lector meam justam Defensionem cit. loco , & videbit , quòd non solum ibi imputata corruptio textus aut sensus Agredani subsistat , sed & aucta sit nova ex proposito commissa , fallaci perversione meorum dictorum. Ita agit candidus , ac honoratus hic vir , gloriamque suam similibus apud honestum mundum hucusque præscriptis artibus protegere nititur ; sed timeo , ne per ejusmodi facta in Causa Agredana fatis multiplicata , vix amplius delendam maculam famæ suæ anteà obtentæ inurat , Deo & Deipara justè id permittentibus.

Argumentum IV.

177 „ **R** Evelationes dicunt , Christum in ultima cœna ē coenaculo discessisse „ ingruente nocte. Sed hoc fieri nequit consideratis circumstantiis , & consideratis iis , quæ alibi dicunt hæ ipsæ Revelationes , quòd illa ultima cœna nocte peracta sit. Part. II. num. 1204.

„ B. Apologista hoc argumentum conatur solveare per textum Hispanicum , ubi dicitur : *ingressa jam nocte* : verum præsumptio est , interpretem Latinum , Gallicum , Italicum , & Germanicum melius intellexisse hæc verba Hispanica , y *entrada ya noche* . Gonzalezio interpreti in hac re testi in causa propria non creditur.

DEFENSIO.

Quod me attinet, crediderim natos Hispanos melius, quam extraneos intellexisse, quid significent verba hæc Hispanica: *y entrada ya noche*. Neque excipiat Criticus contra Gonzalezium, qui non est solus, sed pro ipso, & cum ipso stant quoque Censores Hispani, qui non probâssent falsam expositionem Gonzalezianam. Et quis credit, Virum in Hispania sribentem velle falsa expositione verbularum quorundam Hispanicorum, sibi malum nomen comparare?

Porrò non video, cur modo ad Latinam versionem provocet Criticus, cum eam alias soleat sèpiùs repudiare. Sed inspiciamus denuò ejus asylum versionem Germanicam, quam quoque pro se allegat: hæc ita habet: *Da schon die nacht angebrochen vvare*, quod perinde est: *postquam jam nox ad venerat, vel nocte jam ingressa*. Quare nihil respondet Criticus ad ista, ipsi jam in mea justa Defensione pag. 420. objecta: videat ibi Lector.

Argumentum V.

178 „ **R**Evlationes asserunt, quòd B. Virgo tempore Passionis *sola fuerit tota Ecclesia*. Sed hoc non est verosimile, cùm non sit credibile, B. Joannem, & S. Magdalenam, Lazarum, & multa alia credentium millia, qui per regiones dispersi erant, & ne quidem habebant notitiam de scandalo Passionis, in die Passionis Dominicæ fidem amisisse. Part. II. num. 1448.

27 **B.** Apologista non invenit aliud responsum, ni-

„ si quòd audacter defendat, tempore Passionis in so-
 „ la B. Virgine perstisse fidem; pro se citat duo opus-
 „ cula certò supposititia, quæ Annatus quidem recen-
 „ fuerat, sed antequam editæ fuerant observationes
 „ Oudini, cuius rationibus, ubi convincentes sunt,
 „ prout eas convincentes ostendi in hoc punto, me-
 „ ritò tribuitur fides.

DEFENSIO.

179

Quod Apostolis relinquenteribus Chri-
 stum captum, in sola B. Virgine
 fuerit fides, & Ecclesia *Christian*a, seu
 Evangelica, affirmat Ven. Scriptrix, quam & in hoc
 punto non esse reprehendendam assero in mea justa
 Defensione, non solum, quia id docent duo illa
 opuscula S. Thomæ, & Bonaventuræ, quæ Adversario
 certò sunt supposititia; sed quia illud quoque tenent
 Doctores gravissimi, ut Alexand. Alen. Turrecrema-
 ta, Panormitanus, Durandus, Jansenius, & alii: imò
 & ipse S. Augustinus tract. 103. in Joannem dicens
 de Apostolis: *non enim, quando comprehensus est, tan-*
tummodò carne sua ejus carnem, verùm etiam mente reli-
querunt fidem. Hinc, licet S. Thomas, & S. Bonaven-
 tura nihil de hac re haberent, ea tamen aliunde satis
 in dicta justa Defensione stabilita foret.

180 Verùm & illa opuscula non statim ut certò
 supposititia deneganda sunt SS. illis Doctoribus, eò
 quod ita jubeat Oudinus à fide, & Religioso Ordine
 Apostata, cuius liber de Scriptoribus Ecclesiasticis est
 prohibitus, & cui minimè fidendum esse ostendi in just.
 Defens. pag. 423. & singulariter pag. 521. Peculiariter
 nullam fidem homo hic heterodoxus meretur, dum
 differit de SS. Thoma, & Bonaventura, quorum ho-

nori detrahit, eorum opera ex proposito contemptui habet, ac numerum illorum data opera minuere tentat. Id fateri debet quilibet, qui perlustrat dissertationes, quas ad Sæculum XIII. de ipsis Sanctis, & eorum libris conscripsit. Paucula sequentia ex iis dumtaxat profero, & ea sufficient prorsus ad nauicam in quovis ingenuo, ac Catholicæ Ecclesiæ addicto animo excitandam. Ita igitur loquitur Oudinus cit. fol. mihi 356. *Quamvis Pontificii innumeri S. Thomam Aquinatem ob doctrinam laudarint, tamen apud viros narium emuntarum, vel nullam, vel modicam eruditionem ex lectione operum ejus hauriri creditur. Nam Scholasticam trutinam, & garrulitatem unicam sciebat, hac etate omnibus Scholasticis communem, & facilem: unde nullum ipsums in parte meritum agnosci potest, cum tunc temporis tonsoribus etiam cognita esset. Nesciebat historiam, linguas, quas appellant exoticas, neque artem criticam, quibus eruditio hodie maxime celebres sunt. In tantum istorum ignarus, ut græca nec tantisper intelligeret. Tanto jam hodie illius volumina crassa contemptui habentur, ut negligant illa legere, ii etiam, qui compararunt. Immerito itaque à Romanis Pontificibus Docttor Ecclesiæ quintus ad instantiam Ordinis Fratrum Prædicatorum renuntiatus fuit: sicut & S. Bonaventura ad instantiam Fratrum Minorum, de quo dissertatione sequenti loquemur, idem judicium de ejus doctrina, & operibus pronuntiantes.*

Dein pag. 383. rursus sic scribit prædictus Oudinus: *noverunt in Historiis Eruditi, quam emulationem ab antiquo inter se habuerint ambo Ordines Fratrum Minorum, & Prædicatorum: unde quemadmodum Pius V. Dominicanus S. Thomam Aquinatem inter Ecclesiæ Doctores accensuerat, ita etiam Sixtus V. Franciscanus S. Bonaventuram Sodalitii sui alumnum Sextum Ecclesiæ Doctorem instituit. Et quemadmodum etiam Fratres Domini-*

cani in editione Romana anno 1570. omnium S. Thome Aquinatis opusculorum ad 73. opuscula undique emendata per venerant: ita Franciscani anno 1596. in editione Romana omnium S. Bonaventuræ opusculorum ad opuscula 73. affurgunt, ne posteri minorem Thoma Aquinate S. Bonaventuram crederent. Hæc, & plura similia Oudinus, quæ malevolus erga rem Catholicam animus ipsi deditat, garrit in dissertationibus duabus de operibus SS. Thomæ, & Bonaventuræ: quid autem de tali authore censendum? Estne aliqua fides tribuenda illi, præsertim quando loquitur de his duobus Doctoribus, & operibus eorum? Quantum ego existimo, fides nulla habenda ei, qui fidem Ecclesiæ nostræ non servat, eam, & ejus summa capita, ac Doctores de ipsa omnium piorum, & prudentum judicio optimè meritos, tam protervè more hæreticis usitato, proscindit. Sed quid laudis etiam apud Sedem Apostolicam, & Ecclesiam, hujusque genuinos filios sperare potest ille Theologus, qui locum suum Theologicum de SS. Patribus, & Scriptoribus fundat ut plurimum in proscripto isto ab Ecclesia, & in alio non melioris notæ authore, nempe Caveo? Erubescerem sanè, si meam erudititionem ex fontibus tam turbidis haurire vellem. Certè Casimirus Oudinus, notissimus, & Christianis Sacris infensisimus Apostata, à Benedicto Plaza in pluribus arguitur mendacii, imperitiæ, & calumniæ: mihi sufficit ejus librum de Scriptoribus Ecclesiasticis esse prohibitum, unde in mentem haud inducere possum, quod Annatus propter Oudini garrulitatem ex præconcepto erga Ecclesiam, & ejus Doctores odio profectam, si hæc ipsi cognita fuisset, voluisset suam mutare sententiam.

181 Sed libremus rationes Oudini, an convincentes sint, ut jaëstat Criticus noster. De opusculo igitur

tur quarto de Præceptis duobus charitatis, & decem legis præceptis S. Thomæ adscripto, scribit sequentia Oudinus Dissertat. de operibus hujus Sancti Doctoris cap. 21. ibi adducit Nicolaum Treveth Anglum, in crono tribuentem istud quartum cum aliis duobus, nempe sexto, & septimo, opusculis Petro de Adria. Post hæc autem sic pergit citatus: & alii omnes, qui fide digniores sunt, attribuunt (tria opuscula laudata) Sancto Doctori Angelico in suis Catalogis, quos contexuerunt. Ita Ptolomæus Lucensis Torcellanus Episcopus, & S. Thomæ Discipulus lib. 23. Historia Ecclesiast. cap. 12. 13. & 14. ubi de opusculis S. Doctoris agit. (NB) Bernardus Guidonis Lodovenensis Episcopus lib. 1. de Vita S. Thomæ Aquinatis cap. ult. de numero, & nominibus opuscotorum, & tractatum S. Thomæ: Clemens VI. Summus Pontifex in sermone manuscripto de laudibus S. Thomæ Aquinatis, saltem in genere, dum 40. opuscula recenserent, ipsis hæc tria, de quibus loquimur, constanter omnes annumerant. Denique S. Antoninus Archi-Episcopus Florentinus 3. Part. Chronicæ, seu Summa Historialis tit. 18. cap. 10. §. 2. hæc eadem cæteris S. Thomæ Aquinatis opusculis accenset: quæ etiam in manuscriptis antiquis, & bona notæ, sub ejus nomine inveniuntur. Opusculis istis attentissimè discussis inuenio opusculum IV. de duobus præceptis charitatis, & decem præceptis (est illud, de quo quæritur), opusculum V. de articulis fidei, item VI. VII. & VIII. esse unius ejusdemque Authoris, sed incerti, qui aliquot post mortem D. Thomæ annis ista opuscula composuerit, quæ postmodum Aquinati attributa sint. Hæc Oudinus, qui paulò inferius subdit, quod verisimile sit, Henricum de Urinaria esse verum Authorum horum quinque opusculorum S. Thomæ, quæ à num. IV. usque ad VIII. habentur, & à fratribus Prædicatoribus gratis eidem attributa sunt.

182 His præmissis liceat subjungere aliquas reflexiones. Dicit Criticus, ut vidimus, in sua responsione: *rationibus Oudini, ubi convincentes sunt, prout eas convincentes ostendi in hoc punctione, meritò tribuitur fides.* Quibus in lineolis duo falsa continentur. Primò falsum est, quod rationes Oudini (si tamen aliquam rationem pro se habeat Oudinus) ostenderit esse convincentes: qui enim ostendere potuit illud esse convincens, cuius non meminit? Tota ratio, cui innititur Oudinus negans Doctori Angelico istud opusculum quartum de 10. præceptis, consistit in ejus judicio, quod sibi formavit, relictis, vel ipso teste, fide dignioribus testibus, ac manuscriptis antiquis bonæ notæ: atque hujus ne mentionem quidem fecit D. Amort in sua controversia pag. 389. ubi pro rei ciendo quidem opusculo de Meditatione Vitæ Christi, Doctori Seraphico aliàs asserto allegavit Oudinum; sed reprobans opusculum de 10. Præceptis tanquam haud germanum S. Thomæ partum, non solum non nominat Oudinum, sed etiam manifestè contradicit. Etenim sic tantum D. Amort loquitur citato loco controversiæ: *opusculum de decem Præceptis, nec à Bernardo Guidone, nec à S. Antonino inter ejus (S. Thomæ) opuscula ponitur, quod ipsi Oudino adversatur, qui mox recitato textu clare testatur, Bernardum Guidonem, & S. Antoninum illud IV. de decem Præceptis aliis Angelici Doctoris opusculis annumerâsse.* Secundò falsum est, quod ratio Oudini, ex qua abjudicat Doctori Angelico prædictum opusculum, in se sit convincens. Sistit ea in una ferè imaginaria apprehensione ac testimonio fallaci Oudini Novatoris aliàs mendacis, protervi, hostis Ecclesiæ, ac rerum Ecclesiasticarum non ultimi: nihil enim pro opinione sua hac stabilienda assert, aut afferre potest, quam quod discussione à se facta invenerit ipse, hoc opusculum esse incerti Authoris.

Ve-

183 Verum quis uno hoc testimonio, contra quod tantæ pugnant exceptiones, se convinci credat, præsertim, cum ipso Oudino liberè fatente, alii omnes fide digniores testentur contrarium? Quid sciverit recentior hic Apostata de opusculis illis? nonne plus erendum Ptolomæo Lucensi Episcopo S. Thomæ Discipulo, & contemporaneo, quam Apostatae tot sæculis posteriori? certè Discipulus S. Doctoris melius dijudicare novit stylum sui S. Præceptoris, quam quis aliis, pluribus sæculis ab illo distans. Unde non perspicio, qua ratione Annatus, si videret futilis observationes Oudini, ab eis deberet in aliam flecti sententiam de opusculo hoc S. Thomæ vindicato, aut alio de Meditatione vitæ Christi Sancto Bonaventuræ aserto: quòd enim rationes Apostatae illius contra istum quoque Doctoris Seraphici Tractatum confictæ, nihil ponderis habeant, jam ostendit mea responsio pag. 423. just. Defens. Non enim Tractatus ille indignus est S. Bonaventura, ut ei obijcit Oudinus, nec amat fabulas, cum teste Annato sit doctrina, pietate, ac devotione plenus. Unde si Annatus vir ille veræ, sobriæ, ac Christianæ Criticæ peritissimus, ac nullatenus amans fabularum, cerneret contrarium statuentes observationes Oudini, eas ceu confictas à pietatis, & devotionis, ac veræ doctrinæ osore contemneret, prout jure spernuntur, & exploduntur à quovis, qui erga veritatem plus, quam similia novatorum commenta afficitur. Dein neque amplius, quam præcedentem valere judicaret Annatus illam Oudini rationem, quòd aliqua in opusculo illo contineantur, quæ etiam reperiuntur in Revelationibus S. Gertrudis; hæc enim oppositio levissima uno halitu exsuffflatur facillimè: nam quis neget, aliquem Doctorem posse aliqua suis libris inserere, quæ posteriore ætate alteri à Deo revelantur, vel

vel ab eo scribuntur? Miror, quod nugaces similes rationes (si tamen rationis nomen figmenta merentur) vir cordatus velit convincentes appellare. Verum, ut iam dixi, D. Amort pessimè suo nomini, ac rei literariæ Catholicæ consulit, dum operibus Oudini, & Cavei Authorum mendacium, & hæreticorum, ac prohibitorum adeò frequenter utitur contra Revelationes Agredanas.

Argumentum VI.

184 „ **R**evelationes dicunt, quod jam ante septem Diaconos, de quibus fit mentione Act. 6, fuerint prius constituti, & additi alii sex Diaconi; & consequenter constituti fuissent tredecim. Sed hoc non congruit Actorum Apostolicorum Historiæ, ubi potius videtur, septem Diaconos non fuisse sex aliis Diaconis additos, sed tantum in locum Apostolorum, qui prius curam pauperum Evangelicorum gesserant, substitutos. Part. III. num. 103. 109. 190.

„ Be. Apologista textum Agredanum excusat, quod sex priores Ministri pro colligendis eleemosynis, & administratione temporalium ab Apostolis constituti nunquam vocentur Diaconi. Verum hoc loco agitur de re, non de nomine. Ex actis Apostolorum colligitur, nullos omnino ante septem Diaconos fuisse constitutos, qui gererent curam victualium pro sanctis, qui sua bona deposuerunt ad pedes Apostolorum. Nisi enim Apostoli sibi met ipsiis eam curam reservassent, nullam haberet Petrus causam constitutendi septem Diaconos propter murmur viduarum græcarum dicens: non est æquum, nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis.

DEFENSIO.

185 **P**rodit ipsum argumentum Critici rem, quam in controversiam vocabat, fuisse saltem ex parte sitam in hoc, quod illi 6. viri etiam fuerint Diaconi, & sic non solum septem, sed omnino tredecim fuerint constituti: quid enim aliud volunt illa verba: *Revelationes dicunt, quod jam ante 7. Diaconos, de quibus fit mentio Act. 6. fuerint prius constituti, & additi alii 6. Diaconi, & consequenter constituti fuissent tredecim. Sed hoc non congruit Actorum Historiae, ubi potius videtur, septem Diaconos non fuisse 6. aliis Diaconis additos?*

Non me latet, cur Anti-Agredanus modò manifestam suam assertione velit, vel negare, vel tegere, ut nempe sic quoque occulere possit veram à me ipsi imputatam corruptionem textū Agredani. Verum non ita eam abscondere potest Criticus, ut non in oculos legentium Civitatem Mysticam, & justam meam Defensionem à pag. 424. evidenter incurrat: ubi etiam jam planum feci, & istud placitum Agredanum, quod accrescente numero fidelium ad 5000. hominum, Apostoli rei domesticæ curandæ præfecerint 6. viros, subiectam aliquas mulieres ad hoc ministerium singulariter aliis mulieribus, & infirmis præstandum, illis viris addiderint, ac tandem ob murmur exortum sedandum 7. Diaconos constituerint, qui & viris illis 6. ac mulieribus præcessent. Quam doctrinam ibi firmavi arguento ex ipsa ratione vivendi Apostolorum petita: quod Criticus nec attingere quidem fuit ausus, adoque illud in suo vigore perseverat.

Quod autem Apostoli sibimet ipsis usque ad creationem 7. Diaconorum non reservarint curam illam

cum exclusione omnium aliorum , patet ex ipsis actis Apostolorum ; hæc enim satis indicant, aliquas viduas jam ante constitutos 7. Diaconos fuisse, ad quas hoc ministerium spectaret, ob quas etiam murmur illud excitatum erat ; unde non est ratio , cur non etiam aliquibus viris simile officium jam tum fuerit commisum. Habuit tamen S. Petrus causam constituendi 7. Diaconos, ut hi essent supremi æconomi , qui alias inferiores viros, & foeminas in officio continerent, & eorum servitia ordinarent, ut debitè fierent, sicque Apostolos ab hac suprema cura , & vigilancia libera- rent. Videatur justa Defensio pag. 424. & seq. ubi jam satisfactum est ejusmodi crisibus Amortianis.

Argumentum VII.

186 „ **R**евелationes dicunt, quod populus „ in primitiva Ecclesia tantum com- „ municaverit sub una specie. Sed hoc falsum est; quia „ contraria consuetudo primitivæ Ecclesiæ patet ex „ Apostolo 1. Corinth. 2. & ex innumeris textibus „ Sanctorum Patrum ; ita, ut potius generalis consue- „ tudo Ecclesiæ ubivis fuerit, ut cuivis , qui vellet, „ præberetur Sacramentum sub utraque specie.

„ B. Apologista probat, quod aliqui in primitiva „ Ecclesia communicaverint sub una specie, & quod „ hujus rei , quod aliqui sic communicaverint, non „ panca reperiantur in antiquitate exempla. Hæc sunt „ verissima. Sed ex hoc ipso consequitur, quod ordi- „ nariè plerique communicaverint sub utraque specie: „ verum Revelations Agredanæ ex opposito dicunt, „ quod jam in primitiva Ecclesia in valuerit consuetudo (hoc „ est , mos majoris partis communitatis) communican- „ di sub una specie , tametsi (NB) aliqui laici communica-

„ verint sub utraque specie. Dum hoc loco communio
„ laicorum tantum ad aliquos extenditur; evidens est,
„ peccari à Revelationibus contra veritatem histori-
„ cam.

DEFENSIO.

187

Criticus in responsione sua auctupem verborum agit, ac se in voce illa *consuetudo* detinet, quam ita explicat, ut per eam morem majoris partis communitatis petat intelligi. Ita est: consuetudo juris, quæ legem, aut inducit, aut abrogat, frequentatos à maiore parte communitatis actus supponit, ut consensum in eam, vel totius, vel majoris partis communitatis indicet. Ast hic Ven. Scriptici non est sermo de consuetudine juris, sed sumpta præcisè pro usu, praxi, & frequentatione actuum sèpè contingentium, sive dein à majori, vel saltem magna parte populi fiant, atque in hoc sensu jam tempore Apostolorum coepisse consuetudinem communicandi sub una specie, neque ipse Criticus negare poterit, & satis ostendunt illa, quæ à pag. 426, justæ Defensionis leguntur. Sic ibi ex Tournely adduxi, quod (NB) *usus*, & *praxis* Apostolorum, & primorum fidelium jam fuerit sub una specie communicare. Ibi quoque ex Concilio Constantiensi dixi, jam ante istud *diutissimè* consuetudinem communicandi sub una specie ab Ecclesia observatam esse. Plura, quæ rem hanc declarant, ibi protuli, ex quibus sequi existimo, quod praxis, seu usus non infrequens fuerit jam in prima Ecclesia communicandi sub una specie, licet tum liberum fuerit etiam sub utraque specie hoc Sacramentum sumere, & aliqui etiam laici, sive multi, sive pauci, sub utraque sumpserint. Nam Tò aliqui est

indifferens ad multos, & paucos significandos. Sic pròpositio hæc: *aliqui currunt*, vera est, & si multi currant. Dein, si textus Ven. Scriptricis rectè, & sincèrè pensatur, id verè unum affirmat, quòd praxis communicandi sub una specie suum derivet initium à tempore primævæ Ecclesiæ, quamvis tunc temporis etiam licitum fuerit communicare sub utraque specie: atque hoc dicendo Venerab. Scriptrix consentit optimè cum Doctrina fidei, Conciliorum, Patrum, & Historicorum. Hinc, non sine injuria, ejus doctrina à D. Amort obliquis oculis observatur.

Nec prætermittendum est, quòd D. Amort iterum varius, ac sibi ipsi dissimilis sit. Priùs in argu-
mento in observationibus proposito afferuit, à Ven. Scriptrice doceri, quòd populus tantum sub una spe-
cie in primæva Ecclesia S. Synaxin sumperit; modò
verò mutat suum assertum, & restringit ad majo-
rem partem populi. Primum dum dixit, textum Venerabilis Scriptricis corrupit, ut jam notavi in justa Defensione citata; alterum dum modò statuit, sibi ipsi adversatur. Sed videat benevolus Lector alle-
gatam justam Defensionem, quæ crises Amortianas
jam diluit.

Argumentum VIII.

188 „ **R**евелationes Agredanæ afferunt, quòd Christus, post suscep-
tum à Joanne Baptismum, & expletum quadragesimale jejunium,
adhuc decem mensibus manserit in Judæa. Sed hoc
non est verosimile; quia de illo intermedio spatio
inter jejunium, & nuptias in Cana, nec iota an-
notatur ab ullo Evangelistarum. Part. I. num.
1010.

„ R. Apologista respondet, ex silentio rerum gestarum nil probari convincenter. Vera scribit. Verum cum quatuor Evangelistae profiteantur ea scribere, quæ à tempore prædicationis Evangelicæ, ac vocationis Apostolorum gesta sunt, ac D. Joannes suppleret soleat, quæ ab aliis Apostolis omissa sunt, nascitur violenta præsumptio, integrum decem mensium spatum eo tempore intercalatum, de quo nec in genere, nec in specie fit in Evangeliiis mentio, prorsus fictitium esse.

DEFENSIO.

189 **A**rgumentum istud uno silentio Evangelistarum nititur, & ideo illud silere jubet S. Joannes cap. ult. dicens: *sunt autem (præter scripta ab Evangelistis) & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros: ubi fatetur, se non omnia litteris consignasse de Christo, quæ alii Evangelistæ omiserunt.* Verum de hac re jam satis in Defens. justa pag. 429.

Argumentum IX.

190 „ **R**evelationes afferunt, in ea questione, an Christus venisset, si Adam non peccasset, Theologos non dissentire inter se, si bene intelligantur. Sed hoc falsum est. Part. I. num. 74.

„ R. Apologista frustra excusat contradictoria textus Agredani. Simul enim scribit, Theologos, si bene intelligantur, non dissentire inter se; & simul

, affirmat , uni parti horum Theologorum negat,
 , tum esse à Deo lumen intelligendi hæc mysteria.

DEFENSIO.

191

Amabo! estne contradicatio , dum dico:
*aethiops non est albus simpliciter , est tam
 men albus secundum quid , vel secundum dentes considera-
 tus?* Ita etiam Ven. Scriptrix ait quidem Part. I. num.
 75. diversas dari de hac re Doctorum sententias , ad-
 ditque , dissensum in hac , vel aliis materiis apud do-
 ctores oriri , quia Deus aliis circa hæc , aliis circa alia
 mysteria lumen suum solet conferre. Hoc non ob-
 stante admittit Ven. Scriptrix utriusque sententiae Do-
 ctores secundum quid convenire , & hinc rectè senti-
 re , si ritè intelligantur : utraque enim sententia affir-
 mat , Christum nunc venisse ut Redemptorem , &
 propter redemptionem , & sic ambæ bene sentiunt:
 differunt autem , quod Thomistica constitutat præci-
 puum , & unicum motivum ipsius substantiæ Incarna-
 tionis in Redemptione , quam Schola Scotistica tan-
 tum vult motivum secundarium modi Incarnationis ,
 quo nunc venit ut passibilis. Quæ cùm satis dilucidet
 justa Defensio pag. 430. & simul corruptionem textus
 Agredani factam ab Adversario exhibeat , sic nil ad-
 dendum restat.

Argumentum X.

192

Revelationes dicunt , S. Joanni Evan-
 gelistæ in Apocalypsi ostensam esse
 illam mulierem Apocalypticam , ut hac visione ani-
 maretur ad majorem curam gerendam in protegen-
 da

„ da B. Virgine ; sed hoc fieri nequit , cùm B. Virgo
 „ ante Apocalypsin dudum priùs objerit. Part. II. num.
 „ 248.

„ B. Apologista nescit aliud solidum responsum,
 „ nisi quòd dicat , eam visionem , quæ hoc loco in
 „ Apocalypsī describitur , à S. Joanne habitam fuisse
 „ adhuc vivente B. Virgine , hoc est , ad minimum
 „ quadraginta annis ante conscriptionem Apocalypsis.
 „ Verùm legenti Apocalypsin pater , visionem illam
 „ esse unam continuam. Rupertus , & S. Augustinus
 „ solum testantur , quòd visiones Apocalypticæ etiam
 „ tractent de præteritis , non verò , quòd ipsarum vi-
 „ sionum aliquæ jam præcesserint tempore præterito;
 „ hoc ergò effugium nullum , & argumentum meum
 „ convincens est.

DEFENSIO.

193. **S**I S. Augustinus , Rupertus , Hugo Car-
 dinalis , Gilbertus Pictaviensis , Lyra-
 nus testentur , quòd Apocalypsis tractet etiam de præ-
 teritis ; tunc non subsistit istud assertum Amortianum
 pag. 397. Controv: *Totus liber* (Apocalypsis) vocatur
*in D. Ioanne una Prophetia futurorum , non mixtura ex-
 historia præteriorum , & prænuntiatione futurorum.* Quod
 assertum Adversarii falsum , Scriptis Agredanis præ-
 cipiti calamō oppositum , unicè in just. Defens. pag.
 433. num. 265. oppugnavi per laudatos S. Augusti-
 num , Rupertum , & alios mox nominatos.

Quòd autem aliquæ visionum Apocalypticarum jam
 præcesserint tempore præterito , probavi cit. pag. just. De-
 fens. numero præcedente 264. ex Cornelio à Lapide
 in Prolegomenis in Apocalypsin , ubi quæst. 3. cap. 2.
 docet , quod Visiones Propheticae S. Ioannis (NB) diversis

temporibus, ut videtur, revelatae, non describantur ordinis
temporis &c. Totum textum Cornelii allegato loco
justæ Defensionis videre potes, ad quem cum Criti-
cus non respondeat, ostendit, se illo convictum, at-
que argumentum ejus nullum, & responsione in ex-
cussione propositam, esse undequaque mancam, &
solum inane effugium.

Argumentum XL

194 „ R Evelationes dicunt, quod Simeon
„ qui Christum in suas ulnas accepit,
„ fuerit Summus Sacerdos. Sed hoc non benè con-
„ gruit cum modo loquendi Evangelistæ, dum ait: erat
„ homo in Ierusalem, cui nomen Simeon. Part. I. num.
„ 422. Part. II. num. 592. 600. 603.

„ B. Apologista docet, adhuc probabile esse,
„ quod Simeon fuerit Summus Sacerdos; sed proba-
„ bilem rationem præter Authores, fortè nixos sal-
„ tem mediatè Pseudo--Evangelio infra referendo,
„ nullam ex antiquitate adducit. Dein saltat ad alte-
„ ram opinionem, quod saltem fuerit aliquis inter
„ Principes Sacerdotum. Verum textus Agredanus
„ eum absolutè vocat Summum Sacerdotem, quem
„ titulum Deus in Scriptura nunquam tribuit ulli Sa-
„ cerdotum. Itaque alienum est à more Divino, sic
„ vocare unum ex principibus, & consequenter ve-
„ hemens oritur præsumptio, hanc revelationem non
„ esse à Deo.

DEFENSIO.

Verum est. Solos ferè Authores produc-
- 195 - co pro probanda sententia illa Agre-
dانا ; sed in hoc me malè agere haud arbitror. Ea
enim est controversia , quæ (ut prudentes nōrunt) fo-
la authoritate dirimi petit. Dum verò Scriptores,
quos allego , Amortius nixos fortè credit Pseudo-
Evangelio , injuriam ipsis facere videtur. Nam ut jam
in justa Defensione ex clarissimo P. Antonio Mayr de-
claravi , non potest sinè irreverentia p̄fsumi de au-
thoribus , seu antiquis , seu paulo recentioribus , quod
sua duntaxat ex apocryphis documentis hauserint : po-
tuerunt enim Scripta authentica , ex quibus sua ex-
cerperunt , intercidisse interea , aut potuerunt sua ha-
bere ex veridica ad ipsos usque devoluta traditione.
Igitur prius ostendat Criticus , Authores illos sua ex
solo Pseudo-Evangelio habuisse , quām ipsis hoc im-
pingat , quod tamen mihi non poterit efficere.

Saltat quidem sæpius Adversarius ad talia , quæ
minimè ad causam Agredanam faciunt , & transilit
plura ; sed me hic non saltasse extra orbitam , exinde
colligitur , quia Revelationes Agredanæ adhuc subsi-
stunt , etiamsi Simeon non fuerit omnino Summus
Sacerdos , sed unius ex Primoribus , ac Principibus
Sacerdotum , qui & ipsi phrasí Evangelica Summi Sa-
cerdotes appellari solent , sic qui apud Mathæum 26.
v. 3. & v. 59. dicuntur *Principes Sacerdotum* , apud
Marcum 14. vocantur *Summi Sacerdotes* , ut v. 1. que-
rebant *Summi Sacerdotes* , & *Scribæ &c.* v. 55. *Summi*
verò Sacerdotes , & *omne Concilium* : ubi sub nomine
Summorum Sacerdotum etiam *Primores* , ac *Principes*
Sacerdotum veniunt. Unde patet , quām peregrinus
sit

sit Criticus in Sacra Scriptura, & Historia Evangelica, dum affirmat, à more Divino, & S. Scripturæ alienum esse, nomine Sacerdotis Summi vocari aliquem ex Principibus Sacerdotum, cùm tamen clare in S. Scriptura ita appellantur omnes Principes Sacerdotum. Ex his.

Infero, Simeonem à Ven. Scriptrice recte dici Summum Sacerdotem, quia vel fuit omnino Summus, & Supremus inter omnes Sacerdotes, ut volueret aliqui à me in justa Defensione allegati, vel si prius non sit verum, quia fuit saltem unus ex Primoribus, & Principibus Sacerdotum, quo in sensu Silveyra dicit, esse veram, & communem sententiam, quod Si meon fuerit Sacerdos ex præstantissimis Aaronis filiis. Vide plura in just. Defens. pag. 435.

Argumentum XII.

196 ad. „ **R** Eyalationes dicunt, B. Virginem integrum septennio mansisse in Ægypto usque ad obitum Herodis; sed hoc dici nequit, cùm ostendatur, Herodem obiisse statim primo, aut secundo anno post Nativitatem Christi; & quidem jam ante Æram vulgarem, anno Juliano 41. aut 42. Part. II. num. 669. 700. „ B. Apologista respondet; ad hoc jam esse responsum Part. III. Verum nec ibi demonstrationem circa Æram vulgarem esse, nec etiam novam meam demonstrationem posse in ulla ullius Historici, etiam Baronii, hypothesi Chronologica solvi, superius num. I. satis demonstratum est.

DEFENSIO.

HOC argumentum, & ejus responsonem jam excussi in prima Parte hujus opusculi, ubi placet videre.

Argumentum XIII.

197 „ **R** Evelationes afferunt, Pilatum scripsisse sententiam in Christum hac forma: *Ego Pontius Pilatus Praefectus inferioris Galilææ hic Hierosolymis à Romano Imperio constitutus anno ab orbe condito 5233. &c.* Sed hoc est falsum; quia hæc forma ferendi sententias est aliena à moribus Romanis Part. II. num. 1358.

„ B. Apologista remittit pro responso ad Partem I. P. Delrio, qui excusat Pilatum, quod secundus sit morem Hebræorum. Sed hujusmodi effugia in rebus historicis aniles nugæ sunt, utpote contraria moribus, & principiis Romanorum, & Hebræorum. Neque enim ipsimet Hebræi uspiam in Scriptura veteris, aut Novi Testamenti, aut in nullo Scriptore Judaico illorum temporum reperiuntur annos aëtorum numerâsse à creatione mundi, prout ostendi manifestè in Historia Controversia Agredanæ. Itaque hoc argumentum planè convincens est.

DEFENSIO.

QUOD apud Hebræos fuerit in usu numerare annos ab orbe condito, & simul, quod Pilatus in ferenda sententia adversus Christum se accommodarit mori Hebræorum, jam probavit Postulator Causæ Agredanæ, ut videre est in just. Defens. pag. 218. num. 88. cum ibi allatis fundamentis Criticus nihil opposuerit, ea manent in suo robore, quæ cit. loco legi poterunt.

Argumentum XIV.

198 „ **R**evelationes Part. III. num. 396. dicunt, quod S. Jacobus Major occi-
„ sus fuerit ex consilio Abjathar, qui illò anno erat
„ Summus Sacerdos. Cum autem illis temporibus nul-
„ lis fuerit Summus Sacerdos sub hoc nomine, id dici
„ nequit.

„ &. Apologista hoc loco ostendit, se neque in-
„ telligere Chronologiam, neque meum argumen-
„ tum convincens ductum ex Chronologia. Non ca-
„ pit, quomodo computatum à textu Agredano tem-
„ pus mortis S. Jacobi ad annum à Nativitate Christi
„ 41. retrotracto anno Nativitatis Dominicæ integrò
„ sexennio, quod suppono demonstratum, necessariò
„ etiam debeat retrotrahi sexennio mors S. Jacobi, in
„ qua tamen retrotractione non congruunt feriæ à
„ Revelationibus Agredanis assignatae. Itaque non
„ intellecto argumento etiam solutio nulla est.

DEFENSIO.

199. **C**riticus fraudem iterum in subsidium vocat, ut Defensionem meam, & suam corruptionem textus possit tegere, cum hanc excusare, & illam expugnare nequeat. Corruptionis textus Agredani in hoc consistit, quod Adversarius auctoriter audeat affirmare, S. Jacobum secundum Revelationes Agredanas esse martyriō affectum 35. post Christum natum anno, cum tamen Revelationes dicant, cum esse occisum anno à Nativitate Domini 41. Me autem benè intellexisse Critici argumentum, & Chronologiam Agredanam sequentia docent, quae ex mea justa Defensione pag. 438. repeto, & ibi ita sonant: „Hic primò infertur violentia Scriptis Agredanis, in quibus Part. 3. num. 401. legitur, quod S. Jacobus ultimum diem clauserit capite plexus anno à Nativitate Domini 41. non vero 35. Neque corruptionem ejusmodi Anti-Agredanus à se removet, dum in Controversia pag. 402. ait: „Jacobum passum esse post Nativitatem Christi anno 35. sensus horum verborum est, D. Jacobum passum esse post Nativitatem Christi anno Æra vulgaris 35. Nam primò Chronologia Agredana nunquam numerat annos juxta Æram Christi vulgararem, sed veram, ut Part. 3. dictum est. Secundò juxta Adversarium ideo mors S. Jacobi, quæ accidit anno vero Christi nati 41. incidit vi Chronologiae Agredanae in annum 35. quia Christus mortuus est anno Æra vulgaris 28. ut ait Adversarius hic in Controv. pag. jam cit. atque hoc aperte est contra Chronologiam Agredanam, ut dictum est Part. 3. Siquidem juxta Agredanum calculum Nativitas Christi non in annum

„ sextum , ut vult Adversarius pag. 202. sed in secun-
 „ dum , vel tertium ante Æram vulgarem incidit , &
 „ inde necessariò mors Christi , quæ secundùm Civita-
 „ tem Mysticam contigit anno Christi verò 34. in-
 „ choato , debet incurrere in annum Æræ vulgaris , vel
 „ 32. vel 31: ergo hic Adversarius Chronotaxin Agree-
 „ danam iterum corrupit , præsertim , quia secundùm
 „ Ven. Scriptricem Part. 3. num. 401. S. Jacobus
 „ Martyrio affectus est annis septem integris post mor-
 „ tem Christi : proinde anno 38. vel 39. Æræ vulga-
 „ ris , per consequens non anno 35. ejusdem , quæ
 „ omnia sequuntur ex dictis Part. 3. Passum autem
 „ esse S. Jacobum Abiatharo Summo Sacerdote con-
 „ citante turbas præter D. Antoninum Part. 1. Hist. tit.
 „ 6. cap. 7. etiam tenent Ribadeneira ad diem 25.
 „ Julii , ac Joannes Georgius Braun in vitis 12. Apo-
 „ stolorum .

Ad hæc itaque Anti-Agredanus respondeat. Sed ,
 ut video , hæret ei aqua ; unde adducit alia ad rem
 non pertinentia , quibus Lectorem avertat à mea De-
 fensione , nimis clarè falsationem ab ipso commissana
 perstringente. Ferias hic commemorat , quarum nec
 in observationibus , nec in controversia , proponens ,
 aut defendens suum hoc argumentum meminit. Ve-
 rūm quidquid etiam de feriis his sit , eas non rectè ap-
 plicari ab Adversario contra Chronologiam Agreda-
 nam capite 3. hujus Partis 3. ex P. Schivarz & mea
 justa Defensione diligidavi , sicut & mihi certum est ,
 quod suis demonstrationibus utut jactatis nihil osten-
 dat aliud , quam plures falsitates & contradictiones in
 re Chronologica admisſas .

Sunt adhuc alia , quæ occasione hujus argumenti
 tueri debui , uti auctoritatem S. Antonini ab Adversario
 invasam , quæ præterit Adversarius , pondus eorum
 sen-

sentiens. Hinc taceo & ego, sed Lectorem remitto ad justam Defensionem, in qua pag. 438. & seq. videlicet à me esse omnino penetratum argumentum Critici, & meam integrum Defensionem adhuc Adversario solvenitam esse.

Argumentum XV.

Revelationes Par.3. num. 445. dicunt, quod Templum Dianæ à B. Virgine ope Angeli unica nocte solo æquatum, ac dein ab Ephesinis aliud novum ædificatum sit. Sed hoc non potest dici, cum omnes Historici de illa destructione ac reædificatione silent, ac D. Paulus decennio circiter post illam prætensam destructionem adhuc vetus templum repererit, & Plinius adhuc suo tempore veteris templi magnificentiam, ut etiamnum præsentem describat.

¶ Apologista conatur hoc loco defendere lepidissimam fabulam de destructione templi Ephesinis contrarium enim legenti *Históriam Controversiæ* non potest non videri demonstratum. Addo, etiam hoc miraculum pertinere ad classem illorum, de quibus agitur in Pseudo-Evangelio *de Infantia Iesu*.

DEFENSIO.

Cum Adversarius hujus argumenti inferius pag. 74. sui opusculi memoriam sat festivam faciat, id evidentiæ prærogativa honorans, illuc differendum est examen. De Pseudo-Evangelio objecto ad calcem in Appendix tractabitur prolixius: ubi etiam satisfiet Argumento XVI. ita sonanti: „Revelationes dicunt, intrante B. Virgine cum Iesu in Aegyptum fermè om-

„ nia Idola, & Templa Ægypti corruisse. Sed hoc ne.
 „ quit dici; cùm id temporis inventa fuerint varia
 „ Templa Ægypti. Part.II. num. 644. 649. 650. 654.
 „ 666.

„ R. Apologista hoc loco juvatur à Pseudo-Evan-
 „ gelio de *Infantia Iesu* inferius adducendo. Similes
 „ fontes, similis manet corona. Hæc Criticus, quæ
 ad finem opusculi discutientur. Interea hoc notet Ad-
 versarius, me non fuisse adjutum in justa Defensione
 Revelationum Agredanarum à Pseudo-Evangelio, bene
 à S. Scriptura, PP. & Scriptoribus peritissimis; his
 respondeat. Noverit enim me non delectari fontibus
 impuris, sicut ipsum, qui ex heterodoxis Oudino, &
 Caveo suam eruditionem haurire saepius non fuit ve-
 ritus; quam coronam idcirco mereatur, judicent
 illi, quorum interest. De ruina Idolorum, & Tem-
 plorum in Ægypto facta, intrantibus eam JESU, &
 MARIA egi, adductis probatissimis testimoniis pag.
 812. just. Def. Videantur etiam pag. 443. & seq. ejus-
 dem just. Defens. ad quæ Criticus nihil scit reponere,
 quæcum unum Pseudo-Evangelium, ad quod tamen Re-
 velationes Agredanæ nunquam respiciunt, ut ad finem
 præsentis opusculi declaratur,

ARTICULUS IV.

EXCUTITUR ARGUMENTUM negativum Critici.

§. I.

EXPENDITUR RESPONSIO ANTI-

*Agredani reposita meis dictis in Defensione
justa à pag. 446.*

201 **C**riticus in sua nova (sic vocata) De-
monstratione pag. 65. ait:

ARGUMENTUM

EX UNIVERSALI SILENTIO

*Scriptorum Veterum, & ex oppositione ad
circumstantias aliunde certas.*

„ **I**N Revelationibus Agredanis multa narrantur,
 „ quæ sunt moraliter incompossibilia cum silentio
 „ universali omnium Scriptorum, aut cum circumstan-
 „ tiis aliunde certis. Illa autem voco moraliter incom-
 „ possibilia, quæ nunquam aut ferè nunquam solent con-
 „ jungi. Sic juxta leges contingentium nunquam so-
 „ lent conjungi, v. g. clades integri exercitus centum.
 „ millium, mors Imperatoris, graffatio novarum sectarum,
 „ &c. & silentium universale omnium Novellistarum,
 „ aut Scriptorum historicorum in toto mundo. Eo-

„ dem ergo modo assero , esse moraliter incompositum
 „ silentium universale Evangelistarum , præsertim
 „ D. Lucæ in Actis Apostolorum , & omnium aliorum
 „ Scriptorum veterum cum rebus , quæ in Revelatio-
 „ nibus Agredanis recensentur.

„ Bz. Apologista respondet ; in primis varios tex-
 „ tus à me allegatos aliter reperiri in textu Hispanico,
 „ immò etiam in versionibus. Secundò respondet , ea
 „ omnia , quæ à me tanquam incredibilia proponuntur
 „ propter silentium authorum coævorum , vel proximi
 „ mè coævorum , re ipsa tamen esse possibilia , adeo
 „ que ea , licet alioquin prorsus extraordinaria vi-
 „ deantur , credibilia fieri propter authoritatem atte-
 „ stantis , nempe Ven. Mariæ de Agreda , quæ testatur ,
 „ se ea accepisse à Deo. Ita quoad rem Apologista à
 „ fol. 430. usque ad fol. 496. discutrit.

„ Ad hanc respcionem tria repono. Primò , me
 „ hoc loco textus Agredanos adducturum , prout ab
 „ ipsis metu Agredanis fuere adducti juxta exemplaria
 „ hispanica. Secundò , me præmissurum exactam no-
 „ tionem , seu definitionem hujus termini , incredibile
 „ dictum , aut factum. Tertiò , me subsequentibus ostendit
 „ surum , ab Agredanis Romæ needum probatum , aut
 „ persuasum fuisse , authoritatem Ven. Mariæ de Agre-
 „ da circa Revelationes ipsi assertas certam esse. Sit
 „ itaque

„ Primò. Illud dictum , aut factum incredibile est ,
 „ quod ex una parte repugnat dispositioni causarum
 „ naturalium , humanarum , vel divinarum ; ex altera
 „ vero parte caret teste , & exemplo consimili aliunde
 „ certo. Hinc

„ i. Incredibilia sunt illa miracula , quæ ex una
 „ parte videntur repugnare Sapientiae divinæ nullo
 „ apparente fine prudenter intendibili ; ex altera vero
 „ par-

„ parte carent teste , ac exemplo consimili aliunde
 „ certo. Talia miracula voco otiosa. *Dixi*, quæ viden-
 „ tur repugnare *nullo* apparente fine. Quamvis enim
 „ Deus habere possit fines homini imperscrutabiles, ubi
 „ tamen nullus ab homine invenitur finis prudenter
 „ intendibilis , nisi de ipso facto constet per testem
 „ certum , vel exemplum consimile , ejusmodi factum
 „ dicitur incredibile.

„ 2. Illa miracula sunt incredibilia , quæ ex una
 „ parte videntur repugnare moribus divinis , ex altera
 „ verò parte carent apparente in contrarium teste ac
 „ exemplo consimili aliunde certo. *Dixi* , quæ viden-
 „ tur repugnare *moribus divinis* , hoc est , decretis divi-
 „ nis præstabilitis; ac principiis à Deo receptis circa
 „ modum operandi , tām ordinariū , quam extraor-
 „ dinariū ex sacra historia certum. Nam , ubi nec
 „ in operationibus Dei ordinariis , nec in illis ejus
 „ operationibus extraordinariis circa eadem subjecta
 „ ex traditione , vel ex historiis aliunde certis habetur
 „ exempli , illud tanquam alienum à propensione
 „ voluntatis divinæ est præsumendum , & tanquam
 „ incredibile habendum est , nisi probetur teste , vel
 „ exemplo consimili certo.

„ 3. Illa acta humana incredibilia sunt , quæ ex una
 „ parte repugnant , tām ordinario , quam extraordina-
 „ rio cursui rerum humanarum , ex altera verò parte
 „ carent teste ac exemplo consimili aliunde certo. Sic
 „ si quis diceret , in Hispaniam , vel Moscoviam irripis-
 „ se inopinatō centum millia Turcarum *nullo* re-
 „ perto Novellista , historico , aut teste , id merito di-
 „ ceretur incredibile. Idem diceretur , si quis scriberet ,
 „ in terris incognitis australibus reperiri homines mo-
 „ noculos in fronte , aut unipedes celerrimè curren-
 „ tes , vel gigantæum genus altitudinis decim ulnarum ,

„ meritò id diceretur incredibile , nullo comparente
 „ teste, aut exemplo consimili. Hinc

„ 4. Ea facta in rebus naturalibus tanquam incre-
 „ dibilia habenda sunt, quæ ex una parte repugnant
 „ dispositioni , tām ordinariæ, quām extraordinariæ
 „ causarum naturalium aliunde certæ , ex altera verò
 „ parte carent teste ac exemplo consimili aliunde cer-
 „ to. Res patet ex adducto exemplo. Hac definitione
 „ præmissa subiungo &c. Hæc D. Amort, qui, ut se-
 „ quens docet

DEFENSIO

202 **P**artim vera studiosè transit , partim fal-
 sa adducit. Veritatem , qua nimis pre-
 mitur , præterit, dum nec mentionem facit à me dicto-
 rum in justa Defensione Part.4. Art.3. §.1. ubi exami-
 navi argumentum negativum, ostendique illud in præ-
 senti materia , qua agitur de Mysteriis ac miraculis vi-
 tæ B. Virginis nihil obstare Revelationibus Agreda-
 nis. Adduxi ibi conditiones quatuor argumenti hujus
 ex silentio veterum petiti , quas etiam solidè contra
 Amortium non satis modestè loquentem, ex ipsius
 placitis , & assertis SS. D. N. BENEDICTI deduxi , &
 comprobavi. Ad hæc ominia Criticus tacet , & tacen-
 do se convictum esse fatetur ; nam si vel minimum
 quid ei in promptu esset, quod posset reponere meæ
 Defensioni , hanc omittet, ut palam est legenti ejus
 Scripta Anti-Agredana. Interea actum ipsum agere
 affirmo , ni argumentum negativum , & silentium ve-
 terum, in quo tota moles sequentium hoc integro ar-
 ticulo contentarum observationum , seu argumento-
 rum quiescit , adversus me firmet , & objectas à me
 difficultates , ac sua ipsissima asserta , quibus meam de-

argumento negativo, hic nihil probante, dissertatio-
nem munivi, dissolvat. Videat Marianus Lector pag.
446. & seq. meæ justæ Defensionis, & rideat inanes
crises Anti-Agredani. Non juvat eas hic repetere, ne
verba sine necessitate multiplicentur.

203 Hactenus de veritate occultata, nunc de fal-
sitate admissa ab Adversario, sermo erit. Antequam
autem id præstem, breviter duo præmitto. Primum
est, quòd Criticus, quomodocunque textus Agreda-
nos allegaverit, nullatenus expuncturus sit, vel unam
ipsi à me imputatam corruptionem sensus, aut textus
Agredani, prout constabit. Secundum est, quòd Agre-
dani, dum Revelationum asserta, & sententias defen-
dunt tanquam probabiles, non petant authoritatem
V. Mariae de Agreda esse certam, saltem in hunc si-
nem, ut & ipsæ Revelationes tanquam certæ credan-
tur; nam eorum intento sufficit, Revelationes esse
probabiles, seu nihil complecti, quod bonis moribus,
aut doctrinæ fidei &c. repugnat. Unde sequitur, Cri-
ticum iterum suis dictis facere saltum extra orbitam.
His strictim indicatis unum, & alterum falsum excu-
tiendum assumo.

Præprimis inter falsa numero, quòd omnia mea
responsa data à fol. 430. justæ Defensionis usque ad
folium 496. concludantur his paucis lineis: Secundo
respondet, ea omnia, quæ à me tanquam incredibilia propon-
nuntur propter silentium Authorum coævorum, vel proxime
coævorum, re ipsa tamen esse possibilia, adeoque ea credibi-
lia fieri propter authoritatem attestantis, nempe Ven. Ma-
ria de Agreda, quæ testatur, se ea accepisse à Deo. Quis
enim non videt, Criticum falsum dicere? volvat be-
nevolus Lector illas paginas meæ justæ Defensionis, &
longè alia reperiet momenta ex ratione, & authorita-
te gravissimorum virorum de prompta, quam illa sunt,

quorum meminit Criticus. Relata illis paginis certe non in sola possibilitate, & authoritate dicentis Ven. Mariæ de Agreda fundavi, prout tamen mihi affingit Criticus.

204 Deinde à veritate multum abludit Amortius, dum ait, se dare exactam notionem, seu definitionem hujus termini, *incredibile dictum, aut factum.* Quippe tota notio variis terminis ferè idem significantibus proposita consistit in hoc, quod incredibilia sint, quæ ex una parte carent teste, ac exemplo consimili aliunde certo, & ex altera parte repugnant dispositioni causarum naturalium, & humanarum, vel Divinarum, aut (quod idem significat) dispositioni tam ordinariæ, quam extraordinariæ causarum naturalium aliunde certæ, aut (quod iterum idem est ac prius) ordinario, & extraordinario cursu rerum humanarum, vel Sapientiæ Divinæ nullo apparente fine prudenter intendibili, aut moribus Divinis, hoc est, Decretis Divinis præstabilitis, ac principiis à Deo receptis circa modum operandi, tam ordinarium, quam extraordinarium ex S. Historia certum.

Jam verò cum Amortius hanc notionem opponat Revelationibus Agredanis, affirmat, vel supponit falsum. Supponit enim in illis asserta & miracula repugnantia moribus, & Sapientiæ Divinæ, ac contraria dispositioni causarum etiam extraordinariæ, absque ullo fine apparente prudenter intendibili.

Non diffiteor, varia magnalia in Civitate Mystica prædicari, sed de illa, cui fecit Magna, qui potens est. Extraordinaria leguntur facta & miracula in Scriptis Agredanis, sed tribuntur ei, quam Deus supra omnes puras creaturas extraordinariè voluit evehēt, & singularissimis donis esse exornatam. Unde finis sanè prudentissimus omnium rectè videntium, & intelli-

gentium oculis evidenter sese insinuat, nempe mirabilis planè, ac finè exemplo maxima Dignitas, Sanctitasque Deiparæ, à Deo supra modum & captum nostrum factis quoque miraculosis honorata, ut merito exclamat D. Chrysostomus, ut legimus in Officio Divino die 5. infra Octavam Nativit. B. Virginis Mariæ: *magnum revera miraculum fuit semper B. Virgo Maria.* Atque adeo moribus Divinis, & principiis, ac Decreto Maternitatis Divinæ præstabilito dona, & prærogativæ in Civitate Mystica memoratæ, licet extraordinariæ, & maximæ videantur, omnino congruunt, neque dignitatem amplissimam Virgineæ Matris, quæ ipsum Omnipotenteim Deum genuit, excedunt.

205 Confirmo hæc adductis jam in justa Defensione pag. 584. verbis censuræ Facultatis Theologicæ florentissimæ Universitatis Tolosanæ, quæ ita sonant:

„ Non disconvenimus, quin in hoc compendio (Civitatis Mysticæ) sint nova quædam facta, quæ nondum audieramus, & revelationes extraordinariæ, quæ ultra omnia, quæ hucusque credidimus, se extendent, sed neque in his factis, neque in istis extraordinariis revelationibus quidquam fidei principiis, aut bonis moribus repugnans videmus. Nil itidem, quod Mariæ magnitudinem superet, quodque non perfectissimè concordet ideæ generali, ac implicitæ, quam de Dei Matris excellentia concipiimus, quam SS. PP. incomprehensibilem vocant, & Ecclesia singularissimam, ac super omnes creaturas specialissimis, altissimisque privilegiis ornatam semper aspergit; ita ut opus istud bene consideratum, nil aliud aucturum sit, quam generalem & confusam illam ideam explicare, quo distinctius, & in speciali per partes inspiciamus ea, quæ confusè & in generali totum simul conspicimus: nimirum vitæ nor-

„ mam Dei Genitricis planè divinam , ac stupenda mis-
 „ rabilia , quæ in ea Domino placuit operari. Paucula
 ista dicta , & alia plura in approbationibus reliquis
 Sapientissimorum Censorum , quorum examen Civi-
 tas Mystica sustinuit , prolixè contenta , ostendunt nul-
 lius valoris , & veritatis esse totum suppositum , quod
 de Revelationibus Agredanis concipit Anti-Agreda-
 nus.

206 Dein frustra est Criticus , dum cunctas in Re-
 velationibus propositas novas , & antea inauditatas asser-
 tiones teste certo , vel consimili exemplo pariter certo
 jubet esse comprobatas. Ad quid enim certitudo re-
 quiritur , ubi probabilitas sufficit ? Profectò in Theo-
 logia Scholastica à peritissimis Theologis , ut D. Tho-
 ma , S. Bonaventura , Suario , Herinex , & aliis multa
 de Mysteriis Vitæ Christi , & Deiparæ ex probabilibus
 solum rationibus inferantur , & affirmantur : car er-
 go quid amplius requiritur in Revelationibus priva-
 tis , quæ haud aliter , ac alii libri approbari solent , ut
 jam saepius ex SS. P. N. BENEDICTO XIV. Eminen-
 tissimo Turrecremata , & aliis est relatum ? Adde ,
 exemplum consimile gratis exigi in explicandis præro-
 gativis illius , quæ *sine exemplo Magna est* , ac Angelos ,
 hominesque transcendent omnes , Cœli , Terræque
 Regina Augustissima ; licet non negaverim in pluri-
 bus non deesse exempla favorum aliis Sanctis quoque
 collatorum , ex quibus argumentum , ut appellamus ,
 à minori ad majus desumunt Agredani , prout in eo-
 rum vindiciis passim legitur. Quo in punto illis præ-
 luxit Christophorus de Castro , qui in Præfatione ad
 Historiam Deiparæ sub finem ita scribit : *Si fatendun-
 est quam plurima , quæ de Beata Virgine Maria referun-
 tur , & de aliis Sanctis narrari , cur quæso , quæ in alio-
 rum gratiam Sanctorum fecit DEUS , in Matris suæ gra-
 tiam*

tiam fecisse negabimus? nisi quis temerè sibi persuadeat, majoris estimasse Patrem servos, quam filium, aut filium famulos pluris habuisse, quam Matrem. Quod ergo Ministris largitus est, matri filius non fuisset largitus liberalius? Quod vel paucis mortalium, ait rectè Sanctus Bernardus, constat fuisse collatum, fas certè non est suspicari, tantè Virgini esse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam.

207 Nec prætermittenda sunt, quæ in Defens. just. pag. 449. & seq. dixi. Declaravi ibi, quòd saltem in genere, & implicitè omnia, quæ in Civitate Myistica B. Virginis tribuuntur, attingantur ab Evangelistis. Ostendi eodem loco, quam absurdæ sequelæ ex doctrina Amortiana fol. 420. Controv. proposita fluant. Pariter ex V. Beda, Petro Cellensi, Revelationibus Birgittanis, & S. Magdalena de Pazzis docui, non omnia esse Scripta, quæ à SS. Virgine & Matre Dei sunt gesta; imò fuisse motivum non contemendum, quod Evangelistas & alios Hagiographos coævos B. Virginis ab ejus vita, & gestis exactius conscribendis absterruit: quæ proin licet nullo scripto certo testimonio probari queant, tamen à Deo privatim revelari possunt piæ cuidam animæ. Quid enim obstat, quô minus hoc fieri possit? Fortè Amortius suis cribis impediet Deum, ne Scientiæ Cœlestis arcana, quæ abscondit sapientibus & prudentibus hujus mundi, revelet parvulis suis? Verum ista ex citato & aliis justæ Defensionis meæ locis abundè erui possunt. Exempla, & similitudines Critici multùm claudicant; non enim Hagiographi cum Novellarum conyasa toribus, qui pagellas suis non raro pluribus falsis relationibüs implent, in comparationem veniunt. Adhæc vel illi Novellarum conyasa tores, & alii Historici habent speciale motivum non consignandi litteris aliquæ

qua facta , vel non habent? si non habent , non est paritas inter istos , & Evangelistas , qui ex peculiari motivo pleraque facta B. Virginis , & quidem etiam eximia , ut ejus Immaculatam Conceptionem , Nativitatem ut Sanctam , Præsentationem in Templo , Assumptionem in Coelum , & alia ejusmodi plura explicitè nōn scripsere. Si verò & alii Historici , aut Scriptores motivo quodam gravi ducti abstinerent à conscriptione alicujus v. g. cladis &c. ex eorum silentio pessimè negaretur tale factum , aut clades. Idem cum proportione in proposito dicendum. Videatur tantum pag. 449. just. Defens.

Cæterùm Agredanos non prætendere , quòd authoritas Ven. Mariæ de Agreda sit certa , & inde etiam Revelationes Agredanæ sint certæ , nōrunt omnes , qui vindicias ab illis editas lustrarunt , utpote in quibus sola adstruitur & defenditur probabilitas , & pia credibilitas Revelationum earundem , sive hæc petatur ex Persona , cui factæ referuntur Revelationes , sive ex objecto , quod pertractant. Videatur tantum Pars V. just. Defens. art. ult. & §. ult. & patebit , quod modo dixi.

§. II.

RECENSENTUR AB ADVERSARIO
*argumenta , quæ ipsi videntur
 incredibilia.*

208 **R** Elatis superiore Paragrapho dictis , & discursui suo subdit Criticus : „ Hac „ definitione præmissâ subjingo miracula & facta , „ quæ in Revelationibus Agredanis enarrantur incredibilia .

„ 1. Quando B. Virgo fuit in templo præsentata,
 „ ipsa sola tum agnovit, à Deo se admitti ac recipi, vocem
 „ que è divino quodam fulgore templum cullustrante profe-
 „ etam audivit sibi dicentem: *Veni sponsa mea*&c. Part.

„ 1. num. 421.

„ 2. B. Virgo post præsentationem in templo duo-
 „ decim suos Angelos assata dixit: *Vos, Legati mei, oro,*
 „ *si facultatem Deus concedat, eatis, parentibus meis in*
 „ *afflictione ac solitudine, quam patiuntur, solatum inge-*
 „ *fluri. Mox Seraphinis lateri ejus assilientibus precepit*
 „ *Deus, sanctissimam ipsius animam collustrarent, ac præ-*
 „ *pararent. Illico secutum lumen quoddam, ac qualitas di-*
 „ *vina, potentias perficiens. Dispositione hac præmissa uni-*
 „ *versis angelis suis slipata infans divina, & nubecula ful-*
 „ *gida amicta in cœlum empyreum corpore, & anima eve-*
 „ *cta fuit, ibique à SS. Triade excepta. Part. 1. num. 428.*

„ 429.

„ 3. Quando despontabatur S. Josepho, Summus
 „ Sacerdos in plenario concilio sacerdotum congrega-
 „ vit omnes juvenes ac masculos solutos ex Tribu
 „ Juda, quorum singulis tradidit ramum aridum: tunc
 „ florere coepit solus ramus S. Josephi. Part. 1. num.

„ 752. 753.

„ 4. Multi ex solo aspectu B. Virginis converteban-
 „ tur, & omnes ex ejus præsentia siebant perfectiores.
 „ Part. 2. num. 1. 2.

„ 5. In itinere, quando visitabat S. Elisabetham,
 „ invisebat, & sanabat ægros. Part. 2. num. 207.

„ 6. Reddidit Zachariæ usum linguae. Part. 2. num.
 „ 291.

„ 7. In Ægypto circumibat in pagis, & patrabat
 „ multa miracula; ejiciebat demones ex idolis, &
 „ corporibus. Part. 2. num. 646.

„ 8. In Ægypto folia & fructus illius arboris,
 „ quæ

,, quæ se inclinavit , sanârunt morbos. Part. 2. num.
,, 647.

,, 9. In Ægypto Heliopoli patravit multa miracu-
,, la. Part. 2. num. 654. ea tot erant, ut essent descri-
,, benda integris libris. ib. num. 666. 667.

,, 10. In Ægypto docebat populum , tenendo Je-
,, sulum in brachiis. Doctrinam confirmabat miracu-
,, lis ; saepe ibat in Hospitalia , & sanabat ægros. ib.
,, num. 667. 668. 669.

,, 11. Exorta peste ex tota Provincia concurrebat
,, ad eam magna multitudo. Omnes redibant recepta
,, sanitatem animæ & corporis. Part. 2. num. 670.

,, 12. Numerus animarum, quas sanctificavit, ægro-
,, rum , quos sanavit , & miraculorum , quæ patravit
,, per illud septennium in Ægypto, non potest compre-
,, hendи. Part. 2. num. 700.

,, 13. Quando Jesus duodennis rediit ex templo in
,, Nazareth , ipse & B. Virgo sanabat multos ægros.
,, Part. 2. num. 769.

,, 14. Christus comitante B. Virgine , per tres an-
,, nos ante suum baptismum circumibat vicina loca
,, usque ad tribum Nephtali , & instruebat homines de
,, adventu Messiae. B. Virgo adhortationes suas tunc
,, potissimum habuit ad foeminas. Miracula tunc in
,, hoc itinere à B. Virgine patrata sunt. Part. 2. num.
,, 927. (quamvis non ita publica ut dein).

,, 15. Innumera sunt miracula, quæ B. Virgo tunc
,, patravit tempore prædicationis Christi ; illuminabat
,, cœcos , sanabat ægros &c. Evangelista propterea
,, meminit tantum miraculorum Christi , quia voluit
,, tantum adducere ea miracula , quæ sufficiebant ad
,, stabiliendam fidem. Erant innumerabiles mulieres,
,, quæ à B. Virgine ad agnitionem Christi , & ad per-
,, fectionem Evangeli adducti sunt. Part. 2. num. 1048.

„ 16. Fideles fere omnes concurrebant ad B. Virginem, & congratulantes confitebantur, eam esse Matrem Messiae. Part. 2. num. 1058.

„ 17. B. Virgo fere semper comitabatur filium tempore prædicationis, nisi iis temporibus, quibus in comitatu S. Joannis operabatur conversiones & miracula. Part. 2. num. 1108.

„ 18. Ante Ascensionem Christi in cœlum Christus B. Virginis dixit: *Mater mea dilectissima; ego jam ad Patrem meum vado; meum autem in locum te confituo, ac Ecclesia mea curam tibi impono, ejus filios, fratres meos tibi commando, sicuti ipse Pater mihi eosdem commisit.* Part. 2. num. 1501.

„ 19. Quando Christus in cœlos ascendit, tollit etiam secum suam SS. Matrem, & ibi ad dexteram sui filii collocatur. Part. 2. num. 1509. 1510. 1511. 1512. Et Part. 3. num. 118. V. Maria de Agreda sic scribit: *Re ricere non sustineo illas prærogativas, quibus magna Regina nostra aucta fuit a potenti dextera filii sui ex tunc, quando ab eodem iterum ad regimen Ecclesiæ descendit.*

„ 20. B. Virgo post reditum suum ē cœlo expicit Apostolis mysterium Trinitatis, & unionis Hystoriarum, & alia fidei Dogmata. Part. 3. num. 48.

„ 21. De miraculis, quæ B. Virgo operata est in primitiva Ecclesia, nec minima pars describi potest. Part. 3. num. 87.

„ 22. Donum miraculorum collatum fuit (tempore adventus Spiritus S.) etiam foeminis; nam & ipsæ tunc impositione manum contulerunt ægris sanitatem, cœcis visum, mutis loquelas, claudis gressum, mortuis vitam. Part. 3. num. 83.

„ 23. B. Virgo determinavit omnes controversias in Ecclesia, v.g. an in posterum sit baptismus Joan-

- „ nis administrandus , an verò Christi ? Part. 3. num.
 „ 101. Quomodo sint administranda bona tempora-
 „ lia , num. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159. 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192. 193. 194. 195. 196. 197. 198. 199. 200. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. 226. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235. 236. 237. 238. 239. 240. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 249. 250. 251. 252. 253. 254. 255. 256. 257. 258. 259. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 266. 267. 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. 275. 276. 277. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 287. 288. 289. 290. 291. 292. 293. 294. 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318. 319. 320. 321. 322. 323. 324. 325. 326. 327. 328. 329. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 351. 352. 353. 354. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 362. 363. 364. 365. 366. 367. 368. 369. 370. 371. 372. 373. 374. 375. 376. 377. 378. 379. 380. 381. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 389. 390. 391. 392. 393. 394. 395. 396. 397. 398. 399. 400. 401. 402. 403. 404. 405. 406. 407. 408. 409. 410. 411. 412. 413. 414. 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. 422. 423. 424. 425. 426. 427. 428. 429. 430. 431. 432. 433. 434. 435. 436. 437. 438. 439. 440. 441. 442. 443. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 450. 451. 452. 453. 454. 455. 456. 457. 458. 459. 460. 461. 462. 463. 464. 465. 466. 467. 468. 469. 470. 471. 472. 473. 474. 475. 476. 477. 478. 479. 480. 481. 482. 483. 484. 485. 486. 487. 488. 489. 490. 491. 492. 493. 494. 495. 496. 497. 498. 499. 500. 501. 502. 503. 504. 505. 506. 507. 508. 509. 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519. 520. 521. 522. 523. 524. 525. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. 533. 534. 535. 536. 537. 538. 539. 540. 541. 542. 543. 544. 545. 546. 547. 548. 549. 550. 551. 552. 553. 554. 555. 556. 557. 558. 559. 559. 560. 561. &c.

„ 32. Ordinavit Apostolis eandem formam vestium,
 „ easque ipsamet confecit adjuvantibus Angelis. Part.3.
 „ num. 566.

„ 33. Nullus transibat dies, aut nox, quibus non
 „ operata est varia miracula in bonum Apostolorum,
 „ & Ecclesiæ. Part.3. num. 567.

„ 34. Sæpè Apostolis apparuit, & tractavit cum
 „ ipsis de variis negotiis Ecclesiæ, præsertim de insti-
 „ tuendis festis. Sic ex ejus ordinatione instituta sunt
 „ festa Nativitatis, Passionis, & Coenæ Domini, Af-
 „ censio, Pentecoste, & Cæremoniæ Ecclesiasticæ. Part.
 „ 3. num. 568.

„ 35. Si conscriberentur omnia miracula, quæ
 „ operata est in gubernatione Apostolorum, & Eccle-
 „ siæ, pluribus libris optis foret, quam continentur
 „ linea in hac historia. Part.3. num. 571. (continen-
 „ tur autem in hac historia ad minimum 6400. li-
 „ neæ.)

„ 36. Tribus annis ante ejus obitum tota natura
 „ cœpit demonstrare suum luctum; cœli, stellæ, pla-
 „ netæ incepérunt deperdere multum pulchritudinis, &
 „ splendoris, sicut minuitur dies ingruente nocte. Aves
 „ duobus ultimis annis circumvolitantes ejus cubicu-
 „ lum, edebant lugubres voces. Part.3. num. 705. Si-
 „ milem luctum dederunt feræ, nam cum semel visi-
 „ taret loca sancta, ad eam concurrerunt multæ feræ
 „ ex sylvis & montibus. Sex ultimis mensibus sol, lu-
 „ na, & stellæ lucebant minori lumine, quam haëc-
 „ nus consueverunt. In die vero obitus totaliter obscu-
 „ rabantur. Et quamvis multi viri docti hanc muta-
 „ tionem in cœlo observaverint, causa tamen iis erat
 „ incognita. Apostoli tamen, & Discipuli, qui inter-
 „ fuerunt ejus morti, causam agnoverunt. Part.3. num.
 „ 706.

- „ 37. Ex eo tempore fideles osculabantur terram,
„ ubi vestigia posuit. Part.3. num.707.
- „ 38. Duobus ultimis annis omnibus ægris , &
„ miseris ad se venientibus contulit sanitatem animæ,
„ & corporis. Part.3. num.709.
- „ 39. Quotiescumque communicabat , circumda-
„ batur miro splendore omnibus id videntibus. Part.
„ 3. num.718.
- „ 40. In articulo mortis illius cœlestis odor , &
„ angelica musica , diffundebatur etiam in plateam.
„ Cœnaculum replebatur splendore , quem omnes vi-
„ derunt. In testimonium hujus miraculi factus est
„ magnus concursus populi in plateis Hierosolymæ.
„ Part.3. num.740.
- „ 41. In hac morte sol aliquot horis obscuratus
„ fuit in testimonium luctus ; omnes ægri advenien-
„ tes retulerunt sanitatem ; & tres personæ eo momen-
„ to Hierosolymis in peccato mortuæ redierunt ad vi-
„ tain , & poenitentiam. Part.3. num.743.
- „ 42. Ad sepulturam convenerunt non solum fi-
„ deles , qui portabant candelas accensas , quarum
„ nulla per illud triduum , vel minimum consumeba-
„ tur , sed etiam reliqui omnes incolæ Hierosolymæ,
„ vix ullo etiam gentilium excepto. Mille Angeli præ-
„ cedebant canentes , quorum musica audiebatur ab
„ Apostolis, & Discipulis , & multis aliis. Part.3. num.
„ 752.
- „ 43. In via ad sepulchrum contigerunt multa mi-
„ racula ; omnes ægri , quorum convenerat magna
„ multitudo , sanabantur. Part.3. num.753.
- „ 44. Ad illius tumulum per integrum annum
„ permanxit suavissimus odor ; in cœnaculo autem
„ mansit multis annis. Part.3. num.754.
- „ 45. Decretum fuit ab Apostolis , quando con-
„ di-

diderunt symbolum , ut B. Virgo vocaretur *Mater Dei*. Ab aliis fidelibus vocabatur communiter *Maria à Iesu. Maria à Iesu Nazareno. Maria filia Joachimi & Annae.* Part.3. num.459. Ista habet Criticus à pag.68. usque ad 72.

DEFENSIO.

209

CUM Anti-Agredanus tantum argumen-
ta proferat omissis meis responsioni-
bus & solutionibus, quas ad illa in justa Defens. à pag.
451. usque ad 496. reddidi , nihil agere , immò se vi-
ctum,& convictum fateri videtur. Si ergo debitè con-
futare intendit meam Defensionem crisibus suis oppo-
sitam , eam candidè per singula puncta referat , & so-
lidè refellat , quod modò non audet facere. Dum verò
intacta mea asserta relinquit , ea in suo robore persiste-
re existimo , nec aliis novis rationibus confirmo , cùm
primæ nondum impugnatæ , multò minus expugnatæ
sint. Affert quidem D. Amort aliquoties diserta verba
Ven. Scriptricis ; per illa tamen imputatas à me cor-
ruptiones textus, aut sensus Agredani delet minimè , ut
liquidum est cuivis revolenti citatas paginas justæ De-
fensionis. Aliqua quoque ex iis punctis , quæ ab Ad-
versario inter incredibilia rejiciuntur , ampla eruditio-
ne illustrantur apud Christophorum Castro in *Historia*
Deiparae veterum Patrum testimoniiis comprobata, accuratè-
que discussa. Quam si conferre lubet cum Civitate Mysti-
ca , apparebit , plura quæ Amortio incredibilia viden-
tur , jam fuisse credita , & affirmata ab antiquis Patri-
bus , & Scriptoribus. Inter hæc etiam est Historia Def-
ensionis Virginis Sanctissimæ cum S. Josepho , de
qua etiam satis egi Part.2. hujus opusculi, seu continua-
tionis justæ Defensionis num.45.

§. III.

REFERUNTUR ALIA DICTA ANTI-
Agredani hoc spectantia.

210 **P**ergit Criticus pag. 72. suæ novæ (sic appellatæ) Demonstrationis ita scribens: „ Alia exempla Revelationum Agredanarum, „ quæ partim ex silentio Scriptorum veterum, partim „ ex aliis rationibus impugnantur.

„ 1. In Nativitate Christi meliorabantur omnes „ influxus planetarum; sol accelerabat suum cursum; „ stellæ clariūs splendebant; multæ arbores proferebant flores & fructus. Aliquot templo idolorum corruerunt; multa idola dejecta fuerunt in terram ex pulsis dœmonibus. Hæc & plura alia miracula erant „ tunc nota mundo, sed homines ignorabant causam.
 „ Part. 2. num. 493.

„ 2. Quando Jesus intravit Ægyptum, contrita sunt in Ægypto idola, altaria, & templo. Part. 2. num. 644. 649. 650. 654. 666. 934. 1041. Omnes dœmones instar fulgoris ex idolis Ægypti tunc in orcum detrusi sunt. Ægyptii mirabantur de his eventibus. Metus eorum erat universalis; loquebantur etiam cum Maria de eversione suorum templorum. Part. 2. num. 644. 645. Lucifer propterea peragrabat totum Ægyptum, ubi fuerunt templo, & altaria suorum idolorum. Tunc rediit in orcum, & narravit dœmonibus, qui fuerant expulsi, quod eorum templo, & idola fuerint destructa; ipsi enim tanta festinatione recesserunt, ut ignoraverint, quid acciderit templis, & idolis. Part. 2. num. 649. 650.

„ 3. B. Virgo tenens in brachiis Jesulum circumibat, & convertebat suis prædicationibus ac miraculis fere totum Ægyptum. Part. 2. num. 667.

„ 4. Post baptismum, & jejunium quadragesimale Christus mansit adhuc decem mensibus in Iudæa; & tunc primum secessit in Galilæam in Cana. Part. 2. num. 1013.

„ 5. Christus cum B. Virgine jam cœpit prædicare triennio integro ante suum baptismum, quamvis tunc non apertè dixerit, se esse Messiam, nec etiam aperta perpetraverit miracula. Part. 2. num. 924. 927. 928.

„ 6. In Pentecoste, quando descendit Spiritus sanctus, ii, qui fuerunt causa mortis Christi, cederunt retrò in terram, & impegerunt capita sua, & jacuerunt in terra per tres horas. Qui autem offendiderunt Dominum, moriebantur repente, & in suo sanguine suffocabantur. Alii Judæi fuerunt afflicti acutissimis doloribus, & foedissimis infirmitatibus, quæ etiamnum perseverant. Omnes etiam inimici Domini per fulgura & tonitrua terribilia vehementer conterriti sunt. Hæc Evangelistæ, & Apostoli, tanquam rem non notabilem, scribere neglexerunt. Part. 3. num. 65. 73.

„ 7. Scribunt hæ Revelationes, Montem Calvarium esse locum foetidum ex foetore cadaverum. Part. 2. num. 1375.

„ 8. Etiam Sacerdotes jecerunt lapides in Christum crucifixum. Part. 2. num. 1388.

„ 9. B. Virgo acclinabat se cruci. Part. 2. num. 1436.

„ 10. Christus jam fuit inunctus ante sepulturam. Part. 2. num. 1448.

„ 11. Donum miraculorum per adventum Spiritus

„ *tus sancti fuit collatum etiam foeminis.* Part. 3. num.

„ 83.

„ 12. S. Jacobus in Hispania ubique maximos habuit fructus; ædificavit Ecclesias, & fundavit Episcopatus. Part. 3. num. 322. 353. 358.

„ 13. B. Virgo à fidelibus communiter vocabatur „ *Maria à Iesu*, *Maria à Iesu Nazareno*, *Maria filia Iacobini & Annae*. Part. 3. num. 459.

„ 14. B. Virgo multis mulieribus in baptismo suum nomen contulit. Part. 3. num. 463.

„ 15. In exequiis B. Virginis omnes fideles portabant candelas, comitante ferè tota Hierosolyma. Part. 3. num. 751.

„ 16. Quando *Lucæ 1. v. 31.* dicitur: B. Virginem ascendisse in Civitatem Iuda, Revelationes istæ affirmant, hic intelligi aliquam Civitatem, quæ vocabatur nomine Iuda; eam tamen post mortem Christi sic fuisse destructam, ut nulla ejus apparuerint vestigia, excepta sola domo Zachariæ. Part. 2. num. 208.

„ Hæc omnia partim incredibilia, partim evidenter falsa esse, in Historia Controversiæ luculenter ostendi. Ex his eligo causa brevitatis exemplum unicum. Sic sonant verba Amortiana.

DEFENSIO.

211 **A**DVERSARIUS hic solum provocat ad suam Controversiam, ego vero benevolum Lectorem invito ad meam justam Defensionem; in qua pag. 468. & seqq. satis superque soluta inveniet ista dubia Amortiana. Interea cum Criticus iterum nil repuerit meis solutionibus ac responsis, & illa adhuc permanent in suo vigore, nec nova defensione egent.

§. IV.

EXCUTITUR EXEMPLUM EVIDENS
*(ut vocatur) falsitatis Revelationum
 Agredanarum.*

212

A Nti-Agredanus pag. 74. ita continuat suam Apologiam: „Exemplum evidens falsitatis Revelationum Agredanarum. Revelationes Agredanæ Part. 3. num. 445. dicunt, templum DIANÆ Ephesi ad imperium B. Virginis per Angelos dirutum ac solo æquatum esse nocte unica. At verò Plinius testis synchronus testatur, vetus templum Diana adhuc extitisse anno Æra vulgaris septuagesimo primo, hoc est, viginti duobus, aut certè juxta Agredistam Kickium septemdecim annis post mortem B. Virginis: nam Revelationes Agredanæ Part. 3. num. 742. testantur, B. Virginem obiisse anno quinquagesimo quinto post Nativitatem Christi. Itaque si Nativitas Christi contigit anno sexto, ut ego sentio, vel uno anno, ut P. Kickius sentit, ante Æram vulgarem, necessarium est, B. Virginem obiisse anno Æra vulgaris quadragesimo nono, vel quinquagesimo quarto. Quod autem templum Diana adhuc extiterit anno septuagesimo primo, testatur Plinius lib. 16. cap. 40. ubi asserit, Mutianum tertio anno sui Consulatus, hoc est, tertio anno Proconsulatus in Syria, dimensum esse templum vetus Ephesinum Diana. Convenit, inquit, tectum ejus esse è cedrinis trabibus. De ipso Simulacro Deæ cæteri ex ebeno esse tradunt, Mutianus ter Consul, ex his, qui proxime visto eo scripsierunt, vitigineum & nunquam mutatum.

„ tum. Adjicit Mutianus , valvas esse è cupresso , & jam
 „ quadringentis prope annis durare materiam omnem novæ
 „ similem &c. Quod autem Mutianus primum suum
 „ annum Proconsulatus in Syria inchoaverit anno Ærae
 „ vulgaris sexagesimo octavo , ostendit Blanchinus in
 „ sua Chronologia : idemque ostendit SUETONIUS
 „ in Vespasiano. C. 4 , dum in obitu Othonis Impe-
 „ ratoris Licinium Mutianum jam fuisse Præsidem , seu
 „ Proconsulem Syriæ ostendit.

„ His omnibus partim miraculis , partim extraor-
 „ dinariis eventibus addi possent innumera similia acta,
 „ ex quibus tamen , ut appareat magis concordia Re-
 „ velationum cum Pseudo-Evangelio de *Infantia Iesu*,
 „ addo sequentia.

„ I. Iesulus sæpe clara voce loquebatur ad B. Vir-
 „ ginem , non tamen audiente S. Josepho , usquedum
 „ attigerat primum annum ætatis. Textus Agredanus
 „ sic habet : *Puer Iesus statim à Nativitatis suæ tempore*
voce intelligibili dulcissimæ Matri suæ cœpit loqui , dum
scilicet , quam primum erat natus , effatus est verba illa:
Imitare me sponsa mea , & assimilare mihi. Et tametsi
verba sua perfectè absolutè enuntiârunt , solus tamen so-
li loquebatur , uti etiam D. Patriarcha nunquam in-
audiit loquentem , usque dum post spatium unius anni
paulatim eidem colloqueretur. Part. 2. 578. Et Part. 2.
 „ 625. & 626. In itinere (versus Ægyptum) nonnun-
 „ quam Iesulo incipiente miscabant Iesus & Maria suavia
 „ colloquia. Mirabilia inter se colloquebantur Filius &
 „ Mater Dei. Et num. 637. Alia vice Regina cœli (in
 „ illa fuga in Ægyptum) filio suo ita loquebatur : *Amor*
meus , quomodo , quas pateris molestias , avertam ? Ref-
pondit puer Iesus : admodum mihi benè est inter brachia
tua ; quanquam , quæ diuinus puer sensibiliter Matri suæ
loquebatur , S. Iosephus non audierit.

„ 2. *Summus Sacerdos Simeon venit in templum, & accedens, ubi erat puer Iesus depositus inter brachia dulcissimæ Matris, ambos filium & matrem, pro proportione ne tamen sua, eximio splendore coruscos vidit.* Part. 2. „ num. 599.

„ 3. *Egradientibus Jesu & Maria è præsepio comitabantur decem millia Angelorum, omnes in specie humana.* Part. 1. num. 590. Et Part. 1. num. 362.
 „ & 363. *nongenti Angeli, quoties forma corporali spe-ctabat, exhibuerunt, schema juvenis induebant: corporis erat crystallo animato simile: vestitus magnificus, & velut totus splendor erat: corollas singuli in capitibus gerabant, è viridissimis floribus: manibus preferebant palmas: in pectore certum quoddam symbolum ac insigne habebant, quod insigni Ordinum militarium comparabimus; huic secretis characteribus inscriptum erat: Maria mater Dei, quamvis id SS. Virgo ante momentum, quo Verbum Incarnatum concepit, haud intellexerit.* Et Part. 2. num. 595. *Decem millia Angelorum, comitantia Iesum in templum, in corde lemimate SS. Nominis IESU, insigniti erant.*

„ Jam vero tot miracula nullo apparente fine, tot eventus mirabiles & circumstantiae nullo apparente teste, & exemplo simili certo, necessariò inter credibilia referenda sunt, quamdiu non evicerint in Tribunali Romano, V. Mariam de Agreda esse auctorem harum Revelationum, eamque nec falli, nec fallere; quorum primum, quod non fuerit saltem decepta ex illusione phantasie, nunquam probabantur.

„ Pro coronide hujus Paragraphi accludo problema à benevolo Lectore solvendum. *Utrum plura in credibilia miracula continantur in Pseudo-Evangelio de Infantia Iesu, an vero in Revelationibus Agredanis?*

„ Illud Pseudo-Evangelium reperitur in fine hujus
„ opusculi.

DEFENSIO.

213

Criticus evidentis falsitatis se reum redit, dum contendit, templum Dianaë Ephesii ad imperium B. Virginis per Angelos dirutum, ac solo æquatum, esse evidens exemplum falsitatis Revelationum Agredanarum. Quare nihil respondet ad meam Defensionem? Quia nimurum nihil occurrit, quo dicta mea enervari possent. Transilit igitur illa, & tantum pauca à me jam dissoluta ex sua controversia repetit, omissa mea responsione. Hanc igitur in compendium redactam denuo Adversario solvendam offero.

Dico itaque Plinium non loqui de templo Ephe-
sino primitus ædificato, sed de alio in locum prioris
diruti exstructo; vel Plinium solum velle, quod idem
numero templum prius tam magnifice exstructum, ad-
huc suo tempore extiterit moraliter in alio sibi sub-
stituto: nam ædifica collapsa, vel diruta, & iterum
ædificata dicimus in æstimatione morali esse eadem,
vel melius dicimus (nempe in sensu morali, non phy-
sico) permanere, aut existare arcem, domum jam col-
lapsam, si in ejus locum alia est ædificata. Et ita loqui
debere Plinium, vel inde concludo, quia aliter non
rectè cum aliis historicis, neque secum ipso conveni-
ret. Primo enim Cancellotus ad annum Christi 57.
num. 3. dicit, *hoc templum fuisse sèpius collapsum*: er-
go non est certum, quod tempore Plinii adhuc vetus
physicè idem numero templum Dianaë steterit.

Secundo, sicut agente in terris Christo, templum
Ierosolymitanum aliquo in sensu potuit dici Salomo-

nicum, seu à Salomone erectum, etsi illud ipsum, quod Salomon condidit, non amplius extiterit, sed aliud ejus loco constructum; ita quoque Plinii templum Dianæ Ephesinum describere potuit, ceu à Regibus Asiae ædificatum, quamvis idem numero physice non amplius extiterit, alio ab Ephesiis in ejus locum sub eodem nomine condito.

Tertiò ipse Plinius apud Adversarium fol. 404. controv. ait, templum illud Dianæ fuisse septies restitutum, id est de novo ædificatum, de quo vide meam justam Defensionem pag. 441. & seq. ergo vel ipso Plinio teste vetus idem numero templum suo tempore non persistit physicè.

Quartò Plinius (apud Criticum pag. 404. controversiae) affirmans extare templam Dianæ, loquitur de illo, cuius operi præfuit Ctesiphon; sed templum illud, cuius operi præfuit Ctesiphon, teste Strab. lib. 14. fuit ab Herostrato incendio consumptum, atque adeò physicè, vivente Plinio, non amplius extitit; indeque Plinius non de physica, sed morali superiorius explicata permanentia est intelligendus. Hæc in synopsi resumo ex justa Defensione, in qua paulò amplius deducta, & probata à pag. 440. leguntur reliqua verò ipsis verbis do, quibus in justa Defensione continentur, ut videat benevolus Lector, unam, quam Anti-Agredanus in novo opusculo recoquit difficultatem ex Plinio, jam fuisse prius à me dissipatam. Sic ergo in justa Defensione pag. 442. scripsi:

„Nee obstat, quod Plinius supra citatus addat, te-
 „tum templi esse (NB) non fuisse) è trabibus ce-
 „drinis, & valvas è cypresso, omnem materiam nova si-
 „milem durare quadringentis prope annis. Nam ex hoc
 „ipso colligitur, Plinio in rebus Historicis non esse
 „adeò magnam fidem tribuendam; cum enim mox

„ relata scribat de templo à Ctesiphonte fabricato, cer-
 „ tum est, ejus tecti trabes, aut valvas tempore Pli-
 „ nii non fuisse amplius superstites, utpote ab Hero-
 „ strato incendio jam consumptas. Si verò id diceret
 „ de trabibus & valvis templi à Dinocrate, aut alio
 „ fabrefactis, id adhuc subsisteret, et si templum illud
 „ jussu Beatissimæ Virginis ope alicujus Angeli fuerit
 „ una nocte solo æquatum: nam stante hoc, trabes
 „ aliquæ & valvæ, necnon lapides integri manere po-
 „ tuerunt, & ab Ephesinis ad novi templi ædificium
 „ eò libentius denuo applicari, quo meliori ex ma-
 „ teria constabant. Hucusque in justa Defensione:
 modo

218 Addo primò. Plinium non dicere, quòd
 jam quadringentis annis duret templum, sed materia;
 quod verum est, et si templum sit dirutum, & aliud no-
 vum ædificatum, ad quod denuò assumpta fuit mate-
 ria restans ex priore ædificio destructo.

Addo secundò, testimonium Plinii circa templum
 Dianæ, utpote sibi net ipsi contrarii non facere fidem
 certam; ait enim lib. 16. cap. 40. apud me 41. tem-
 plum Dianæ quadringentis annis tota Asia concurren-
 te exstructum esse; L. verò 36. cap. 14. dicit, tem-
 plum istud ducentis viginti annis factum esse à tota
 Asia. Cum igitur sibi ipsi hac in historia aduersetur
 Plinius, non videtur satis accurate in ea referenda
 processisse, neque ejus testimonium, qualecunque sit,
 evidentiam parere. Ad hæc respondeat D. Amort,
 antequam testimonium Plinii tanquam evidens ven-
 dat, vel inde argumentum evidens deducat contra
 Scripta Agredana: quæ circa præsens punctum non vi-
 dentur convinci à Plinio alicujus falsitatis, dum di-
 cunt, templum Dianæ, quod prædicante Ephesi S.
 Paulo exstebat, scilicet physicè, non fuisse prius, &

vetus illud, sed physicè aliud, priore destructo, ab Ephesiis iterum ædificatum: quo in sensu, modo in præcedentibus exposito, adhuc verificari potest, prius templum tempore S. Pauli, & Plinii extitisse, nimirum moraliter. Ita explicari debet testimonium Plinii, ne illud sibi ipsi aduersetur, ut vidimus. Reliquæ critæ Amortianæ ad incudem revocantur sub finem hujus opusculi in Appendice de Pseudo-Evangelio Infan-
tiae Jesu. Hinc nunc omituntur.

Verum hic prætermitti non debet, quod Ad-
versarius falso affirmet, Nativitatem Christi juxta
me contigisse anno uno ante æram vulgarem. Id
enim verum haud esse novit ille, qui legit Partem ter-
tiam meæ juxta Defensionis, & caput tertium Partis
tertiæ hujus mei opusculi, ubi, & quidem merè ex
supposito Catalogi Consularis Amortiani, Nativita-
tem illam retraho ad annum tertium, vel secundum,
non autem primum ante præfatam æram.

ARTICULUS V.

EXCUTITUR ISTA PROPOSITIO *Adversarii.*

REvelationes Agredane multa continent contra opinio-
nes ab Eruditis receptas, & moraliter certas.

Argumentum I.

QUO citatam propositionem suam D.
Amort probare nititur, apud ipsum
una cum responsione ad Defensio-
nem meam, in novo opusculo pag. 76, ita proponitur:
,, Re-

Revelationes Agredanæ citant Opera Dionysii tanquam legitimum ejus partum, quæ tamen teste Labbeo, Gravesonio, & aliis viris doctissimis reputantur esse dubia: hoc meum erat quoad rem argumentum.

,, &c. Apologista duo respondet. Primò, in Revelationibus Agredanis non allegari Opera Dionysii, sed tantum verba. Secundò, probat fusè, hæc opera probabilius esse genuina. Circa primum, dubium manet, an Revelationes non respiciant ad suppositiones Epistolas Dionysii. Quoad secundum mihi sufficit, quod hæc Opera sint dubia, quod probandum suscepseram: exinde enim denuò sequeretur, à Revelationibus Agredanis auctoritatem tribui punto Historiæ Ecclesiasticæ controverso, sicque ab iis reformari Historiam simul cum Theologia, quod non est verosimile hoc instrumento voluisse Deum. Hæc D. Amort allegato loco.

DEFENSIO.

216 **P**rimò Anti-Agredanus suæ haud fidens causæ, & clarè perspiciens, argumentum suum nihil probare, illud immutat; verum & immutatum prima fronte demonstrat suam imbecillitatem. Deberet enim illud (si ad rem est) ostendere, quod Opera S. Dionysii (posito, quod in libris Agredanis allegentur) ex recepta apud Eruditos moraliter certa, ac proinde indubitata sententia sint suppositiones; atqui argumentum istud hoc non ostendit, sed omnino oppositum, cum dicat, Opera laudata teste Labbeo, Gravesonio, & aliis viris doctissimis reputari dubia, consequenter non certo suppositiones &c. Verum ut fucus Adversarii magis patescat, argumentum

tum prout in Controversia pag. 432. legitur, & à me
in justa Defensione pag. 497. impugnatur, sic se habet:
*Revelationes Agredanæ multa continent contra opiniones ab
Eruditis receptas, ac moraliter certas. Vis argumenti con-
sistit in eo, quod variae sententiae moraliter certæ opponan-
tur Revelationibus Agredanis.* Dein paucis interpositis
enumerat illa, quæ judicat in Revelationibus hisce esse
opposita sententiis moraliter certis, & receptis ab Erudi-
tis, & quidem loco primo collocat sequens argu-
mentum: *Revelationes citant Opera Dionysii Areopagitæ
tanquam legitimum ejus partum.* Part. 1. num. 592. &
Part. 3. num. 13. *De his operibus Labbeus de Scriptoribus
Ecclesiasticis Sæcul. I. Dionys. loquens ait: alii firmissimis
argumentis negant, ea esse Dionysii Parisiensis, vel Athe-
niensis: ita Petavius, Morinus &c. in quibus etiam ea
argumenta videri possunt, uti & in Oudino de Scriptoribus
Ecclesiasticis.* Ita habet argumentum Amortianum in
Controversia, quo sententia denegans D. Dionysio
Opera illa, quæ alijs ei tribuuntur, venditur ut opinio
ab Eruditis recepta, ac moraliter certa: nunc autem
in novo opusculo Anti-Agredani dicitur illa sententia
tantum dubia: ergo Criticus iste sibi ipsi est contrarius
& infidelis, & recenti suo opusculo semetipsum con-
futat, ostendens, se falsò ac nimis inconsideratè rem
adhuc dubiam, & maximè controversam placitis mo-
raliter certis accensuisse. Ex his itaque clarum est,
Anti-Agredanum suum mutasse, ac penitus evertisse
argumentum: qui etiam bene abstinuit in nupero
opusculo ab allegatione Casimiri Oudini, fortè ab-
sterritus per elogium eidem à me in confutatione hujus
argumenti pag. 521. just. Defens. datum.

217 Secundò penitus falsum est, quod *Revelationes
Agredanæ respiciant ad Epistolas S. Dionysii, vel aliud
ejusdem opus; nunquam enim alicujus operis aut Epi-*

lae Dionysianæ meminerunt. Evidem Part. 1. num.
592. & Part. 3. num. 13. Ven. Scriptrix ait, S. Diony-
sium *ingenuè fassum* & *palam testatum esse* de B. Virgi-
ne, quod nisi à fide aliter doceretur, eam ut Deam
suspiceret; ast, ut ex ipsis verbis quilibet prudens
conjicit, & pag. 408. just. Defens. pluribus declara-
vit, iste modus loquendi manifestè abstrahit ab ope-
re aliquo, & adhuc subsistit, ac verus est, si S. Diony-
sius hoc solum voce, non vero calamo testatus, aut
confessus fuisset.

218 Tertiò denuò falsum affirmat Criticus scri-
bens, se probandum suscepisse, quod opera Diony-
siana sint dubia: nam ut ex dictis liquet, & ex propo-
sitione, ad quam probandam, hoc argumentum pri-
mo loco, ceu Achillem collocavit, ostendere voluit
Adversarius, aut saltem debuit, ea opera esse certò
non genuinum partum S. Areopagitæ. Modò cùm
manibus palpet, à plurimis, & maximi nominis viris
verè Eruditis opera illa, de quibus sermo est, certò
S. Dionysio adscribi, conatur veritati fucum facere,
variato arguento. Volvat benevolus Lector meam
sat prolixam dissertationem de operibus S. Dionysii à
pag. 507. just. Defensionis, & videbit, quām incautè
Criticus in sua controversia pronunciarit, ex verè
Eruditis esse unicum Alexandrum Natalem, qui ope-
ribus Dionysianis subscribat. Videbit quoque, quām
parum ponderent congestæ rationes Adversarii, si ad
veritatis lancem suspendantur.

219 Cæterū sententias solum certas, dum obji-
ciuntur Revelationibus Agredanis, & aliis privatis, illis
obstare est assertio apud Mysticos explorata, ac in hoc
meo opusculo, & in ipsa justa Defens. tam convincen-
ter, tamque frequenter ostensa, ut oleum & operam
perderem, si vel modicum nunc adderem.

Cum autem Criticus rursus reformationem Historiae Ecclesiasticae ac Theologiae obtrudit, nihil agit, ut pariter jam saepius dictum. Nam Revelationes privatas sententiis Theologicis nihil addere, aut demere probabilitatis, apud doctos hactenus semper fuit in confesso, & utique novimus omnes, quod Revelationes privatæ, utat piè incredibiles, & approbatæ, non habeant sedem inter locos Theologicos. Dein quot sententiæ reperiuntur in Revelationibus Birgitanis, & S. Catharinæ Senensis &c. opinionibus verè probabilibus Theologorum, & relationibus Historicorum contrariae, quibus non obstantibus Revelationes istæ probatae sunt, nec illis reformatur Theologia aut Historia Ecclesiastica? Qua de re hujusmodi aserta Critici sunt otiosa, ad propositum nihil facientia verba. Verum & de his jam alibi satis, ut norunt, qui præcedentia in hoc opusculo, & meam justam Defensionem legerunt.

Argumentum II.

220. „ **R**evelationes asserunt, Adamum Christo, & Eman. B. Virgini fuisse quoad corpus ita similes, ut quoad formam & statuam, vix potuissent discerni. Sed hoc est falsum; cum constet ex cadaverum antiquorum magnitudine statuam primorum hominum fuisse longè major.

„ Et. Apologista ait, in textu Agredano nullam fieri mentionem de æquali magnitudine inter corpus Adami & Christi. Verum licet hoc Revelationes expressè non dicant, dubium tamen est, an non voluerint hanc æqualitatem illis verbis: *Deus creavit Adamum tanta cum humanitate Verbi similitudine*, ut

„ cor-

„ corpore vix differret. Ceterum semper verosimilius
 „ erit, Adamum fuisse majoris staturæ, quæm quæ
 „ circumfertur de Christo, & colligitur ex ejus sacra
 „ facie impressa, aut picta variis modis v. g. quæ asser-
 „ vatur Romæ.

DEFENSIO.

221 **V**EN. Scriptricem de sola similitudine in li-
 neamentis &c. fuisse locutam, non verò
 de æqualitate Christi & Adami, Mariæ & Evæ in statura,
 patet legenti textum integrum Agredanum, & meam
 annotationem pag. 552. just. Defens. ubi ostendi à
 Critico esse corruptum textum, vel sensum Agreda-
 num. Dein magnam proportionem Christum & Ada-
 num in mole corporis habuisse, suasi ratiocinio non
 contempnendo pag. 523. & seq. ubi etiam rationes Cri-
 tici sat leves levi brachio dilui. Cur nihil respondet
 D. Amort meis objectionibus, & rationibus? cur
 non defendit argumenta sua à me soluta? Cur relin-
 quit rationes prius adductas, ac cadavera antiqua &c.
 & modò ad imaginem Christi pictam confugit? quia
 nempe sentit ipse priorum suorum dictorum labile, ac
 penitus à me prostratum fundamentum; querit igitur
 aliud in imagine. Ast quì ex una imagine Christi,
 hujus cum Adamo inæqualitatem demonstrabit? Hanc
 ut ostendat, necessè est, utriusque veram imaginem,
 quæ utriusque staturam & magnitudinem exactè ex-
 primat, proferre, ut cuilibet prudenti evidens est.
 At verò ubi asservatur vera imago Adami, & ejus-
 dem staturæ?

Argumentum III.

222 „ **R**evelationes juxta Bibliam Græcam
 „ septuaginta Interpretum numerant
 „ ab Orbe condito usque ad Nativitatem Dominicam
 „ annos 5199. Sed hoc est evidenter contra Bibliam
 „ Hebraicam, & Latinam jam ultra mille annos in
 „ Ecclesia Latina receptam.

„ B. Apologista ait, in Revelationibus non dici,
 „ quod Ecclesia computum annorum ab Orbe condi-
 „ to juxta versionem septuaginta Interpretum adop-
 „ taverit, sed tantum dicit, quod Ecclesia sequatur hunc
 „ computum. Verum adoptare, & sequi an certo diffe-
 „ runt in mente V. Scriptricis? Dein Revelationes af-
 „ serunt, hunc computum esse revelatum à Deo; cur
 „ ergo timeret dicere, eum esse ab Ecclesia adopta-
 „ tum? Addit Apologista, adhuc probabile esse, quod
 „ Biblia nostra Latina circa hunc computum mille
 „ annis fallat: ego verò non sum hujus mentis. Deia
 „ Apologista, dum asserit, suam Agredanam senten-
 „ tiā esse probabilem, tacitè concedit, oppositum
 „ esse probilius. Ergo jam continetur in Revela-
 „ tionibus Agredanis aliquid probilius falsum.

DEFENSIO.

223 **N**E quis Ven. Scriptricis, & mea dicta si-
 nistro sensu accipiat, seductus ab Amor-
 tio, corundem principium ex juxta Defens. pag. 529. &
 seq. recito. Ita sonat mea Defensionis exordium:
 „ Hæc, quæ ex Adversario sunt adducta, scatent me-
 „ ris falsis, quæ contra Civitatem Mysticam, ac Lan-
 „ delinum, & ipsam rei veritatem excogitavit. Primo
 „ fal-

„ falsum est , quod Ven. Scriptrix illum computum
 „ Martyrologii Romani vendat pro sententia per Ec-
 „ clesiam adoptata. De hac enim materia Ven. Scri-
 „ trix Part. 2. num. 476. & 1359. non plus dicit,
 „ quam quod B. Virgo Christum genuerit anno à crea-
 „ tione mundi 5199. Et quod (NB) inter DD. opiniones
 „ illam (opinionem) veritati consentaneam esse didice-
 „ rit , quam in Martyrologio Romano sancta sequitur Ec-
 „ clesia , quæ est illa ipsa , quod Christus natus sit anno
 „ mundi 5199. Iam vero dicere præcisè , quod Eccle-
 „ sia hanc , vel illam sententiam sequatur , seu opi-
 „ nionem , & quidem inter DD. adhuc controversam.
 „ utique non est dicere , quod Ecclesia illam adopta-
 „ verit ut suam , vel agnoscat ut suam , seu sententiam
 „ Ecclesiæ. Nam vel Adversarius per sententiam ab
 „ Ecclesia adoptatam intelligit eam , quæ strictè &
 „ propriè agnoscitur pro sententia Ecclesiæ , ita ut ab
 „ hac sit definita , vel intelligit solum adoptatam lar-
 „ gè , ut sensus sit , quod Ecclesia hujusmodi opinio-
 „ nem toleret , admittat , & usurpet tanquam verè
 „ probabilem? Si primum , evidenter corruptum tex-
 „ tum & sensum Agredanum , prout ex mox recitatis
 „ verbis Civitatis Mysticæ evidens est. Imò si hoc pri-
 „ mum adstruit , manifestè sibi metipsi contradicit , &
 „ falsò Gonzalezium arguit alicujus calumniæ hic in
 „ Epicrisi pag. 457. ubi protestatur , se non dicere,
 „ quod Revelationes Agredanæ vendant hanc senten-
 „ tiam pro definita ab Ecclesia. Si secundum affirmat,
 „ nihil agit contra Revelationes Agredanas , quæ ip-
 „ se non plus dicunt , quam quod hæc sententia sit
 „ ab Ecclesia recepta , & tolerata tanquam opinio , per
 „ consequens tanquam sententia mere probabilis. Qua
 „ ratione etiam verum asserunt , ut pluribus ostende-
 „ tur; proinde sine ratione lis intefitatur Scriptis Agre-

, danis. Hæc in justa Dēfensione, quæ ostendunt, rationabiliter omnino Ven. Scriptricem, & me esse in hac materia locutus, ut adeò immeritò se nostris afferatis opponat Criticus.

224 Ait *Revelationes afferunt*, *hunc computum esse à Deo revelatum*: *cur ergo timeret dicere*, *eum esse ab Ecclesia adoptatum*? sic interrogat Anti-Agredanus iterum oblitus argumenti, & objecti, quòd perractat. Agit ille de Revelationibus privatis, quarum sententiæ ex hoc solum, quòd Personæ privatæ sint revelatae, non sunt ab Ecclesia adoptatae, seu non sunt sensus Ecclesiæ ab ea definitus, nec propterea ceu infallibilia dogmata ab illa omnibus fidelibus proponuntur. Quæ & quanta sunt in Birgittanis, & aliis privatis revelationibus Sanctis animabus (ut piè creditur) manifestata, quin ea adoptet Ecclesia, ut sua dogmata, aut suas sententias? Relinquit enim ea in statu suæ controversiæ, dubii, aut probabilitatis, quem ante similem Revelationem privatam habuerunt. Idem dicendum esset de Revelationibus Agredanis. Paucis, ut sententia aliqua revelata sit ab Ecclesia adoptata, requiritur aliqua revelatio publica, vel saltem publicè proposita per Ecclesiam tanquam infallibile divinitus revelatum dogma; non verò sufficit privata, ut notant, qui primis labiis placita Theologica, in tractatu de fide alias explicari solita, delibarunt.

225 Præterea ait D. Amort: *addit Apologista, adhuc probabile esse*, *quod Biblia nostra Latina circa hunc computum mille annis fallat*; *ego verò non sum hujus mentis*. Hæc Adversarius, qui tamen non rectè refert mea dicta. Nam assero 1. nullum certum computum ætatis mundi posse statui, atque adeò quamcumque sententiam (utpote semper incertam) Criticus opposuerit.

Ven. Scriptrici , ejus Chronologiam per hoc non reddi certò falsam , & improbabilem.

Affirmò 2. calculum Agredanum muniri momentis planè gravibus , ut authoritate Virorum graviun, ac Martyrologii Romani , & Versionis septuaginta Interpretum , & sic esse verè , & solidè probabilem, quod ad vindicandam sententiam circa tale objectum, de quo certitudo nulla dari potest , abundè sufficit. Pronuncio 3. non decessè Doctores , qui uti in aliis , ita quoque in Chronologia censem posse concordari Versionem Græcam , quæ est septuaginta Interpretum, cum Hebrea , vel vulgata. Quartò tandem (NB) dato , impossibilem esse concordiam Versionis septuaginta Interpretum cum Bibliis latinis vulgatae editionis , infero , necdum certò falsum esse computum Versionis Græcæ , seu 70. Interpretum , cui insistit calculus Agredanus , idque probo ex ipsis D. Amort demonstratione Critica Religionis , ex Doctrina Alexandri Natalis , Augustini Calmet , Cornelii à Lapide, nostri Herinex , & Bulla Sixti V. Versioni 70. Interpretum præfixa. Quæ omnia in justa Defensione prolixè discussa videri possunt.

Ex quibus patet 1. me non absolutè , & affirmando dicere , probabile esse , quod Biblia vulgata circa ætatem mundi mille annis fallant. Affero solùm hypotheticè , necdum certò falsum esse computum Agredanum , & 70. Interpretum , etiamsi sit impossibilis (quod solùm transmitto) concordia Biblia inter Vulgata , & Græca , atque sic ista ab illis mille circiter annis discordent. Unde Criticus non fideliter expressit mea dicta.

Patet secundò , Adversarium nihil respondisse , & præteriisse omnia mea fundamenta , quæ ipsi propte-

rea

reà solvenda restant. Per hoc solum, quod ipse alterius sit mentis, Adversariis suis non satisfacit, ni mentem suam ratione firma, & irrefragabili nixam ostendat, quod haec tenus non praestitit, procul dubio ideo quia non potuit.

Porrò dum affirmo Agredanam, vel quamcumque sententiam esse probabilem, non statim implicitè concedo, oppositam esse probabiliorum, neque alius id mox concedet. Profectò in hac argumentatione : *hoc est probabile : ergo huic oppositum est probabilius*, absque ullo negotio negari potest consequentia. Siquidem cum hoc, quod istud sit probabile, stare potest, quod oppositum æqualiter, vel etiam minus sit probabile: nam non obstante æquali, vel minore probabilitate oppositi manet istud, & consequenter dici potest probabile.

Verum demus, sententiam Agredanæ oppositam esse probabiliorum, & Agredanam solum esse minus, sed tamen verè, ac solidè, tam absolutè, quam respectivè probabilem. Quid inde? ergo Agredana sententia rejici debet nequaquam; etiam in aliis libris permittuntur legi, & approbantur sententiæ, quæ multis videntur minus, verè tamen adhuc probabiles: ergo etiam in Revelationibus Agredanis sic permitti possunt, & probari; quia hæ tanquam Revelationes privatæ non aliter probari solent, vel possunt, juxta stylum ordinarium Ecclesiæ, quam alii libri, ut jam saepissimè est inculcatum. Nolo repetere, quod teste Aristotele *falsa non raro sint probabiliora veris*, ut pariter jam superius monui.

Argumentum IV.

226 " **R** Evelationes dicunt , quòd Ecclesia
 computet novem menses à festo
 Conceptionis B. Virginis , usque ad ejus Nativita-
 tem , numerando tempus ab infusione animæ ratio-
 nalis . Sed hoc non potest dici ; quia anima corpori
 B. Virginis non fuit statim infusa die primo Conce-
 ptionis materialis .

" R. Apologista asserit , meam hanc doctrinam
 pluribus merito stomachum movisse , & in ea plura con-
 tineri , quæ cum decretis Summorum Pontificum , necnon
 cum pietate Intemeratae Virgini debita ex aquo non con-
 veniant . Hic tandem virus suum , & calumnias Re-
 ligioso indignas evomit , ad quas equidem sufficien-
 ter respondi in libellis Polemicis cum P. Virgilio ;
 ut tamen me paucis expediam , remitto Calumni-
 tores ejusmodi ad tractatum meum de peccato ori-
 ginali & gratia , cum reliqua mea Theologia publi-
 candum . Interè etiamnum profiteor publicè , me
 semper fuisse zelosum defensorem Immaculatæ Con-
 ceptionis B. Virginis in eo sensu , quem SS. D. N.
 BENEDICTUS XIV. in suo opere de Festis exprimit ;
 eam tamen opinionem , quòd Ecclesia unquam exi-
 stimaverit , aut ullus Theologorum ante exortum
 Revelationum Agredanarum unquam somniaverit ;
 Conceptionem rationalem B. Virginis contigisse
 die octavo Decembris , ad stultitias hominum phan-
 tasticorum in observationibus meis Agredanis ref-
 ero . Verba autem SS. D. N. BENEDICTI XIV. ubi
 in prefato opere de festo Immaculatæ Conceptionis
 B. V. agit , sunt sequentia : *Conceptio dupliciter accipi*
poteſt : vel enim eſt activa , in qua S. Virginis parentes
 " ope-

„ opere maritali in vicem convenientes praefliterunt eā, qua
 „ maximē spectabant ad ipsius corporis formationem; vel
 „ est passiva, cum rationalis anima cum corpore copulatur.
 „ Non hic de activa Conceptione sermo est, sed de passiva;
 „ qua pura & Immaculata fuisse dicitur. Quae igitur apud
 „ Theologos leguntur propositiones: Conceptio B. Virginis est
 „ Immaculata &c. significant, gratiam illi sanctifican-
 „ tem in ipso momento fuisse infusam, cum corpori ani-
 „ ma unita fuit, in quam sententiam firmissimis fultam
 „ fundamentis propendet Apostolica Sedes, eamque (NB)
 „ vulgo (hoc est passim) fideles amplectuntur. num.
 „ 185. 186. Itaque summa rei hoc redit, ut Ecclesia ad
 „ (NB) opinionem Immaculate Conceptionis propensior sit;
 „ nondum tamen Apostolica Sedes tanquam fidei articulum
 „ eam definierit. num. 200. Quidam eam opinionem de
 „ Immaculata Conceptione arbitrati sunt declaratam esse
 „ articulum fidei, id verò (NB) probari non potest. Festum
 „ enim Conceptionis celebrari potest, et si nihil Ecclesia de
 „ mysterio definierit. Atque ita sensit BELLARMINUS
 „ Contr. tom. 2. lib. 3. cap. 16. fundatum hujus festi
 „ præcipuum non esse Conceptionem Immaculatam,
 „ sed simpliciter Conceptionem Matris Dei futuræ.
 „ Qualiscunque enim fuerit illa Conceptio, eo ipso
 „ quod fuit Conceptio Matris Dei, singulare gaudium
 „ affert mundo ejus memoria, tunc enim primum
 „ habuimus pignus certum Redemptionis. Itaque hoc
 „ festum etiam illi celebrant, qui putant Virginem in
 „ peccato conceptam. Bellarmini responsionem amplecti-
 „ tur Cardinalis GOTTO in opere suo adversus Piceninum,
 „ ubi pulchrè animadvertisit, Constitutionis, quam edidit
 „ CLEMENS XI. hunc esse titulum: ut festum Conceptio-
 „ nis B. Mariæ Virginis Immaculatae de precepto ubique in
 „ posterum observetur; vocemque illam, Immaculatæ, non
 „ ad Conceptionem, sed ad B. Virginem referri Pontificem

„ voluisse , ut appareret , ipsum , cum ex precepto eam
 „ solemnitatem observari juberet , noluisse controversiam
 „ definire. Quin etiam , cum ea Bulla in quadam Italica
 „ Civitate typis impressa esset cum titulo : Ut festum
 „ Immaculatae Conceptionis B. Mariae &c. vehementer ma-
 „ gnus ille Pontifex ea de re conquestus est , ac die 12. Octo-
 „ bris anni 1709. Ordinario loci mandauit , ut eos acriter
 „ reprehenderet , qui typis eam Bullam cum adulterino hu-
 „ jusmodi titulo imprimendam curaverant , eamque in eum
 „ modum impressam suppressi jussit , & luce publica pro-
 „ hiberi. num. 208. Illud satis erit , hic iterare , quæ de
 „ Canonizat. docuimus , nimirum verè dici non posse , Im-
 „ maculatam Conceptionem veluti fidei articulum esse defi-
 „ nitam , etiamsi Apostolica autoritate festum Immacula-
 „ tæ Conceptionis B. Virginis celebretur. Hucusque Sum-
 „ mus Pontifex. Jam quæro ab Adversariis , an hæc
 „ duo idem sint : Festum Conceptionis B. Virginis Imma-
 „ culatæ , & festum Immaculatæ Conceptionis. Si idem
 „ sunt , cur unum Pontifex concedit , alterum cum
 „ indignatione prohibet? Si autem diversa sunt , prout
 „ certissimè sunt diversa , ut quid mihi indignamini ,
 „ meque Mariophilorum odio exponitis , qui hæc duo
 „ tanquam diversa recensui ? Si Pontifici licuit , tam
 „ in lingua Italica , quam Latina scribere ; quod fide-
 „ les vulgo , hoc est passim , sequantur piam senten-
 „ tiam ; & quod juxta Bellarminum festum Conceptionis
 „ B. Virginis celebrari possit , quin necessariò creda-
 „ tur , esse sine peccato conceptam , qua conscientia
 „ me traducitis , quod scripserim , me confidere , hoc
 „ tempore à plerisque celebrari hoc festum justa mén-
 „ tem piæ sententiae. Investigate Lexica antiqua & ve-
 „ tera ; an aliud sit , vulgo ita fieri , aut credi ; passim
 „ ita fieri , aut credi , à plerisque ita fieri , aut credi. Si
 „ non evidenter agnoscitis , hanc Summi Pontificis

„ declarationem esse contrariam vestris calumniis , cur
 „ eam celâstis iis , quos laudatis , Mariophilis? Nempe
 „ patuisset calumnia. Immò cur Apologista in suis
 „ venenatis foliis alto silentio pressit hunc textum de-
 „ cretorium Pontificis ? Quomodò sine actorum pœ-
 „ nitentiâ , prout Salvator Math. 23. vers. 33. monet,
 „ fugietis à judicio gehennæ , qui hominem à juventute
 „ laborantem pro decore & disciplina Ecclesiæ , ubi
 „ hujus mentem proponit apertè ac candidè , tam te-
 „ merè cum publico fidelium scandalò vocatis in ca-
 „ lumniam? Hæc Adversarius.

DEFENSIO.

227 **P**ergit D. Amort suam cantare cantile-
 nam auribus Marianis minimè accep-
 tam , & magis magisque eam , quam intus de Virginis
 Illibatae cultu ac festo , mysterioque fovet , opinionem
 manifestat ; qui ait quidem , virus & calumnias Reli-
 gioso calamo indignas me evomere , sed videat , ne
 majori jure hæc de ipso dici valeant , quod aliis arbi-
 trandum relinquuo. Ego verò similia dieteria , quæ li-
 cèt satis aperta , sed molesta tamen veritas extorsit Cri-
 tico , hilari mente pro honore Virginis sine labore con-
 ceptæ eò lubentius suscipio , quo magis etiam pro co-
 dem trendo sanguinem fundere sum paratus. Ast mis-
 sis istis , ad rem ipsam properandum est.

Ante omnia sciendum , quòd D. Amort non re-
 ferat totum argumentum , prout illud impugnavi , ut
 simul meam Defensionem , ad quam multa ex parte ni-
 hil respondet , dissimulare possit. Igitur in synopsi
 tantum referre volo , quæ in Adversarii argomento ,
 quod in justa mea Defensione pag. 538. totum videri
 potest , displicuerunt. Primo non videbatur sustinen-
 da

da illa Critici propositio nūdē prolata, quōd Docto-
res quoad institutionem festorum sīt os Ecclesiæ. Se-
cundō multō magis displicuit, quōd D. Thomas cir-
ca festum Conceptionis B. Virginis sīt os Ecclesiæ:
cūm tempore S. Thomæ Ecclesia Romana nondum
festum hoc celebraverit. Tertiō non placuit, quōd D.
Amort affirmet, supponere D. Thomam celebrari diem
Conceptionis quoad corpus: hoc enim suppositum fal-
sō affingitur Doctori Angelico. Quartō peculiariter
reprehendi, quōd Adversarius explicando celebratio-
nem festi Conceptionis B. Virginis Mariæ juxta sensum
S. Thomæ, videatur contravenire sensui fidelium, &
Constitutionibus Pontificiis. Hæc omnia pluribus ci-
tato Defensionis meæ loco dilucidata hīc omittit Cri-
ticus: adducit tamen alia, quæ nunc ut ordinatè ex-
pendam, ea in sequentia puncta divido. Primum osten-
det, quām infideliter alleget D. Amort Opera SS. D.
N. BENEDICTI XIV. Alterum deteget, quām alic-
nām à sensu Ecclesiæ, & Constitutionum Pontificia-
rum, opinionem circa mysterium & cultum Illibatæ
Conceptionis Deiparæ Adversarius tueri audeat. Ter-
tium tandem reliqua Critici asserta expendet.

Punctum 1. textus ex operibus aureis SS. D. N.
BENEDICTI XIV. infideliter non sine injuria tanti
Pontificis allegantur; ut fallacia Critici omnium ocul-
lis palam fiat, textus ipsos BEATISSIMI PATRIS
NOSTRI, sicut in celeberrimo Comentario de festis
Part. 2. leguntur, hīc (quantum ad propositum necēsē
est) integros pono. Ex quo amicus, & Marianus Lector
intelliget, Adversarium nunc tantum allegasse, quæ
SS. D. N. solū narrando, non verò afferendo, ex
aliis retulit, nunc studiosè omisissē, quæ menteim Au-
thoris declarare possent. Textus SS. D. N. citato loco
tales sunt.

CLXXXVI.

De Conceptione Passiva hic agitur. Variae Theologorum Propositiones, quibus exprimitur B. Mariæ Immaculata Conceptio. Hanc sententiam non exprimeret, qui eam sanctificatam diceret in utero. Apostolica Sedes favet Immaculatae Conceptioni.

228 „ **N**ON hic de activa Conceptione ser-

„ mo est, sed de passiva, quæ pura
 „ & Immaculata fuisse dicitur. B. enim Virgo ab ori-
 „ ginali labe fuit immunis, & à communi omnium
 „ hominum contagione libera per gratiam sanctifi-
 „ cantem, quam Deus illi indidit in primo Concep-
 „ tionis momento, cùm anima corpori jam membris
 „ suis instructo unita fuit. Quæ igitur leguntur Pro-
 „ positiones apud Theologos, qui tractant hoc argu-
 „ mentum, omnes consentiunt: *Conceptio B. Virginis*
 „ *est Immaculata*; vel *B. Virgo in eo puncto temporis, quo*
 „ *anima corpori unita est, ab originali peccato munda fuit*
 „ *& immunis*; vel *B. Virgo præveniente gratia nunquam*
 „ *actu originali peccato subdita fuit*; vel *B. Virgo primo*
 „ *existentiæ sue momento fuit sanctificante gratia prædicta*:
 „ vel denique *B. Virgo ab originali peccato servata fuit*.
 „ At non satis B. Mariæ Immaculatam Conceptionem
 „ verbis significaret, qui eam, antequam prodiret ex
 „ utero, sanctificatam diceret; nam Hieremias, dum
 „ esset in utero Matris, sanctificatus fuit: *antequam*
 „ *exires de vulva, sanctificavi te*. Hierem. cap. 1. Et de
 „ Joanne Baptista scribit Lucas cap. 1. *Spiritu S. reple-*
 „ *bitur adhuc ex utero matris suæ*. Uterque tamen ori-
 „ *ginalem labem contraxit*. Itaque quidquid id est, in
 „ *momento consistit, quo infunditur gratia*. Qui igi-
 „ *tur sententiam sequitur Immaculatae Conceptionis*
 „ *Ma-*

„ Mariæ, unam ex paulo superius allatis Propositione
 „ nibus adhibet ad eam sententiam declarandam, quæ
 „ Propositiones non tantum eam significant in utero
 „ fuisse sanctificatam, sed etiam gratiam illi sanctifi-
 „ cantem in ipso momento fuisse infusam, cum cor-
 „ pori anima unita fuit, ita ut sanctissima foemina à
 „ communi omnium originali labo fuerit immunis,
 „ in quam sententiam firmissimis fultam fundamentis
 „ propendet Apostolica Sedes, eamque vulgo fideles
 „ amplectuntur: quamobrem Petavius Theologic.
 „ Dogmat. L. 14. cap. 2. num. 10. in eam se inclinare
 „ declarat: *moyet autem me, ut in eam sim partem pro-*
 „ *pensionis, communis maximè sensus fidelium omnium, qui*
 „ *hoc intimis mentibus, alteque defixum habent, & qui-*
 „ *bus possunt indiciis, officiisque testantur, nihil illa Virgine*
 „ *castius, purius, innocentius, alienius denique ab omni*
 „ *sorde ac labo peccati procreatum à Deo fuisse; tum verò*
 „ *nihil cum inferis, & horum rectore Diabolo, adeoque*
 „ *cum qualicunque Dei offensa, & damnatione commune*
 „ *unquam fuisse.*

CCVIII.

Falso quidam putant, à Sede Apostolica definitum hunc
 Articulum. Clemens XI. id re ipsa
 testatus est.

229 „ Quidam devotione tacti erga B. Virgi-
 „ nem tot jam Sedis Apostolicæ
 „ actis sententiæ de Immaculata
 „ Conceptione ad stipulantibus, eam opinionem arbî-
 „ trati sunt declaratam esse fidei articulum. Id verò
 „ probari non potest; festum enim Conceptionis ce-
 „ lebrari potest, etsi nihil Ecclesia de mysterio defi-
 „ nicit, atque ita sensit Bellarminus controvers. tom.

„ 2. lib. 3. cap. 16. fundamentum hujus festi præcipuum
 „ non esse Conceptionem Immaculatam, sed simpliciter Con-
 „ ceptionem Matris Dei futuræ: qualisunque enim fuerit
 „ illa Conceptio, eo ipso, quod Conceptio fuerit Matris Dei,
 „ singulare gaudium affert mundo ejus memoria. Tunc
 „ enim primum habuimus pignus certum Redemptionis, præ-
 „ sertim cum non sine miraculo ex matre sterili concepta
 „ fuerit. Itaque hoc festum etiam illi celebrant, qui putant
 „ Virginem in peccato conceptam. Bellarmini responsio-
 „ nemi amplectitur Cardinalis Gottus in opere suo ad-
 „ versus Piceninum Italicè scripto, ubi pulchre ani-
 „ madvertit, Constitutionis, quam edidit CLEMENS
 „ XI. hunc esse titulum: *ut festum Conceptionis B. Ma-*
 „ *riae Virginis Immaculatae de præcepto ubique in posterum*
 „ *obseretur, vocemque illam Immaculatae, non ad*
 „ *Conceptionem, sed ad B. Virginem referri Pontifi-*
 „ *cem voluisse, ut appareret, ipsum, cum ex præcep-*
 „ *to observari eam solemnitatem juberet, noluisse con-*
 „ *troversiam definire. Quin etiam cum ea Bulla in qua-*
 „ *dam Italiae Civitate typis impressa esset cum titulo*
 „ *ut festum Immaculatae Conceptionis B. Mariæ &c. vehe-*
 „ *menter magnus ille Pontifex ea de re conquestus est,*
 „ *ac die 12. Octobris anni 1709. Ordinario loci man-*
 „ *davit, ut eos acriter reprehenderet, qui typis eam*
 „ *Bullam cum adulterino hujusmodi titulo imprimen-*
 „ *dam curaverant; eamque in eum modum impressam*
 „ *supprimi jussit, & luce publica prohiberi.*

CCIX.

Suarez putat ab Ecclesia Conceptionem celebrari
ut Sanctam, & Immaculatam.

230

" **C**ontra Suarez in 3. Part. D. Thoinæ
" tom. 2. quæst. 27. art. 2. disp. 3. sect.
" 5. strenuè tuetur, in festivitate Conceptionis ab
" Ecclesia Conceptionem ut sanctam, Immaculatam
" que celebrari; ac rationes, quas profert, fatemur
" esse gravissimas; non est nostrum Theologicis hisce
" quæstionibus implicari. Illud satis erit hic eadem
" iterare, quæ primo Tomo de Canonizat. Sanctor.
" docuimus cap. 42. num. 13. & sequent. nimirum ve-
" rè dici non posse, Immaculatam Conceptionem ve-
" luti fidei articulum esse definitam; etiamsi Apostoli-
" ca Authoritate festum Immaculatæ Conceptionis B.
" Virginis celebretur, cum præsertim concessis offi-
" cio, & Missa, & festo ad ritum duplicis evesto Pau-
" lus V. Gregorius XV. Alexander VII. declaraverint,
" controversiam non esse iudicio definitam. Præterea
" Christiani Orbis potentissimi, & maximi Reges à
" Summis Pontificibus Urbano VIII. & Alexandro VII.
" postularunt, ut rem veluti fidei articulum decide-
" rent, qui tantorum Principum precibus se non passi
" sunt exorari. Nuperrimè cædem instauratae sunt pre-
" ces apud Clementem XII. qui post præceptum Cle-
" mentis XI. ut Conceptionis festivitas ab omnibus
" celebraretur, terminos Prædecessorum suorum trans-
" gredi noluit, ut appareret quodam scripto Romæ ty-
" pis edito, de quo superius à Nobis mentio facta est.

Declaratio Authoris in hac controversia.

231

Quamobrem huic sermoni nostro finem imponentes declaramus, toto nos animo Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ sequi sententiam, Ecclesiæ, Sedis, que Apostolicae propensionem in eam sententiam demissè venerari, firmiter tamen allatis Pontificum Romanorum Constitutionibus adhærere, eosdem, que arbitramur esse sensus Universitatis Parisiensis, qui sunt cæterorum Theologorum etiam Italorum; ea enim declaravit sententiam suam esse, B. Virginem sine macula esse conceptam &c. Subjungit tandem, hanc sententiam piam, non obstante Ecclesiæ in eam propensione, non esse definitam tanquam articulum fidei. Hucusque Summus Pontifex erga quem proin infidelis, & injurius est D. Amort, dum dicit, se decretoriam illius in hac materia sententiam attulisse, cum tamen nec verbulum de numero illo, in quo mentem, & sententiam suam Sanctissimus de Immaculata Conceptione Deiparæ protulit, ausus fuerit adducere. Hanc infidelitatem ac injuriam auget, dum verba Eminentissimi Gotti, quæ à BEATISSIMO PATERE solum recitantur, & non afferuntur quoad punctum hic controversum, seu quoad objectum, & fundamentum festi Conceptionis Virgincæ Matris, cum positiva protestatione, quod hisce Theologicis questionibus se nolit implicare, ab Amort venduntur pro decretoria ejusdem SS. Pontificis sententia, ex qua constet, non esse idem festum Conceptionis B. Virginis Immaculatæ, & festum Immaculatæ Conceptionis. Secundam istam fallaciam ut alio dolo occultaret Cri-

ti-

ticus, etiam omisit protestationem illam, quæ se supra Gotti & Suarezii dicta reflectit, & qua affirmat SS. Pontifex, se nolle implicari hisce Theologicis quæstionibus, præsentem controversiam tangentibus; ut pote cuius intento, quod ibi tractabat, suffecit, quòd verè dici non possit, Immaculatam Conceptionem veluti fidei articulum esse definitam, etiam si Apostolica Authoritate festum Immaculatæ Conceptionis B. Virginis celebretur. Quo in puncto, sicut & in aliis BEATISSIMUS PATER Agredanos habet sibi omnino consentientes.

Verùm progrediendum ulterius. SS. D. N. hic se remittit ad lib. I. de Beatif. cap. 42. num. 13. & seq. adjuncta ipsa allegatione mox posita, quam Criticus iterum videtur ex propofito non addidisse; adducto enim loco clarè patet, SS. D. Nostrum in præsenti materia dissidere penitus à Doctrina Amortiana. Nam citato num. 13. & seq. Summus Pontifex statuit, ad hoc, ut cultus, festum, indulgentiæ à SIXTO IV. in honorem Illibatæ Virginis potuerint concedi, sufficiè (NB) *moralement certitudinem* de Immaculata Conceptione, quæ objectum hujus cultus &c. est. Verba ejus sunt: „ Ponderata Sixti IV. Constitutione (quæ „ incipit: *Grave nimis tit.de Reliq.& Venerat.Sanctor.* „ inter Extravag. com.m. ubi festum, indulgentias, & „ alia concedit in honorem Conceptionis Immaculatæ „ B. Mariæ Virginis, de qua infra) docet Cajetanus in „ 3. Part. D. Thomæ quæst. 27. art. 2. ita dicens: quòd, „ si de intentione ejus (hoc est Sixti) ut versatur circa „ opinionem utramque, adversantem videlicet & fa- „ ventem Immaculatæ Conceptioni, agatur, tunc ali- „ ter dicendum est, scilicet, quòd opinionem de præ- „ servatione tenuit determinatè, licet non de fide esse „ veram. Scilicet ad ea omnia prudenter peragendā

sufficit (NB) moralis certitudo; quemadmodum be-
nè prosequitur P. Theophilus Raynaudus. (Hic in-
seritur textus sat longus Raynaudi, & additur alias
Natalis Alexandri, uterque videri potest laudato loco)
modò pergit num. 14. suis verbis Sanctissimus: „ Ref-
„ picit, nempe Theophilus Raynaudus, & unà cum
„ eo Natalis ad cultum Beatæ Mariæ Virginis, ut fin-
„ gulari privilegio à peccato originali in sua Concep-
„ tione servatæ: super qua quidem re plures prodie-
„ runt Romanorum Pontificum Constitutiones Sixti
„ videlicet IV. S. Pii V. Pauli V. Gregorii XV. Ale-
„ xandri VII. & (NB) Clementis XI. quæ in unum
„ collectæ legi possunt in Notis ad Quilielnum Estium
„ Tom. 2. Edit. Neapol. 1720. pag. 8. & ex quibus cla-
„ rè desumitur unanimis corum propensio erga sen-
„ tentiam, quæ B. Virginem Mariam à peccato origi-
„ nali servatam in sua Conceptione adstruit atque con-
„ firmat.

232 Hæc SANCTISSIMUS NOSTER. Ex qui-
bus iterum evidens est, Clementem XI. ex mente
SANCTISSIMI NOSTRI in sua Constitutione de
festo Conceptionis B. Virginis Mariæ Immaculatæ, res-
pexisse cum aliis Pontificibus unanimi consensu ad cul-
tum ejusdem Sanctissimæ Deiparæ, ut in sua Concep-
tione Immaculatæ, ac sic ostendisse propensionem suam
erga Conceptionem Mariæ Immaculatam. Ergò ex
mente Sumini Pontificis utriusque, Clementis XI. &
moderni felicissimè regnantis, certissimè non est aliud
festum Conceptionis B. Virginis Immaculatæ, & festum Im-
maculatæ Conceptionis, ut cuiilibet ad oculum patet. Quid
dein vult sibi illud (NB) opinionem Immaculatæ Concep-
tions? nimirum per hoc indicat Adversarius, ex assertis
Summi Pontificis sequi, non esse moraliter certum, B.
Virginem esse sine labe conceptam, & esse meram opi-

nionem solum probabilem: at hoc certò falsum est; nam S. Pontifex illo loco non accipit opinionem in sensu illo logico, & presso, pro sententia adhuc in utramque partem disputabili, sed latiore pro quacunque assertione, sententia ac placito, cum eam sententiam esse moraliter certam presupponat ad ordinaciones Sedis Apostolicæ circa cultum, & festum Immaculatae Conceptionis sapientissime, & prudentissime factas.

233 Neque prætermittenda est alia fraus Adversarii, cuius se reum facit in allegandis, & suæ doctrinæ applicandis verbis SS. D. N. BENEDICTI XIV. dum ex Part. 2. Comment. de Festis numerum 186. mutilum solum adducit. Si enim integrum produxisset, clarè patueret mens S. Pontificis contraria Amortiano asserto, quo contenditur, *vulgò*, id est, secundum D. Amort, à *plerisque*, non verò ab omnibus fidelibus modò agi festum Conceptionis B. Virginis juxta mentem piæ sententiae. Hanc suam doctrinam fundat Criticus in unica vocula, *vulgò*, nam juxta illum *vulgò ita fieri*, & credi, est perinde ac *passim*, & à *plerisque ita fieri* &c. Verum secundum me *vulgò* idem est, ac *communiter*, & licet Tò *communiter*, & *vulgò* saepe sumantur pro eo, quod *passim* & *plerumque* contingit; hoc tamen non procedit, quando per subsequentia dicta ejusmodi particula ad universalem, & nullatenus restrictam significationem extenditur &c. ut si dico: *hoc vulgò seu ab omnibus fit*: item *hoc vulgò sentitur*, *seu est communis omnium sensus*. Iam videamus, an S. Pontifex in sensu restricto Amortiano, vel alio universaliter ad omnes extenso locutus fuerit. Verba BEATISSIMI PATRIS sunt ista citato à me superius integro textu: *in quam sententiam (de Immaculata Conceptione) firmissimis fultam fundamentis propendet Apostolica Sedes*,

etamque vulgo fideles amplectuntur: hucusque Adversarius solum allegare fuit ausus textum, reliqua vero, quibus priora, maximè Tò vulgo, explicantur, fraudulenter subticuit: sed pergit BEATISSIMUS PATER: quam ob rem (id est, quia eam vulgo fideles amplectuntur) Petavius in eam se inclinare declarat: moveat autem me (sic loquitur cum Petavio Sanctissimus) ut in eam partem sim propensior (NB) communis maxime sensus fidelium omnium &c.

234 Quid clarius? Sed etiam dato, ac transmiso, quod Tò vulgo sensum restrictiorem in Commentario laudato patiatur, & à SANCTISSIMO dicatur, quod plerique, seu non omnino omnes sententiam de Immaculata Conceptione amplectantur, nihilominus haec assertio longissimè recederet à sensu Amortiano; quamvis enim ex mente Pontifica aliqui, sive ex malitia, sive ex ignorantia etiamnum festum Conceptionis non agerent, respiciendo eam ut Immaculatam, animus tamen hujus Sanctissimi, & Virgini Illibatae devotissimi Pontificis nunquam fuit asserere, quod Clemens XI. suo Decreto non respexerit ad piam sententiam, & quod, postquam Clementina ordinatio festum Conceptionis Virginis Immaculatae voluit cadere sub præceptum, fideles illud celebrantes non debeant respicere pro objecto, & fundamento sui cultus Virginem in sua Conceptione à macula immunem. Similis assertio nullatenus legitur in libris Sapientissimi Pontificis, sed potius directè contraria, ut ex dictis liquidum est: ergo in hoc punto, esto transmitteretur, quod Tò vulgo citato loco sensum illum restrictiorem haberet, Amortius tamen nihil pro se posset elicere, utpote qui ejusmodi dictis id tandem & ultimò inferre cupit, quod certissimè aliud sit Conceptio Virginis Immaculatae, & Immaculata Conceptio, quodque etiam post Clementem XI.

ab aliquibus negantibus Immaculatam Conceptionem,
possit licet festum Conceptionis agi absque respectu ad
eam ut Illibatam.

235 Ex hactenus fideliter relatis, & diligenter in-
ter se collatis dictis BEATISSIMI PATRIS NOSTRI
jam concluditur , Criticum injuriam palmarem intu-
lis sapientissimis libris ejusdem Sanctissimi , dum eo-
rum textu & truncato , & inepte allegato contra ex-
pressum ejus sensum , sua Anti-Mariana dogmata te-
gere , & ut ita dicam , palliare , ac falsò sic scribere
non erubuit : profiteor publicè , me semper fuisse zelosum
*Defensorem Immaculatæ Conceptionis B. Virginis in eo sen-
su , quem SS. D. N. BENEDICTUS XIV. in suo opere de
festis exprimit.* Alio planè sensu , alio affectu , quam D.
Amort erga Mysterium Immaculatæ Conceptionis fer-
tur hic piissimus , & Illibatæ Virgini addictissimus
Pontifex , de quo Plaza Act. 5. art. 2. pag. 453. num.
243. scribit : SS. D. N. BENEDICTUS XIV. qui antea
sub nomine Prosperi de Lambertinis Archiepiscopi Bononien-
sis piam sententiam in suis doctissimis lucubrationibus lib.
1. de Beat. cap. 24. num. 14. & Part. 2. annot. super fe-
sta præsertim num. 186. mirificè illustraverat ; ubi primùm
ad Apostolicum Thronum electus est , suum erga origina-
lem B. Virginis Innocentiam studium & pietatem contesta-
ri cœpit : cum (NB) Immaculatæ Conceptionis titulum , to-
ties ab adversariis impeditum , nedum ab omnibus , & ubi
que usurpari liberè mandavit , sed in ipsis etiam Ecclesiasti-
cis , suisque ac Sacrarum Congregationum edictis emicare
voluit. Hæc Plaza. Quibus addi debet , quod idem
SANCTISSIMUS ex singularissima pietate erga Vir-
ginem Immaculatam festo Conceptionis illius ordina-
verit Capellam Pontificiam in Basilica S. Mariæ Ma-
joris singulis annis habendam , ut testatur ipse SAN-
CTISSIMUS Part. 2. Comment. de festis num. 207.

Et

Et huic erga Mysterium Conceptionis Illibatae Devotissimo Pontifici non veretur D. Amort affingere eam doctrinam , quæ cum cultu & festo hujus Mysterii haud convenit ? Quàm benè putas eum idcirco esse de B. Deipara , & BEATISSIMO PATRE N. BENEDICTO meritum?

236 Punctum secundum. Detegitur Doctrina Amortiana aliena à Constitutionibus Apostolicis , circa cultum Immaculatæ Conceptionis editis.

Doctrina Amortiana (ut ex allato ejus arguento liquet) consistit in hoc , quòd fundamentum festi Conceptionis B. Virginis , & objectum cultus , qui citato festo impenditur Deiparæ à fidelibus , non sit necessariò Conceptio Immaculata , sed simpliciter Conceptio Matris Dei futuræ , abstrahens scilicet , an fuerit Immaculata , nec ne , quodque etiam illi , qui putant B. Virginem esse in peccato conceptam , ritè celebrant hoc festum , suffragante illis Clemente XI. qui festum Conceptionis Virginis Immaculatæ , non vero Immaculatæ Conceptionis sub præcepto omnibus fidelibus injunxit agendum : conformiter huic suæ doctrinæ quoque asserit , certissimè esse aliud festum Conceptionis B. Virginis Mariæ Immaculatæ , & festum Immaculatæ Conceptionis.

237 His dictis clarè impingit Criticus contra Constitutionem Alexandr. VII. *sollicitudo omnium Ecclesiarum* , cuius fragmentum jam in Defensione justa pag. 540. positum , hic denuò in memoriam Adversarii revocare juvat , quia ejusdem videtur jam iterum esse oblitus. Sic sonat : „ Sanè vetus est Christi fidelium erga ejus B. Matrem Virginem Mariam pietas , sentientium , ejus animam in primo instanti creationis , atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia & privilegio , intuitu meritorum Jesu Christi ejus filii ,

„ humani generis Redemptoris , à macula peccati ori-
 „ ginalis præservatam , immunem , atque in hoc sensu
 „ ejus Conceptionis festivitatem solemnri ritu colentium &
 „ celebrantium ; crevit horum numerus , atque hujus-
 „ modi cultus post editas à Fel. Record. SIXTO PP.
 „ IV. Prædecessore nostro in ejus commendationem
 „ Apostolicas Constitutiones , quas Sacrum Tridenti-
 „ num innovavit , atque observari mandavit. Pergit
 „ dein Pontifex , & §. 4. ulterius subjungit : Nos con-
 „ siderantes , quod S. Romana Ecclesia de Intemerata ,
 „ semperque Virginis Mariæ Conceptione festum so-
 „ lemniter celebrat , & speciale ac proprium super
 „ hoc officium olim ordinavit juxta piam , devotam ,
 „ ac laudabilem institutionem , quæ à SIXTO IV.
 „ Prædecessore nostro tunc emanavit , volentesque
 „ laudabili huic pietati & devotioni , & festo ac cultui
 „ secundum illam (piam sententiam) exhibito in Ec-
 „ clesia Romana , post ipsius cultus institutionem nun-
 „ quam immutato , Romanorum Pontificum Præ-
 „ decessorum nostrorum exemplo favere , necnon tue-
 „ ri pietatem & devotionem hanc (NB) colendi & ce-
 „ lebrandi B. Virginem , præveniente scilicet Spiritus
 „ S. gratia , à peccato originali præservatam , cupien-
 „ tesque in grege Christi unitatem Spiritus in vinculo
 „ pacis Constitutiones , & Decreta à Romanis Ponti-
 „ ficibus , præcipue à SIXTO IV. PAULO V. & GRE-
 „ GORIO XV. edita in favorem sententiæ afferentis ,
 „ animam B. Virginis in sui creatione , & in corpus
 „ infusione , Spiritus S. gratia donatam , & à peccato
 „ originali præservatam fuisse , necnon & in favorem
 „ Festi , & Cultus Conceptioni ejusdem Virginis Dei-
 „ paræ secundum piam sententiam , ut præfertur , ex-
 „ hibiti innovamus , & sub censuris , ac poenis in iis-
 „ dem constitutionibus contentis , observari manda-
 „ mus .

mus. Dein §. 5. addit: Insuper omnes & singulos,
 qui præfatas Constitutiones, seu Decreta ita per-
 gent interpretari, ut favorem per illas dictæ sen-
 tentiæ, & (NB) festo, seu cultui secundum illam
 exhibito fruſtrentur, vel qui hanc eandem piam sen-
 tentiam, (NB) festum, seu cultum in disputationem
 revocare, aut contra ea quoquo modo, directè, vel
 indirectè, aut sub quovis prætextu, etiam (NB) de-
 finibilitatis ejus examinande, sive Sacram Scripturam,
 aut SS. Patres, sive (NB) Doctores glossandi, vel in-
 terpretandi, denique alio quovis prætextu, seu occa-
 sione scripto, seu voce loqui, concionari, tractare,
 disputare, contra ea quidquam determinando, aut
 afferendo, vel argumenta contra ea afferendo, &
 insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo
 differendo ausi fuerint, præter poenas, & censuras, in
 Constitutionibus SIXTI IV. contentas, quibus illos
 subjacere volumus, & per præsentes subjicimus,
 etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi,
 & interpretandi facultate, ac voce activa & passiva
 in quibuscumque electionibus eo ipso, absque alia
 declaratione privatos esse volumus &c. item libros,
 quibus præfata sententia, festum, seu cultus secun-
 dum illam in dubium revocatur, aut contra ea quo-
 modocunque aliquid scribitur &c. prohibemus sub
 poenis, ac censuris in indice librorum prohibitorum
 contentis, & ipso facto absque alia declaratione pro-
 expresè prohibitis haberi volumus &c. ita ALEX-
 XANDER VII.

238 Nunc liceat quærere, an non clarè & aper-
 tè eò collimet Adversarius suis Crisibus, ut favorem
 per Constitutiones Pontificias piæ sententiæ, & (NB)
 festo agendo secundum illam piam sententiam exhibi-
 tum fruſtretur? item an non festum, & cultum se-

cundūm piām sententiam impendendum in dubium rē
vocet , contra eum disputet ? Sanè adeò aperta est
Amortianā transgressio hujus Constitutionis , & alia-
rum in ea allegatarum , ut nulla alia ratione excusari
valeat , quām per ignorantiam ipsius Constitutionis ,
quæ an locum inveniat in viro , qui omnia vult scire ,
nescio : sciverit ipse , qui suam si excuteret hac in par-
te conscientiam loco aliarum excussionum , quas in
se suscipit , majorem fortè fructūm inde repor-
taret .

Neque confugere poterit Criticus ad Decretum
CLEMENTIS XI. prout tamen libenter faceret ; etenim
CLEMENS nihil immutavit de valore Constitu-
tionum priorum Pontificum , quas uti D. Amort est
transgressus , ita videat , quomodo à poenis ibi taxa-
tis se possit eximere . Imò secundò . Idem CLEMENS
XI. in Constitutione , qua festum Conceptionis B. Vir-
ginis Mariæ Immaculatæ de præcepto esse statuerat ,
declarat se more aliorum suorum Prædecessorum cul-
tum & venerationem velle promovere glorioissimæ
Dei Genitricis , cuius Conceptio gaudium annuntia-
vit universo mundo . Unde nihil voluit derogare cul-
tui , & festo secundūm piām sententiam ex Indulto
Prædecessorum aliorum Pontificum celebrato , sed po-
tius pristinos favores concessos voluit ampliare & au-
gere . Atque ideo eundem ipsum cultum & festum , qui
priùs ex mente aliorum Pontificum pro objecto respe-
xit Immaculatam Conceptionem Virginis , jussit CLE-
MENS deinceps agi sub præcepto , & ex obligatione
ab omnibus & singulis (ita enim sonant verba Decreti)
& non à plerisque solum Christi fidelibus . Id quod ter-
tiò comprobat iam sèpius laudatus Sanctissimus D. N.
BENEDICTUS XIV. qui lib. 1. de Beatif. cap. 42.
num. 14. (verba ejus sunt superiùs allegata) testatur ,

CLEMENTEM XI. Decreto isto respexit ad *Immaculatam Conceptionem* seu fundamentum, vel objectum cultus, ac festi hujus.

239 Ut autem Adversario scrupulos eximam, quos sibi contra mentem Constitutionum Pontificiarum confinxit ex malè allegato, & pejus applicato præstantissimo opere SS. D. N. in quo Gotti dicta duntaxat referuntur, non verò approbantur, affero eorum clarissimam juxta ac solidissimam resolutionem à Doctissimo P. Benedicto Plazza in libro *Causa Immaculatae Concept.* vocato Act. 5. art. 2. à num. 223. datam. Sic loquitur celeberrimus hic Defensor originalis Innocentiæ Marianæ. Perdoctus Magister Ludovicus Gotti Ord. Præd. S. R. E. postea Cardinalis dignissimus, in opere, cui titulus: *La vera Chiesa di Christo de mostrata &c.* Jacobo Picenino de antilogia arguenti ALEXANDRUM VII. quod dixerit, Conceptionem Virginis Immaculatam se nolle decidere, cùm tamen ejus festum approbando re ipsa deciderit; respondet primo illis Bellarmini verbis L. 3. de Cult. Sanct. cap. 16. pag. 514. & seq. tom. 2. fundimentum hujus festi præcipuum non est Conceptio Immaculata, sed simpliciter Conceptio Matris Dei futuræ. Qualiscunque enim fuerit illa Conceptio, eo ipso, quod Conceptio fuerit Matris Dei, singulare gaudium affert mundo ejus memoria, tunc enim primum habuimus pignus certum Redemptionis &c. Tum addit Laudatus Magister: huc respexit CLEMENTENS XI. in sua Constitutione pro dicto festo 6. Decembbris 1708. cuius Conceptio gaudium annuntiavit universo mundo. Atque ut nemo sibi persuadeat, voluisse illum hoc factò controversiam decidere, non illud appellat festum Immaculatae Conceptionis B. Mariæ Virginis, sed festum Conceptionis B. Mariæ Immaculatae.

Non

240 „ Non diffitemur , CLEMENTEM XI. præ
 „ cipiendo festum Conceptionis B. Mariae Virginis no-
 „ huissē tanquam fidei dogma decidere præsentem con-
 „ troversiam , sicut nec decidere voluit ALEXANDER
 „ VII. contendimus tamen , festum à CLEMENTE
 „ præceptum , non esse de Conceptione utcunque Ma-
 „ tris Dei futuræ , sed de ipsius Conceptione sancta &
 „ Immaculata , atque ab originali peccato præser-
 „ vata.

„ Ratio est manifesta : festum quod in universa
 „ Ecclesia sanctum haberi mandavit CLEMENS , est
 „ illud idem , quod SIXTUS IV. olim instituit , & pro
 „ quo speciale ac proprium Officium ordinavit , &
 „ thesauros Indulgenciarum aperuit : illud , quod
 „ GREGORIUS XV. non sub alio titulo , quam Con-
 „ ceptionis , in sacro sancto Missæ Sacrificio & Divino
 „ Officio (ubi ea Conceptio sancta , & cultu dignissi-
 „ ma prædicatur) celebrandum mandavit ; illud etiam ,
 „ quod ALEXANDER VII. à Romana Ecclesia , cul-
 „ tu nunquam immutato juxta piam sententiam cele-
 „ brari declaravit ; illud denique , quod , teste eodem
 „ ALEXANDRO , omnes ferè Christi fideles ex spon-
 „ tanea pietate jam diu frequentabant . Quis enim cre-
 „ dat , quod CLEMENS XI. hunc Dei Genitricis cul-
 „ tum Prædecessorum suorum more ampliare studens ,
 „ sincera erga eandem Coeli Reginam devotione inci-
 „ tatus , longè aliud festum universæ Ecclesiæ obser-
 „ vandum præceperit , quam quod sui Prædecessores
 „ instituerunt , comendarunt , designarunt , & quod
 „ Sancta Romana Ecclesia perpetuò celebrabat , quod
 „ que omnes ferè Christi fideles sponte sua frequen-
 „ bant?

„ Quamobrem usurpans CLEMENS ea verba : cu-
 „ jus Conceptio gaudium annuntiavit universo mun-
 „ do :

do: non eò respexit, ut significaret, in festo Concep-
tionis celebrari duntaxat Maternitatem Dei futu-
ram, sicuti non eò tantum respexit Ecclesia, eadem
verba recitans in officio Nativitatis B. Virginis Ma-
riæ. Sed verba ista utrobique indicant, Sanctitatem
Conceptionis, & Nativitatis B. Virginis idcirco tam
solemniter celebrari, quod fuerit Conceptio, & Na-
tivitas sancta, non cuiuscunque, sed Matris Dei fu-
turæ: vel potius indicant, idè sanctam & Immacu-
latam fuisse, atque adeò colendam B. Virginis, seu
Conceptionem, seu Nativitatem, quia Conceptio &
Nativitas fuit Matris Dei futuræ.

241. „ Similiter, quod CLEMENS festum istud
non appellat festum Immaculatae Conceptionis B.
Mariæ Virginis, sed festum Conceptionis B. Mariæ
Virginis Immaculatae, nihil officit sensui Immacula-
tae Conceptionis: sicuti nihil officit sensui Immacu-
latæ Nativitatis, quod hoc festum non appelletur ab
Ecclesia festum Immaculatae Nativitatis, sed festum
Nativitatis B. Mariæ Virginis. Etenim perinde est,
celebrari festum ipsius Conceptionis, aut Nativitatis
B. Virginis, ac celebrari illud tanquam festum rei
sanctæ & Immaculatae. Maluit verò CLEMENS uti
illo loquendi modo, forte ut indicaret, non ipsam
propriè Conceptionem esse sanctam, & Immacula-
tam (Conceptio namque ipsa, hoc est, actio, qua
anima corpori infunditur, nec gratiæ, nec peccati
capax est) sed Conceptionem B. Virginis, sicut &
Nativitatem denominari sanctam & Immaculatam
ab ipsamet B. Virgine, quæ in sua Conceptione, si-
cut & in Nativitate fuit sancta & Immaculata.

242. „ Illustris est de hac re locus Henrici Ganda-
vensis. tom. 2. Quodlibetor. Quodlibet. 15. Q. 3. fol.
38. col. 4. secundæ edit. &c. *Causa*, inquit, *prima-*
rig,

„ ria, & per se celebrationis festi cuiuslibet, sive Conceptionis
 „ nisi, sive Nativitatis, sive Circumcisionis, sive alicuius
 „ alterius, non est, nisi sanctitas, aut sanctificatio illius,
 „ de quo, sive in cuius honorem celebratur; non autem ipse
 „ actus Conceptionis, Nativitatis, aut Circumcisionis. Unde
 „ festum Conceptionis Christi non celebratur, nisi quia ipse
 „ in sua Conceptione secundum hominem est sanctificatus;
 „ neque festum Nativitatis, aut Circumcisionis ejus, nisi
 „ quia Sanctus erat ille, qui nascebatur, & circumcidetur.
 „ Quia tamen propter talam sanctificationem in Con-
 „ ceptione Christi, etiam ipsa Conceptio sancta est; & pro-
 „ pter ipsius Sancti Nati & circumcisii sanctitatem, & ip-
 „ sa Nativitas & Circumcisio sancta est; dico, quod causa
 „ secundaria celebrationis festi cuiuscunque dictorum, est
 „ ipse actus Conceptionis, Nativitatis, & Circumcisio-
 „ nis.

243 „ Ad Bellarminum quod attinet, in primis
 „ illa ejus sententia, qualiscunque sit, de fundamento
 „ festi Conceptionis, nostris hisce temporibus impor-
 „ tunè obtruditur; nam Bellarminus fidei controver-
 „ sias explicare aggressus est anno 1576. ut notatum
 „ habemus in Bibliotheca scriptorum Societatis Jesu,
 „ atque adeò quadraginta sex annos ante Decretum
 „ GREGORII XV. & plusquam sexaginta annos ante
 „ Constitutionem ALEXANDRI VII. cum nondum
 „ erat Apostolica autoritate satis aperte declaratum
 „ objectum cultus Religiosi, à Romana Ecclesia exhi-
 „ biti, & ab omnibus exhibendi in festo Conceptionis
 „ nisi.

„ Deinde si locus Bellarmini plenè, & integrè re-
 „ feratur, statim apparebit, id non dixisse Bellarmi-
 „ num ex propria sententia, sed juxta sententiam illo-
 „ rum, qui maculatam putabant B. Virginis Con-
 „ ceptionem, cuius nihilominus festum celebrabant.

„ Nam

„ Nam Hæreticis contra festum Conceptionis obji-
 „ cientibus, illud falso, vel saltem dubio fundamento niti;
 „ primo loco sic respondet Bellarminus: dico primò, in
 „ majori parte Ecclesiæ piè credi, B. Virginem sine peccato
 „ originali conceptam, quod etiam ex adversariis fatentur
 „ Lutherns, & Erasmus. Et similiter ad aliam instan-
 „ tiam Hæreticorum infra respondet: quia major pars
 „ Ecclesiæ piè credit Immaculatam Conceptionem, inde
 „ habuit eadem Ecclesia occasionem instituendi hoc festum.
 „ Fundamentum ergo ipsius festi, juxta mentem Bellar-
 „ mini, est ipsa Conceptio B. Virginis Immaculata.
 „ Et ideo ubi ex instituto agit de præsenti controver-
 „ sia lib.4. de Amiss. gratiæ, & statu peccati cap.15.
 „ num.35. pag.141. tom.4. ex hoc ipso festo probat,
 „ B. Virginis Conceptionem fuisse Immaculatam: To-
 „ tus, inquit, *Orbis Christianus celebrat festum diem Con-*
 „ *ceptionis Virginis Mariæ, eamque Conceptionem Imma-*
 „ *culatam vocat.* Verumtamen ut Hæreticis etiam ref-
 „ pondeat juxta sententiam paucorum illorum Catho-
 „ licorum, posteà subdit: dico secundò, fundamentum
 „ hujus festi præcipuum non esse Conceptionem Immacula-
 „ tam &c. itaque (id est, & ita) hoc festum etiam illi ce-
 „ lebrant, qui putant Virginem in peccato conceptam.

„ Severiori castigatione dignus videtur Lampri-
 „ dius cap.12. pag.90. qui eundem Bellarmini locum
 „ non modò diminutum, sed & interpolatum refert
 „ in hunc modum: *Cum apud nos etiam* (uti inquit Car-
 „ dinalis Bellarminus) *non sit certum, an B. Virgo sine*
 „ *peccato originali concepta fuerit: Ecclesia enim utramque*
 „ *opinionem permittit: & fundamentum hujus præcipuum*
 „ *non est Conceptio Immaculata, sed simpliciter Conceptio*
 „ *Matris Dei futurae.* Consule Bellarmini locum, & vi-
 „ debis; à Lampridio in unam misceri sententiam ea,
 „ quæ Bellarminus ex adversariis sibi objeccerat, & quæ
 „ ipse

„ ipse post multa illis secundo respondet. Denique
 „ quidquid obiter scripsierit Bellarminus in eo Contro-
 „ versiarum loco , de objecto festi Conceptionis , cer-
 „ tè jam senior & Cardinalis non aliud agnovit obje-
 „ ctum festi Conceptionis , quod celebretur ab Eccle-
 „ sia , nisi ipsam Dei Genitricis *Sanctam & Immacula-*
tam Conceptionem. Siquidem in voto (de quo alibi)
 „ quod quadraginta ferè annis post scriptas Contro-
 „ versias protulit in Congregatione S. R. & Universa-
 lis Inquisitionis , habita coram PAULO V. dieulti-
 „ ma Augusti anno 1617. asseveranter dixit: *Non posse*
definiri, quòd sententia communior non sit tenenda ut
 „ pia , sed ab omnibus rejicienda , ut temeraria & scanda-
 „ losa. Quia hoc esset dicere , quòd Sedes Apostolica errave-
 „ rit in approbando officio Conceptionis , & tota Ecclesia
 „ erraverit in eo recitando , quod certè falsissimum & erro-
 „ neum est. Hæc de Bellarmini mente fusiùs , quām
 „ opus erat , differuimus , ut de illis verbis , quæ tanto
 „ viro olim exciderunt , desinant & Adversarii gloria-
 „ ri , & nostri dolere.

244 „ Nodus à Picinino Catholicis objectus (sic
 „ eum vocat Cardinalis Gotti) solutionem istam,nodo
 „ ipso implicatiorem , non postulabat , sed facillimè
 „ dissolvi poterat , distinguendo cum Melchiore Cano
 „ superius laudato , duplicem Ecclesiæ decisionem,
 „ quarum una sit Articulorum fidei , altera aliarum
 „ veritatum , quæ infra certitudinem fidei , pro indu-
 „ bitatis habendæ sunt à fidelibus. A decisione primi
 „ generis in re præsenti omnino abstinere se velle , de-
 „ claravit ALEXANDER , non autem à decisione se-
 „ cundi generis.

„ Itaque quin aliquam antilogiam ALEXANDRO
 „ affingamus , meritò sustinemus , ALEXANDRUM
 „ declarando festum Conceptionis ab Ecclesia celebra-
 „ tum,

„ tum, habere pro objecto ipsam B. Virginis Concep-
 „ tionem Sanctam & Immaculatam: virtualiter & facto
 „ ipso decidisse, decisione secundi generis, eandem B.
 „ Virginis Conceptionem reverè fuisse Sanctam & Im-
 „ maculatam: quia nimurum hæc veritas ex ejusmodi
 „ festi solemnī celebrationē rectissimè colligitur, ut
 „ Actione III. §.II. abundè demonstratum est.

245 „ Ad CLEMENTEM redeamus: novimus
 „ referente Card. de Lambertinis (qui est modernus
 „ Summus Pontifex BENED. XIV.) Tom. I. Annot.
 „ in Festa Domini, & B. Virg. part. 2. num. 208. quod
 „ cùm in quadam Italiae urbe Clementina hæc Consti-
 „ tutio impressa fuisset sub hoc titulo: *ut festum Imma-
 „ culatæ Conceptionis Beatae Mariæ &c.* ipse CLEMENS
 „ die 12. Octobris anno 1709. Ordinario loci man-
 „ davit, ut istius impressionis authores severè argue-
 „ ret, ejusque exemplaria supprimeret. Sed etiam sci-
 „ mus, quod Sacra Congregatio Generalis S. Officii
 „ anno 1712. ab Inquisitore Bononiensi de permitten-
 „ do titulo Immaculatæ Conceptionis interrogata,
 „ CLEMENTE XI. prius consultò rescripsit, quod
 „ non impedit, imprimi Concisiones, aliaque Themata, in
 „ quibus Conceptioni B. Mariæ Virginis titulus Immaculatæ
 „ tribuitur. Refertur in libello de Capella Pontificia
 „ Conceptionis.

„ Non ergò displicebat CLEMENTI titulus Im-
 „ maculatæ Conceptionis, cuius ipse festum de Præcepto
 „ servandum instituerat. Sed justæ animadversionis ra-
 „ tio fuit regula illa generalis sanctè custodienda, quod
 „ exquisitè standum est verbis præscriptis in Decretis
 „ Pontificiis, nec immiscenda sunt alia pro libitu,
 „ etiamsi pia & vera, & ex affectu optimo adjiciantur,
 „ juxta mandatum illud Deuteronomii IV. 2. *Non ad-*
 „ *detis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.*

„ Hæc

246 Hæc insignis Mariana doctissimi P. Piazza responsio abigit scrupulos omnes, quos sibi D. Amort ex malè applicatis, & apud SS. D. N. BENEDICTUM recitativè, non verò assertivè adductis verbis Gotti formavit. Ex quibus tandem omnibus hic dictis id sequi existimo, quod Adversarii responsio ad meam justam Defensionem data, multum aduersetur sensui Ecclesiæ circa festum, & cultum Conceptionis Marianæ, ut pote quam illa determinatè ut *sanctam*, & originali *macula immunem* ex præcepto à Sede Apostolica omnibus, & singulis fidelibus imposito, colit festiva illa die, cum tamen Critico sufficiat eam dicto festo colere abstracthendo ab hoc, an Immaculata fuerit. Nunc ad

247 Punctum tertium, quo breviter discutiuntur reliqua responsionis Amortianæ inspersa dicta.

Primo ait: *Apologista afferit*, meam hanc doctrinam pluribus merito stomachum movisse, & in ea plura contineri, quæ cum pietate Intemeratae Virginis debita ex æquo non conveniant. *Hic* tandem virus suum, & calumnias Religioso indignas evomit, ad quas equidem sufficienter respondi in libellis Polemicis cum P. Virgilio; ut tamen me paucis expediam, remitto calumniatores ejusmodi ad tractatum meum de peccato originali, & gratia cum reliqua mea Theologia publicandum. Hæc Criticus. Ad quæ dico, doctrinam Amortianam de festo, & cultu Immaculatae Conceptionis Marianæ stomachum merito movisse variorum Ordinum Mariophilis, & quidem post decertationem habitam cum clarissimo P. Virgilio, res est in Bavaria, & ejus Vicinia omnium ore decantata. Quod manifesto est argumento, neque responsa ad objectiones Virgilianas data satisfecisse rectè sentientibus. Dein quare nihil reponit ad plura meæ Defensionis puncta, & non pauca contra ipsum congesta? Illa Defensio etiam refellit plures responses doctissimo P. Virgilio

sio redditas , ceu haud sufficienter ; sed intactas relinquit , sicut & multa alia , quæ ipsum premunt . Remittit me , & alias mecum loquentes , & sentientes (quos calumniatores more suo appellat) ad tractatum de gratia , & peccato originali publicandum cum reliqua ejus Theologia . At verò si non aliter loquitur in sua Theologia , quām in suis scriptis Anti-Virgilianis , & Anti-Agredanis , attendat , ne quid deterius sibi in Bavaria nostra Mariana accidat , & ne posteriora fiant pejora prioribus . Maximè caveat , ne repetat , quod ex mente Ecclesiae & Sedis Apostolicæ hæc duo certissimè sint diversa : *Festum Conceptionis B. Virginis Immaculatae* , & *festum Immaculatae Conceptionis* ; item quòd festum Immaculatae Conceptionis B. Virginis pro fundamento , & objecto non habeat præcipuè , necessariò , aut determinatè B. Virginem in sua Conceptione innocentem , & ab originali macula liberam . Hæc , ceu aliena à pietate fideliūm , & Sedis Apostolicæ in Immaculatam Conceptionem propensione , ac Apostolicarum Constitutio-
num tenore nolit recoquere , si boni & salutaris consiliī patiens , & adhuc capax est . Crediderit enim , ejusmodi asserta Marianis ac Bojcis auribus fore intolera-
bilia .

248 Dicit secundò , quòd Ecclesia unquam existimat , aut ullus Theologorum ante exortum Revelationum Agredanarum unquam somniaverit Conceptionem rationalem B. Virginis contigisse die 8. Decembris ad stultitias hominum phantasticorum in observationibus meis Agredanis reffero . Tam modestè D. Amort pro sua humanitate , qua solet prosequi illos , qui ipsi etiam justissimè contradicunt , occurrit Viris eruditione , & pietate clarissimis , sustinentibus , 8. Decembris contigisse Conceptionem rationalem Virgineam . Quare nihil dicit ad probationes , quas pro hac conclusione adduxi ? Con-

temptu agere etiam indoctis solemne est : ut ab his Amortius se distinguat in præsenti materia , ratione , & authoritate cum Agredanis , & Viris illis doctissimis , quos ei opposui , concurrat , necesse est : quod dum non amplius audet , eo ipso palmam illis cedere creditur , vel ipso suo silentio ostendens , quod nihil solidi probationibus , & solutionibus objectionum illorum possit reponere . Legat benevolus Lector , quæ in justa Defensione à pag. 557. usque ad 563. prolixius ex ratione , & authoritate deduxi , & inveniet , assertionem ab Amortio adeò contemptam , non inter stultias phantasticorum hominum , sed inter probatissimas , ac solidissimas sententias Virorum verè insignium esse collocandam . Authores , quos ibi pro isto Agredano placito ex P. Plazza de Causa Immacul. Concept. pag. 303. laudavi , sunt Hieronymus Florentinus , Jacobus Granadus , Franciscus Guerra Episcopus Gadicensis , quibus modo addo ex eodem Plazza in Defensione omis-
sos Philippum Malla Doctorem Parisiensem floren-
tem jam anno 1486. item Pozam in Elucidario Dei-
paræ , ac Joann. Bapt. Novatum de Eminentia Dei-
paræ .

249 Ex quibus (uti apud laudatum P. Plazzam annum editionis librorum cuiuslibet Authoris à se ci-
tati allegantem videri potest) unus & alter jam scripse-
re ante Revelationes Agredanas conscriptas , utpote
anno 1488. & 1627. & aliqui annis 1639. ac 1659.
ante eas publicatas , & impressas , & consequenter ante
exortum earum publicum , qui ante annum 1668. non
contigit . Unde falsum est , quod nullus unquam Theo-
logorum usque ad exortum Revelationum Agredana-
rum ita docuerit . Et nullus dubito , quin & plures alii
ex antiquioribus possint inveniri , qui ante Revelatio-
num Agredanarum originem , hanc ipsam doctrinam

Cap. 4. Art. 5. Arg. 4. de Im. Conc. B.V.M. 323
asseruere, ut colligitur ex illis, quæ pag. 558. &c seq.
in justa Defensione scripsi.

Porrò Adversarius hic variat in suo argomento:
nam in Controversia pag. 561. affirmavit, quod sit con-
tra communem sensum omnium hactenus Theologorum, B.
Virginem post Conceptionem rationalem octavo Decembris
factam, adhuc 9. mensibus jacuisse in utero materno.
Nunc solum ait esse contra omnes Theologos usque
ad exortum Revelationum Agredanarum. Quid autem
de simili Scriptore variante, & inconstante censendum?
Prioribus authoribus accedit & ipse Plaza, qui hanc
assertionem pulcherrimè pertractat: adduntur & alii à
clarissimo P. Virgilio Sedlmayr, ut Laurent. Sylvest.
in Fastis Marianis lib. 1. num. 47. Vega in Theol. Mar.
num. 608. Magnificus D. Cœlest. Mayr in Hyperd.
Mar. Venerat. 1. num. 8. quibus etiam subscriptit ipse
Virgilius Sedlmayr. Ut autem in mea Defensione allat-
is majus robur adveniat, hic subjungere juvat verba
Reverendissimi P. Thyrfi Gonzalez S. I. Præpositi Ge-
neralis, qui Tract. Theol. de Immacul. Concept. B.
Virg. disp. 2. sect. 20. num. 237. (ut testatur Magnoal-
dus Zieglbaur) ita loquitur: *Mihi maximè arridet sen-
tentia, quæ modò circumfertur, affirmans primam Concep-
tionem B. Virginis factam esse initio Decembris in die Do-
minica per correspondentiam ad primam diem Creationis
mundi, in qua conditi sunt Angeli, in quorum Reginam
electa fuerat B. Virgo; Conceptionem verò secundam (seu
rationalem) factam esse septima die à prima, id est Sabba-
tho, proximè sequenti 8. Decembris, & tunc in eodem
instanti, in quo anima illa creata est, eximiis gratiæ doti-
bus fuisse ornatam, & ideo diem Sabbathi specialiter depu-
tatum fuisse cultui B. Virginis: quia Divina Omnipotentia
septem illis diebus perfectius organizavit, & disposuit cor-
pus ad infusionem animæ, quam virtute solius naturæ solet*

disponi corpus fæmineum ad receptionem animæ intra longum tempus , quod Medici & Philosophi assignant vel 80. vel 50. vel 40. dierum. Ita Reverendissimus ac clarissimus Vir.

Præterea esto , quod usque ad exortum Revelationum Agredanarum talem doctrinam nullus Theologorum sustinuerit , quia tamen modo post has Revelationes cum illis in eodem puncto consentiunt plures Doctores sanè insignes , argumento est sat claro , ejusmodi sententiam esse omnino rationabilem , verè fundatam , ac nullatenus stultiis phantasticorum hominum annumerandam.

250 Tertiò ita altum tonat vir grandiloquissimmodo sine actorum poenitentia , prout Salvator Mat. 23. num. 33. monet , fugietis à judicio gehennæ , qui hominem à juventute laborantem pro decore & disciplina Ecclesiæ , ubi hujus mentem proponit aperte , ac candide , tam temere cum publico scandalo vocatis in calumniam?

Terriculamenta hæc sunt , quæ secura mens non metuit ; paveat Criticus , qui certè talis in causa Agredana non est , qualem hic & alibi propria ipsius manus depingit. Si laboravit à juventute pro decore Ecclesiæ , in senectute pergit , & videat , ne in fine corrumpat. Planè crises ejus Anti-Marianæ hoc in argumento ostensæ , decorem Ecclesiæ , quæ in cultum Immaculatae Conceptionis tantopere propendet , non promovent. Ut autem Adversarius in compendio perspicere possit sua errata commissa , & falsa hoc in argumento , vel supposita , vel affirmata , ea hic subjungo.

FALSA HUIC ARGUMENTO IMMIXTA à D. Amortio.

251 **F**Alsum est primò, quòd D. Amort sit, & fuerit zelosus Defensor Immaculatæ Conceptionis in sensu, quem SS. D. N. BENEDICTUS XIV. in suo opere de festis exprimit. Inde

Falsum est secundò, quòd D. Amort ritè alleget opera SS. D. N. BENEDICTI, & ejus in hac materia Decretoriam sententiam.

Falsum est tertio, quòd Agredistæ Mariophilis celarent aliquam Decretoriam Sententiam Summi Pontificis, qui faveret Amortio.

Falsum est quartò, quòd in sensu Ecclesiæ certissimè diversa sint; *festum Conceptionis B. virginis Immaculatæ*, & *festum Immaculatæ Conceptionis*.

Falsum est quintò, quòd D. Amort saltem in hac materia mentem Ecclesiæ proponat apertè, & candidè, & quòd ab Agredistis temerè, & cum fidelium scandalo vocetur in calumniam.

Hæc prolixius disputata concludo verbis aureis Petri Abbatis Cellensis Epistola 25. lib. 6. de Conceptione Deiparae differentis, & sic ex intimis præcoradiis pronuntiantis: *Cataractas Cœli, & fontes abyssi libentius in obsequium Virginis solverem, quam clauderem.* Et si filius ejus Iesus aliquid omisisset in prærogativa exaltationis sue MATERIS, ego Servus, ego mancipium, non quidem de effectu, sed saltem affectu supplere gestirem. Mallem certè non habere linguam, quam aliquid dicere contra DOMINAM nostram. Ante eligerem non habere animam, quam vellem ejus extenuare gloriam. Quibus dum & sensa affectumque animi mei insimus ego sine labe conceptæ Virginis cliens & mancipium explico, simul Adversarium

gium omni , qua possum , contentione oro , ut id
ipsum sentiat , id ipsum velit .

Argumentum V.

252 „ **D**ocent Revelationes , in luce super-
„ naturali etiam cognosci objecta
„ scientiarum naturalium , de quibus loquitur Salo-
„ mon cap. 7. Sed hoc est contra praxin divinæ Sa-
„ pientiæ , ordinantis congruos habitus & media pro-
„ portionata objectis , naturales pro naturalibus , su-
„ pernaturales pro supernaturalibus .

„ B. Apologista iterum de novo declinat vim mei
„ argumenti. Ego asserui , nulli homini viatori con-
„ tulisse Deum unquam habitum intrinsecè supernatu-
„ ralem permanentem ad cognoscenda prorsus omnia
„ objecta naturalia , quia pro effectu naturali quoad
„ substantiam ordinatur etiam causa quoad substanc-
„ tiā naturalis stabilis. Sed Apologista solūm pro-
„ bat , quod in vita beata , aut in casu extraordinario
„ transeunter , relatè ad aliqua objecta particularia ,
„ soleant per lumen habituale supernaturale etiam vi-
„ deri objecta naturalia. Itaque argumentum meum
„ manet , ita ut si Deus voluisse B. Virgini conferre
„ stabilem habitum scientificum omnium rerum na-
„ turalium , infudisset præter lumen supernaturale re-
„ lativum ad objecta supernaturalia , aliud lumen habi-
„ tuale naturale relativum ad objecta naturalia .

DEFENSIO.

253 R Esonspacio nunc recitata confirmat, mihi bellum esse cum hoste tali, qui etiam vixius manus dare detrectat; sed more anguillarum lubricus, quoquo modo illum apprehendam, elabi nititur arte quadam prudentibus haud adeò probanda. Dum D. Amort sua dicta, vel argumenta (ut vocat) confutata videt, ea immutat, inconstans, ac varius semper. Contendit modo, me iterum de novo declinare vim sui argumenti. Ast edicat, ubi priùs, vel semel vim argumenti cuiusdam ab ipso contra scripta Agredana confecti declinaverim, ut iterato hujus culpæ insimulari queam. Nec anteà, nec in præsentiarum declinare solitus fui argumenta ab Adversario proposita, sed ea secundum sensum obvium, quem verba præferunt, in controversiam vocavi. Ostendat ergo, si potest Criticus, aliquod argumentum à me subdolè priùs declinatum, vel demonstret, qua ratione vim præsentis argumenti effugere tentaverim. Respondet quidem: „Ego asserui, nulli homini via-„ tori contulisse Deum unquam habitum intrinsecè „ supernaturalem permanentem ad cognoscenda prot-„ sis omnia objecta naturalia, quia pro effectu natu-„ rali quoad substantiam ordinatur etiam causa quoad „ substantiam naturalis stabilis. Sed Apologista solum „ probat, quod in vita beata, aut in casu extraordina-„ rio transeunter relatè ad aliquā objecta particularia, „ soleant per lumen habituale supernaturale etiam vi-„ deri objecta naturalia. Ita loquitur Criticus.

Ast inquiramus, quomodo dicta ejusmodi Amor- tiana subsistant, quæ unicè (ut legenti evidens est) volunt, ab argumēto Anti-Agredano impugnari ~~ba-~~

bitum supernaturalem permanentem, creaturæ rationali concessum, quo etiam objecta naturalia cognoscantur, scilicet stabiliter, & non transeunter. Quibus duo falsa affinguntur, unum propriis dictis Anti-Agredani, alterum Civitati Mysticæ.

254 Argumentum Anti-Agredanum primò formatum in observationibus pag. 544. ita sonat: „Do-
„cent (Revelationes) in illa luce intrinsecè superna-
„turali, in qua cognoscuntur certitudinaliter myste-
„ria, etiam cognosci veritates naturales, putâ ini-
„tiū, medium, & finem temporum, de quibus agit
„Salomon L. Sapient. cap. 7. Part. 1. num. 12. 15. 18.
„19. Est contra sensum Theologorum moraliter cer-
„tum, quod Deus soleat ordinare media intrinsecè
„supernaturalia ad finem intrinsecè naturalem, qua-
„lis est cognitio temporum, & cursus stellarum. Scien-
„tia infusa rerum naturalium sufficienter habetur per
„augmentum luminis naturalis, aut per infusionem
„specierum naturalium; nec opus est lumine super-
„naturali intrinsecè. Fateor tamen, hanc posse esse
„vim luminis supernaturalis modo extraordinario.
Hoc est integrum ibi propositum argumentum. Proinde
judicet prudens Lector, an vis hujus argumenti in
habitu supernaturali permanente &c. ponatur. Certè il-
lud ab *habitu*, & causa supernaturali *permanente* prorsus
abstrahit, & ejus efficacia (si quam habet) in hoc si-
ta est tota, quod non sit opus lumine supernaturali,
seu illud stabile, & habituale, seu transiens sit (ab
utroque enim præscinditur) sed sufficiat augmentum
luminis naturalis, aut infusio specierum naturalium
ad cognoscenda objecta naturalia.

Jam sic liceat querere: vel Criticus in Contro-
versia, qua suas observationes tuetur, etiam abstrahit
ab *habitu supernaturali*, aut vim in illo præcipue, vel

unice collocat? Si primum , recte facit quidem ; verum peccat in veritatem in novo opusculo , *nova demonstratio &c. dicto* , ac sibi ipsi est oppositus , dum in hoc affirmat , vim sui argumenti sistere in habitu supernaturali &c. Si alterum ; tunc in Controversia argumentum suum non defendit , sed corrumptit , ac mutat , simulque ostendit , illud à se amplius sustineri ac propugnari non posse. Imò , etiamsi D. Amort in Controversia fol. 461. aliquoties nominet habitum supernaturalem , non tamen id alio fine fit , quām ut inde concludat , habitum illum , utpote causam supernaturalem , non esse proportionatum ad acquirendam scientiam rerum naturalium. Universa igitur virtus argumenti Amortiani in eo volvitur cardine , ut doceat lumen intrinsecè supernaturale non esse aptum ad notitiam rerum naturalium. Si itaque hoc in sensu , vel ipso Adversario tacitè innuente , impugnavi argumentum , & meam assertionem probavi , vim dictorum Amortianorum penetravi , ac etiam debellavi , ut legenti meam Defensionem erit exploratum.

255 Ex quibus fit palam , quòd Anti-Agredanus declinet efficaciam meæ responsionis ; cum enim non occurreret ei , quod reponeret productis à me contra ipsum pro doctrina Agredana testimoniis gravissimorum , ac in Theologia Mystica versatissimorum Jacobi Alvarezii , & Lopezii citantis pariter SS. Augustinum , & Bonaventuram , ac S. Joannem de Cruce , & S. Theresiam , item Sandei , Hæfreni , Angeli de Nuce , & Erasmi Gottola apud SS. D. N. BENEDICTUM XIV. lib. 3. de Beatificatione cap. 50. num. 7. laudatorum : cùm , inquam , his testimoniis sibi contrariis nihil sciret respondere , callidè meam totam Defensionem conatus est eludere arguento suo immutato : verum sic non evadit , sed irretitur magis la-

Iaqueo proprio, quo alium capere voluit. Fraudulentia enim ejusmodi effugia apud prudentem, & indifferenterem Lectorem adeo non solvunt objectiones factas, ut eas potius roborent, & confirment. Hisce ergo meis dictis, & objectionibus Criticus adhuc debet respositionem, quam hucusque non dedit, ut vel ideo mea, vel verius Agredana doctrina adhuc suo in vigore permaneat. Nihilominus audiamus pro se loquente.

Itaque Adversarius dicit primo: *Apologista solum probat, quod in vita beata, aut in casu extraordinario transiunter relate ad aliqua objecta particularia soleant per lumen habituale supernaturale etiam videri objecta naturalia.* Hæc illæ. Ad quæ respondeo primo, me in Defens. just. pag. 567. & seq. non affirmasse, aut probasse, quod solum in vita beata per visionem supernaturalem videantur res naturales, sed unicè à me assumptam esse visionem beatam pro exemplo, ut declararem Adversario, quomodo per intellectionem supernaturalem, qualis certè est visio beatifica, possit etiam res naturalis cognosci, quod docebat Ven. Scriptrix. Ita ibi discurrebam: „ Sicut enim Beati, dum mediante supernaturali lumine gloriæ vident intuitivè Deum, etiam „ eadem visione supernaturali vident simul in Deo „ tanquam medio cognito repræsentata objecta crea- „ ta, tum supernaturalia, tum naturalia, prout teste „ Henno in tract. de Deo uno pag. 44. communior „ Theologorum cum Scoto, D. Bonaventura, & aliis „ docet; ita pariter intellectus Viatorum per speciale „ lumen supernaturale (sive dein hoc sit species im- „ pressa, sive alia supernaturalis qualitas) ad viden- „ dum Deum elevatus, ac Deum ita abstractivè, vel „ quocunque modo, qui non est verè intuitivus, vi- „ dens, potest eadem visione supernaturali in Deo tan- „ quam medio cognito simul repræsentata videre ob-

, jecta creata , sive supernaturalia , sive naturalia. Ista habet justa Defensio. Si itaque Criticus alio in sensu, quam mox expresso vult mea dicta exponere , decipit.

256 Hæc de primis verbis adductæ objectionis: reliqua contra suum Authorem , seu D. Amort pugnant, & nihil officiunt Scriptis Agredanis. Dicit , me probare, quod in casu *extraordinario transeunter* per lumen(NB) *supernaturale habituale* etiam videantur objecta particularia naturalia: ergò fatetur Criticus , quod probaverim Doctrinam Agredanam ab ipso impugnatam; adstruit enim Ven. Scriptrix lumen ejusmodi habituale, *extraordinario modo sibi collatum* , quod non continuo , & perseveranter exiit in actum , sed solùm *transeunter* , & pro illo casu extraordinario , quo Deus in se ipso priùs per lumen illud cognito , velut in speculo voluntario voluit quosdam , non omnes simul , pro libitu suo exhibere creaturas cognoscendas. Sic enim ait Ven. Scriptrix Part. 1. cap. 2. num. 14. non 12. prout citat Adversarius : „ *Intellectui nova lux orta est* , „ *communicata eidem , & infusa scientia , qua res omnes* „ *(NB) in Deo cognoscit , tum quod in se ipsis sunt , tum* „ *earum operationes ; & hæc manifestantur , quantum vo-* „ *luntati Divinæ placet , ut cognoscam , & videam*. Num. „ *verò 15. ibidem dicitur : quod Deus sit speculum vo-* „ *luntarium , in quo subinde aliqua Mysteria panduntur ,* „ *alia verò occultantur*. Et num. 23. declarat Ven. Scri- „ *ptrix , quomodo in Deo per hanc lucem videat San-* „ *ctos , eorumque operationes , ac mirabilia , ac crea-* „ *turas : insuper num. 14. 18. dicitur illa lux , qua vi-* „ *dentur in Deo creature , transcendere omnem vim ,* „ *ac virtutem naturalem , consequenter esse superna-* „ *turalem intrinsecè*. Ecce! idem omnino docet Ven. Scriptrix , quod à me probatum esse confitetur Adver-

sarius. Si autem jam probavi assertionem Agredanam, quid ulterius desiderat D. Amort? Vel igitur meas probationes enervet, quas tamen nec attingere audet, vel Doctrinam Agredanam sanam, & probatam agnoscat, oportet.

Ad hæc notari meretur, quòd vel nolenti hæc veritas exciderit non tantum in sua nova (sic appellata) demonstratione, verum etiam prius in observationibus superiorius allegatis, ubi ait: *fateor tamen hanc (lumen seu scientiam rerum naturalium) posse esse vim luminis supernaturalis modo extraordinario.* Hæc dicendo fassus est illa, quæ petit Ven. Maria de Agreda, nempe illam cognitionem rerum naturalium, quam prorsus extraordinario, & aliàs secundùm ordinarium cursum non usitato modo se accepisse testatur, posse esse vim luminis supernaturalis. Ista ex mente Anti-Agredani deprompta, ad ejus instantiam interim sufficiunt, alia adhuc in sequentibus addentur.

257 Dicit secundò Adversarius: *Si Deus voluisset B. Virginis conferre stabilem habitum scientificum omnium rerum naturalium, infudisset præter lumen supernaturale relatum ad objecta supernaturalia, aliud lumen habitu ale naturale relatum ad objecta naturalia.* Quibus verbis Anti-Agredanus iterum demonstrat suam maximam incuriam in discutienda Civitate Mystica; cùm ipse loquatur de scientia B. Virginis infusa, Ven. Scriptrix verò loco citato, & per Adversarium obliquis oculis observato, agat de modo illo extraordinario, quo Mysteria, ac vita Cœlorum Reginæ cum aliis, ipsi Ven. Scriptrici manifestata sunt in ordine ad Civitatem Mysticam conscribendam. Legatur tantummodo caput secundum primæ Partis Civitatis Mysticæ, ex quo excerpti sunt textus ab Anti-Agredano per hoc argumentum crisi subjecti.

Præterea D. Amort gratis præter lumen habituale requirit aliam naturalem habitualem lucem ad cognoscenda objecta naturalia , de quibus Ven. Scriptrix ibi loquitur. Ad quid enim ille habitus , & lumen naturale requireretur ad cognoscenda objecta naturalia, si per lucem supernaturem sufficienter cognosci possunt, ut ipse Adversarius fatetur ? Deinde scientia illa rerum naturalium non fuit Ven. Scriptrici collata ad finem naturalem , sed supernaturem , ad perfectionem propriam , & aliarum animarum utilitatem spiritualem , ac supernaturem mediantibus Mysteriis, & doctrinis in Civitate Mystica manifestatis acquirendam ; atque adeò omnino congruum fuit , ut res illæ licet in se naturales , ex intentione tamen Dei manifestantis eas ad finem supernum relatæ , per lumen supernaturale superius explicatum revelarentur. Nonne & per eundem habitum supernaturem fidei credere possumus altissima Mysteria supernaturalia fidei , ac etiam objecta naturalia in Sacra Scriptura descripta? Exemplum aliud de visione beatifica jam anteà adductum est.

Cæterum difficultas illa de luce habituali , quam sibi movet Criticus , jam pridem suam solutionem obtinuit ab Illustrissimo & Reverendissimo P. Josepho Ximenez *Annotat. VII. ad primam partem Civit. Myst.* ubi sequentia adducit. Primo à num. 11. explicat modum visionis ac lucis illius , quam D. Amort impugnat ; & ostendit, quod juxta Civitatem Mysticam V. Scriptrix actum ejusmodi cognitionis & visionis &c. non habuerit continuò & permanenter, sed transeunter, & determinatis solum temporibus , & occasionibus , quoties nimirum placuit Altissimo. Dein docet ex eadem Civitate Mystica , permansisse habitum lucis præfatæ supernaturalis , vel lucem habitualem , quæ tamen in actum non

non potuit prodire, nisi quando, & qua ratione Deo placuit; hinc modò plura, modò pauciora objecta, nunc clarus, nunc minus clarè (prout nempe Deo lubebat) V. Scriptrici, mediante illa luce, sunt in Deo prius cognito exhibita.

Denique num. 15. & 16. idem Illustrissimus Annotator probat, quod nihil opponit possit contra talem habitum, vel lucem habitualē; cùm non sit ratio dicendit, quod forma ista elevans non sit ex natūra sua permanens; præsertim quia fuit ordinata ad actus plurimos repetendos in diversis occasionibus. Non ergo apparet congruentia, ob quam Deus solum produceret qualitatem transeuntem, vel ob quam toutes lucem eandem destrueret, ac reprodiceret, cùm posset eam producere ex natura sua permanentem; sive eandem semper conservare ad omnes actus, maximè cùm nulla interveniret culpa, quæ tali conservatione Ven. Scriptricem redderet indignam. Sic etiam, quia Virtutes Theologicæ infusæ hominem debent habilitare ad actus harum virtutum plures diversis temporibus eliciendos, ex non transeunter, sed permanenter homini à Deo conceduntur, nec destruuntur sine culpa hominis: idem cum proportione die de luce hac extraordinaria Ven. Scriptrici infusa; nam quoad hoc punctum nulla videtur esse differentia inter elevationem supernaturalem ad ordinarios virtutum Theologicarum actus, & extraordinarios illos, de quibus Civitas Mystica allegato loco tractat, ut Illustrissimus Annotator advertit. Plura desiderantem remitto ad Annotationem Patris Ximenez laudatam, ubi crisi Amortianæ, antequam fieret, jam fuit satisfactum.

Argumentum VI.

258 " **R**Evlationes dicunt , quòd aliquòd concilium dœmonum duraverit à die Lunæ usque ad diem jovis ; & alibi dicunt , quòd tale concilium diu duraverit . Sed hoc non potest dici ; quia operationes mentales dœmonum non mensurantur tempore extrinseco ; sed in unico momento evolvuntur innumeræ series concatenatarum consequentiarum , illationum , & rerum conexarum .

" Bz. Apologista ait : operationes Angelorum explicitari per tempus extrinsecum saltem quoad nos ; sicut in Scriptura dicitur ; factum esse silentium in cœlo quasi media hora , & quòd Angelus Persiæ restiterit Angelo Ecclesiæ Judaicæ viginti , & uno diebus . Verùm ibi in priori textu ex circumstantiis , & subiecta materia patet , esse locutionem metaphoram ; in altero casu tempus verè mensuratur per actus inspirationum receptarum in Rege Persiæ , verè existentes in tempore . Sed in textu Agredano non reportur signum locutionis metaphoricæ , nec effectus mensuratus à tempore extrinsecus . Res enim ageratur deliberativè inter solos dœmones .

DEFENSIO.

259 **N**ON tantùm ego dico , sed mecum assentunt plurimi alii , tam Recentiores , quam Scotistæ , & probabilioribus ex fundamentis defendunt , operationes Angelicas mensurari quoad nos per tempus extrinsecum nostrum . Cur nihil respondet Criticus ad ea , quæ ex Suario , & Maistro , ac aliis con-

contra ipsum in justa mea Defensione pag. 569. adduxi: videat ibi benevolus Lector, & cernet hanc sterilem quæstionem de nomine perperam esse Reuelationibus Agredanis objectam.

Duo exempla ex S. Scriptura à me deprompta quod attinet, ea non sunt ita facile contemnenda, ut putat Adversarius. Esto enim aliqui sint, qui illud silentium, quod Apocal. 8. v. 1. *quasi media hora factum* esse dicitur, in sensu metaphorico accipient, sunt tamen & alii, qui cum Sylveira per illud intelligunt ingentem admirationem Angelorum, quæ quasi media hora durasse dicitur. Et sic ad nostrum captum mensuratur nostro tempore extrinseco.

Sic quoque licet nonnullis expositoribus persuasum sit, pugnam illam Angelicam Danielis 10. constitisse in inspirationibus contrariis per duos Angelos Regi Persarum suggestis, nihilominus sunt alii iterum, qui cum Cornelio à Lapide disceptationem illam Gabrielis cum Angelo Custode Persiæ volunt præcisè perfectam esse cogitationibus, volitionibus, ac orationibus contrariis horum Angelorum, vel operationibus ipsis Angelicis: quæ pugna tali modo confecta dicitur durasse uno, & viginti diebus. Proin exemplia ista probabile fundamentum præbent pro Doctrina Agredana, tam declaranda, quam tuenda.

Argumentum VII.

260 " R Evelationes dicunt, Diabolum constanter jam ante ultimam cœnam, & jam in Bethania Judæ inspirasse, ne traderet Christum. Sed hoc repugnat verbis Evangelistæ, qui adhuc in ultima cœna proditionem Judæ adscribit suggestioni dœmonis.

„ Re. Apologista circa hoc argumentum non reperit aliud effugium , nisi quod dicat ; Judam quidem fuisse in die Palmarum tentatum à dœmone , ut tradat Christum , sed die Martis , aut Mercurii dœmonem Judæ suassisse , ut non tradat Christum. Quomodo hæc cónveniant cum sensu Patrum & fideliūm , atque cum obvio ac naturali sensu verborum Evangelistæ , qui causam traditionis continuam per plures dics , particula continuativa , jam assignaturus ait : *Cœna facta, cum Diabolus* (non de novo , ac secundò) *jam misisset in cor, ut traderet eum Iudas.* Alioquin juxta Revelationes Agredanas , & Apologistam debuisset Evangelista dicere : Judas tradidit Christum , quia noluit acquiescere suasionibus dœmonis , eam traditionem dissuadentis.

DEFENSIO.

261

STrictim nimis mea dicta transit Anti-Agredanus. Nihil dicit ad imputatam à me , & ab ipso verè admissam immutationem dolosam sui argumenti. Nihil ad testimonia ex S. Scriptura , S. Augustino , Toleto & aliis allata : hæc enim solvere non potest. Videatur justa Defensio pag. 572. Dum verò nunc ait particulam *jam esse continuativam* , rem mihi novam loquitur. Id certum esse existimo , per particulam illam tempus præteritum non rarò , & eleganter significari ; ut patet his exemplis ; *jam feci hoc: jam pridem hoc contigit.* Quod autem laudatus tex-tus Evangelicus per illas voces : *cum Diabolus jam misisset in cor* , de tentatione Judæ , ut re præterita loquatur , colligitur ex ipso verbo *misisset* , quod in tempore præterito plusquam perfecto ponitur , ut sensus sit ; *Cœna facta, cum prius, vel antea Diabolus Iudas misisset in*

in cor, ut traderet Magistrum suum. Quod verum est, etiamsi diabolus tunc coena facta non amplius incitaret ad traditionis facinus, imo contrarium suggereret.

Neque obest, quod S. Textus videatur suggestio-
ni diabolicæ adscribere proditionem, & traditionem
Christi, quod D. Amort sua responsione ad meam
Defensionem urgere videtur. Hoc, inquam, non ob-
est Civitati Mysticæ: licet enim diabolus mutato con-
silio alia inspiraverit; Judas tamen ex prima tentatio-
ne conceptum propositum non amplius mutavit, sic-
que adhuc vi prioris temptationis missæ in cor Judæ
fuit Christus traditus. Ex quo sequitur, solutum esse
scrupuluna Amortianum, & dicta Ven. Scriptricis op-
timè convenire cum Textu Evangelico, vel saltem illi
non adversari, quod sufficit.

262 Denique quartæ suæ parti hanc conclusio-
nem adjungit: „Ex dictis patet, complura ex addu-
ctis hactenùs argumentis remanere moraliter certa, non-
nulla eminenter probabiliora, ita ut pariant præsum-
ptionem violentam, reliqua probabilia, excepto uno,
vel altero, quæ Apologistæ in sui laboris solatium
cedo. Hæc Criticus. Verum rogatum cupio pru-
dentem, & indifferentem Lectorem, ut cum Amortia-
nis mea in Defensione justa, & hic asserta diligenter
conferre velit, & dijudicare, an conclusio præfata Ad-
versarii plus veritatis, quam propriæ laudis sibi vendi-
cket. Id saltem pronuntiare ausim: argumenta Critici
hactenus allata, nec seorsim, nec simul accepta Civi-
tatem Mysticam dejecisse à statu probabilitatis illius,
quæ in Revelationibus privatis requiritur, & sufficit.
Unde sequi existimo, tantum abesse, ut Scripta Agre-
diana violenta præsumptione falsitatis graventur, ut
potius per impugnationes contrarias eorum veritas,

saltem sufficienter probabilis magis elucescat. Viderit
verò Adversarius, ne ejus Apologiæ Anti-Agredanæ
ob multas inspersas contradictiones, corruptiones tex-
tus, & falsationes inexcusabiles violentam præsumptio-
nem contra se ipsas pariant.

CAPUT V.

EXCUTITUR QUINTA PARS
excussionis Amortianæ cum Problemate
eidem quintæ Parti addito.

ARTICULUS I.

EXPENDITUR INGRESSUS AMOR-
tianus præfixus quintæ parti.

263 **E**xordium quintæ Partis excussionis Amor-
tianæ ita sonat: „ In hac Parte V. Apo-
logista quid novi ferat, vix quidquam reperio. Re-
„ petit responsa P. Landelini, & P. Gonzalezii suffi-
„ cienter à me confutata in Historia Controversiæ.
„ Materiam huic parti præbent Encomia, prærogati-
„ vae, & dona divinitūs indulta B. Virginī. Ut propo-
„ sitiones Agredanas à me in examen vocatas ab omni
„ suspicione purget, utitūs quadruplici spongia. Pri-
„ mò contendit constanter, textum Agredantum à me
„ corrumpi. Ubi enim ego compendio usus garruli-
„ tatem Revelationum patris verbis constrinxi, aut
„ sensum verbis synonymis reddidi, vel denique veri-
„ tates, & sequelas necessariò connexas, V. Scriptrici
„ attribui, ibi ille interpretationem, vel illationem

„ meam aversatus, corruptionem inclamat. Egò vero
 „ contendō, nec sensum verborum à me fuisse corrup-
 „ tum, nec ullam propositionem Ven. Scriptrici tri-
 „ butam, quæ non connexione necessaria, vel illatio-
 „ ne legitima ex verbis ac doctrinis Agredanis ultrò
 „ fluiat. Quis inter altercantes Judex idoneus? Nullus
 „ planè, nisi qui & libellum accusationis, & replicam,
 „ & duplicam, & triplicam utriusque partis cum ipso
 „ Codice Revelationum Agredanarum attente versa-
 „ verit. Hinc circa hoc punctum Lectorem benevo-
 „ lum ad ipsum Revelationum istarum fontem, meam-
 „ que Historiam Controversiæ Agredanæ remitto.
 „ Secunda Apologistæ effugii via est, ut, ubi ego ma-
 „ nifestos textus pro sensu propositionis Agredanæ à
 „ me assignato educo, ille alios textus ejusdem Ven.
 „ Scriptricis quoad speciem oppositos producat. Cum
 „ enim Ven. Scriptrix diversis temporibus ac per annos
 „ complures interruptim tam vastum opus congesserit,
 „ mirum non est, variari interdum ideas intellectua-
 „ lium rerum, & sublimium, in quarum classem spe-
 „ ctant dona ac prærogativæ, & exacti tituli B. Virgi-
 „ nis. Tertium præsidium Apologistæ præbet authori-
 „ tas quorundam authorum recentium, ita ut ubi tex-
 „ tus Agredanus, vel rationi, vel traditioni opponitur,
 „ fulcrum saltem inveniat in ejusmodi oraculo, v. gr.
 „ Virgilio Sedlmayr &c. Quartum denique siblidium
 „ petit à revelationum aliarum, v.gr. S. Birgittæ, vel
 „ S. Catharinæ Senensis, gemello textu, ita ut, uno
 „ stante, vel cadente, stet simul alter, vel cadat necesse
 „ est. At vero his generalibus locis Apologistæ topi-
 „ cis vicissim oppono generales sequentes CANO-
 „ NES.

„ 1. Non sunt in genere Revelationum permitten-
 „ bæ propositiones ambiguæ, proclives ac versatiles

„ in sensum erroneum connaturalem ac obvium,
„ quantumvis absolute ex contextu non obvio, in sensu
„ sano explicari possint.

„ 2. Non sunt in genere Revelationum permit-
„ tendæ propositiones similes aut affines propositioni-
„ bus falsis.

„ 3. Non sunt in genere Revelationum permit-
„ tendæ propositiones, quæ, ut sensum sanum reci-
„ piant, perpetuo indigent commentario.

„ 4. Non sunt in genere Revelationum permit-
„ tendæ propositiones, quæ, spectata dispositione ho-
„ minum ac temporum, facile inveniunt Interpretem
„ erroneum.

„ 5. Non sunt in genere Revelationum permit-
„ tendæ propositiones, ex quibus vel per connexio-
„ nem, vel per argumentum à pari aut simili primum
„ est inferre conjectaria periculosa aut incongrua.

„ 6. Non sunt in genere Revelationum permit-
„ tendæ propositiones, quarum una admissa necesse est
„ admittere integra similitum plausta, quarum mul-
„ titudine enormiter aucta gravatur, irrisione acatho-
„ licorum exponitur, à reductione hæreticorum impe-
„ ditur, & quoad profanos nutantes in fide hoc tem-
„ pore sat multos, periculo contemptus generalis re-
„ rum nostrarum catholicarum involvit Ecclesia.

„ 7. Non sunt in genere Revelationum permit-
„ tendæ propositiones, quæ nova probabilitate ex
„ authoritate mulieris veneranda & multitudine affer-
„ tionum turbant ordinata, ex locis Theologicis, puta
„ ex Scriptura & traditione alioquin regulanda ratio-
„ cinia in Theologia, & Historia Ecclesiastica.

264 „ Hi sunt mei Canones, quos ratio, tradi-
„ tio, & prudentia probat. Jam Lectoris benevoli
„ judicio relinquitur, utrum in hos Canones peccent

„ propositiones Agredanæ , quas licet Apologista in
 „ sensu quodam latentiore , latiore , tropico ac ex
 „ contextu non obvio aut remotiore sanet , in sensu
 „ tamen obvio , stricto , ac proprio , quem Revelatio-
 „ nes istæ magistralis ac dogmaticæ requirunt , per
 „ Canones examini meritò subjiciuntur. Propositio-
 „ nes autem illæ à me in Opere de Revelationibus , &
 „ in Historia Controversiæ compendio excerptæ à
 „ benevolo Lectore legi poterunt in ipsis Revelationi-
 „ bus Agredanis , quarum loca huc respicientia , de-
 „ signavi in *Historia* à fol. 469. usque ad fol. 506.
 „ cum earum vindiciis *Parte V.* Hucusque ingressus Ad-
 versarii.

DEFENSIO.

265 IN quinta parte meæ justæ Defensionis,
 quid novi feram, non reperit D. Amort,
 qui forsan illam aut non integrum , aut non conside-
 ratè legit. Sed non multum moror , si Criticus præju-
 diciis suis præventus mea Scripta contemptui habet,
 dummodo alii indifferentes , ac prudentes viri ea vol-
 vere , & de illis sententiam ferre dignentur , qui , ut
 opinor , invenient non solùm responsa P. Landelini,
 & Gonzalezii ab insultibus Amortianis plurima ex
 parte vindicata , sed plura quoque alia responsis Gon-
 zalezianis , & Landelinianis à me adjecta , ac encomia
 B. Virginis à V. Scriptrice attributa per Defensionem
 Justam , ac moderatam in tuto posita. Verùm de hoc
 (ita enim enixè rogito) judicent alii.

Quadruplici spongia me uti ait Adversarius , ut
 Revelationes Agredanas in examen vocatas ab omni
 suspicione liberem. Nec id inferior : sed spongiam
 illam quadruplicem crisibus Anti-Agredanis aliquan-
 tisper foedatam mundare liceat.

266 Primo continuò imputatas à me corruptio-
nes negare audet : quod verò illæ omnino subsistant,
textus Agredanus in fonte inspectus , ad quem provo-
cat , & Controversia Amortiana collata cum vindiciis
Agredanis , ac mea justa Defensione ostendent.

Ut secunda spongia purgetur , lympha alia iterum
non requiritur , quam illa , quæ in clarissimo fonte
Civitatis Mysticæ copiosè affunditur . Volvatur hæc ,
& revolvatur (sed in fonte , non verò solùm in libris
Amortianis) & apparebit , quod textum nullum ma-
nifestum pro suis Anti-Agredanis placitis Criticus
attulerit , imò quod Civitas Mysticæ expressè ejusdem
machinis resistat . Ne verò volvendo vastum V. Scrip-
tricis opus Lector nūniū fatigetur , in subsidium ei
venit mea justa Defensio , quæ præprimis exhibit alle-
gationem fidelem illorum textuum , quos Adversarius
corruptit , transilit , obscurat , truncat , quosque cri-
nibus (ut nos germani loquimur) in aliud , quam à
V. Scriptrice intentum , sensum trahit . Adjungit dein-
de (eadem justa Defensio) textus clarè exprimentes
sensum V. Scriptricis . Neque , dum illos textus addu-
xi , & sincerè designavi , viam effugii quæsivi , sed unicè
Criticum in viam veritatis reducere studui ; qui male
impingit V. Mariæ de Agreda , quod ejus ideæ in-
tellectuales varient circa res sublimes , quas tractavit:
licet enim in iis conscribendis plures annos insumpse-
rit , constans tamen semper sibi , miro ordine , ac ea-
dem styli elegantia , dictorumque suorum concordia ,
& nexus perpetuo totam illam B. Virginis Historiam à
principio ad finem usque continuavit , ac perfecit .
Quod & illustri argumento est , illam hoc opus per-
fessile haud aliter , quam superna Virtute dirigente
manu ejus . Legantur tantum approbationes libro
Civitatis Mysticæ præfixæ , atque hæc , quæ dixi , &

majora ibi reperientur. Unde D. Amort errat non parum, dum opus superna Virtute confectum sola satis curta naturali Virtute ac mensura humani intellectus vult dimetiri. Pejus adhuc agit, dum pronunciare præsumit: *ego compendio usus garrulitatem Relationum paucis verbis constrinxi.*

267 Modestius, & honorificentius loquuntur vi-
ri plurimi summa doctrinæ, & pietatis laude conspi-
cui, qui vel ex officio, vel iussu Superiorum Civita-
tem Mysticam rigidè examinarunt, & de ea suam edi-
xerunt sententiam. Andreas Mendo celeberrimæ So-
cietas Jesu Concionator Regius S. Theologiæ in
Universitate Salmanticensi olim Professor, Qualifica-
tor Supremæ Inquisitionis &c. in sua censura latinæ
Editioni Augustanæ præfixa inter alia in hæc encomia
effunditur: *Ea fuit lectio Civitatis Mysticæ, ut mihi tot
pepererit admirationes, quot lineas obtulit conspiciendas; at-
que ex ea sola plura didici, quam ex omnibus libris, in quo-
rum studio multis annis assida cura sum versatus, idque
in materiis omnibus, quas pertractat, ob insignem clarita-
tem, dexteritatem, & quam ubique in loquendo tenet,
profunditatem. Evidem verborum proprietas, locutiones
ad omne punctum exactæ, securitas in difficultatibus pro-
fus inconcussa, ad Venerationem pariter mōvent, & stu-
porem. Plura alia legi possunt in laudata censura, quæ
planè non conveniunt inutili garrulitati foemineæ, si-
cūt nec ea, quæ habet in censura sequente Reveren-
dissimus, & Illustrissimus D. Didacus de Silva S.
Theol. Magister, antiquissimi Ordinis S. Benedicti
Generalis, ac Episcopus Gaditanus. Hic ait: *Est sty-
lus (Ven. Scriptoris in Civitate Mysticæ) & scriben-
di methodus inter tot lumina constans sibi, & summopere
propria: mira quadam & efficacissima persuadendi vis
&c. Reverendissimus, & Illustrissimus D. Michael de**

Escartin Episcopus Tarragonensis, & Ordinarius Ven.
 Scriptricis in sua approbatione præter cœtera elogia
 prorsus insignia, etiam hoc Civitati Mysticæ, & Ven.
 Scriptrici tribuit: De S. Thoma dixit S. Pontifex, sin-
 gulos operum ejus articulos singula miracula esse. Idem &
 nos dicere possumus de quolibet capite librorum hujus Vene-
 rabilis Matris. Censura Universitatis florentissimæ Lo-
 vaniensis de libro Civitatis Mysticæ hæc enunciat: quid-
 quid sublime docet Theologia, tanta hic inseritur facilitate,
 & tam nuda, simplicique ac clara methodo exprimitur, ut
 plane afferendum sit, ut nil aliud, quam (NB) sanum ju-
 dicium, ut per lectionem hujus operis perveniat in intelli-
 gentiam nostræ fidei Mysteriorum, requiratur. Ad hæc sim-
 plex ejus proferendi modus tanta multitudine rationum, ac
 illustratis probationibus accumulata est, quod simile alibi
 difficile reperire sit. Certè tam exquisitum, tamque sublime,
 ac in seipso consistens opus non ita leviter vanæ imaginatio-
 ni imputandum est. Imò tanto minus quis sibi imaginabitur,
 quod impostor aliquis tam dilatatum opus, quod (NB) per
 totam seriem in difficultissimis, & disparatis materiis pari
 forma procedit, perficere potuerit, ne unquam erret, aut
 sibi ipsi imponat, quantumvis innumeros articulos & cir-
 cumstantias includat. Porrò tam alta, & cor ipsum ra-
 pientia, ac sibi invicem subsequentia in hac Divina Historia
 percipiuntur, ut quo pacto ingenii parvus solummodo voce-
 tur, perspicere nullus possit. Clarissimus P. Franciscus
 de Almada celeberrimæ S. I. in sua approbatione Ci-
 vitatis Mysticæ ita loquitur: Unxit Cœlestis hæc Author
 cum suavissima styli elegançia religiosissimam prorsus, &
 modestissimam verborum gravitatem, cumq[ue] subtilissima
 Theologia summan etiam sermonis claritatem, proprieta-
 temque, cum reconditissimis Sacrarum Litterarum sensibus
 felicissimam, expeditissimamque explanationem, ac deni-
 que cum tenuerrima devotione prima discretionis colloquia.

Deum, & Dei Matrem, & Angelos loquentes inducit, verbis Deo, Dei Matre, & Angelis planè dignis. Est præterea per omnia novum quoddam gratiæ miraculum, ac portentum, ac planè talis, ut pié, & prudenter credi possit, calatum ejus superno quodam Matris Sapientiæ instinctu motum, directumque fuisse. Similia etiam Antonius de Morales S. Theol. Doctor celeberrimus profert. Quæ sanè elogia non garrulam, ac sibi in Scriptis suis male cohærentibus obloquentem foeminam, sed personam à spiritu superno directam, ac per omnia adjutam indicant, cujus opera nunquam satis laudari, & nullo ex capite vituperari queant. Si nec ista sufficiunt Critico, remitto eum ad acta Romana, in quibus non minora legere poterit.

268 Tertiò asserit Adversarius, me subsidium petere ab Authoritate Recentium, quando textus Agredanus traditioni, vel rationi opponitur. Ita quidem audacter mihi imputat. Sed scire vellem, ubi sit aliquis textus Civitatis Mysticæ, qui traditioni, vel rationi certæ, & evidenti repugnet. Nullum talem protulit Criticus, neque proferre potuit, quantumcumque laboraverit: id patebit legenti justam Defensionem. Nosse etiam vellem, an meros Recentes Authores in Part. 5. Defensionis allegarim. Si legit eam totam, aliter judicare debebit, et si fortè aliter, & conformiter veritati loqui nolit. Recentes quoque adduxi Authores, & inter hos primum locum tribuo moderno felicissimè regnanti Summo Pontifici BENEDICTO XIV. Ergo recentes Authores allegari nequeunt: maximè si non levi ratione, vel etiam authoritate Antiquorum nitantur, qualis certè quoque est sapissimè à me laudatus Antonius Mayr, vir uti pietatis, ita & eruditio[n]is sacræ, & philosophicæ fama celeberrimus. Si Domino A morte adeò placent recentes partus duo-

duorum heterodoxorum veritatis Catholicæ oſoruin
Guilielmi Cavei , & Casimiri Oudini , cur mihi non
arrideant Authores recentes Orthodoxi doctrinæ lau-
de apud ecclæ ſentientem mundum florentes ? Sed
etiam allegavi P. Virgilium Sedlmayr . Quare non ?
Vir hic profeſtò non ſolum mihi , ſed & aliis pruden-
tibus fuit ſemper maximo in honore ob eximiam ejus
Scientiam , quam partim Philosophiam , ac Theolo-
giam plurimis annis prælegendo ut Professor Exellen-
tissimus , partim plures etiam tractatus edendo ut Au-
thor celeberrimus , ad admirationem aliorum maxi-
mam oſtendit . Novi euidem , quas infidias libellis
ultimis hujus viri ſtruixerit D. Amort ; verūm eæ ſuo
tantum Authori Eusebio nocuerunt . Inde enim acci-
dit , ut magnoperè à SS. D. N. BENEDICTO XIV.
fuerit commendata Doctrina Virgiliana Amortianæ
oppoſita . Sic enim ſcripſiſſe fertur SS. D. N. BE-
NEDICTUS XIV. ad queſdam Magnum Ecclesiæ Prin-
cipem : *In libro vestri Benedictini (P. Virgilii Sedl-
mayr contra D. Amort vulgato) non eſt inventum quid-
piam contra Doctrinam ; nam ejusdem aſſertio-
nes , & ſen-
tentiae confor-
mes non minus ſunt illis , quas nos ſcripſiſſus
in opere noſtro de Canonizatione , quām illis , quas docent
probatiſſimi , & Summae authoritatis Theologi : Ita legit in
fragmento transcripto ex litteris Laudatiffimi Eccle-
ſiæ Principis , ac mihi per veracem , & fidelem ami-
cum communicato . Non itaque habet D. Amort , cur
exciptiat contra allegationem Clarissimi P. Virgilii ,
et ſi ſui Adversarii : nam & virtus in hoſte laudanda eſt .
Quidquid demum ſit , nec ſolos antiquos , nec ſolos
recentiores pro me laudo Authores , nec ſoli præcise
ſido authoritati , ni ratione muniatur , præſertim ſi
non ſint SS. Patres , qui allegantur . Lectione tantum
opus eſt Defensionis justæ , & jam conſutata eſt , ac
fal-*

falsitatis, vel saltem dissimulatæ ex proposito veritatis convicta assertio hæc tertia Amortiana, qua tertium meum (ut vocat) præsidium invadit.

269 Quartum auxilium equidem quæro in Revelationibus aliarum Personarum, sed dūntaxat in approbatis à Sede Apostolica e. g. SS. Birgittæ, Catharinæ Senensis, ac Magdalena de Pazzis. Nec abs ratione hoc facio: si enim istæ Revelationes approbatæ eadem prædicata, & prærogativas, quas Ven. Scriptrix adstruit, tribuant Sanctissimæ Cœlorum Reginæ, quo capite poterit propterea reprehendi Ven. Virgo Agredana? Si non obstantibus similibus titulis totæ & integræ Revelationes Birgittanæ, & aliarum SS. Fœminarum potuerunt à Sede Apostolica probari, hoc ipso Agredanæ nequeunt à Theologo quodam ob suas imaginarias crises reprobari.

270 Canones tandem producit novus Canonum conditor, quorum aliqui in se inspecti, omnes vero, quatenus Revelationibus Agredanis applicantur, emendatione indigent. Et quidem emendabit ille, cui modò Canones condere convenit, nempe SS. D. N. BENEDICTUS XIV. aurea sua Sapientia Orbi & Urbi relicta in nunquam satis deprædicando Opere de Beatificatione & Canonizatione. Ex hoc igitur alios professo Canones, vel regulas in discutiendis Revelationibus, & aliis operibus observandas, sed à nostro Adversario perpetuò neglectas.

271 Regula prima. In censendis Revelationibus Personarum in fama pietatis defunctorum debet modesta, & pia intelligentia adhiberi. Hanc regulam comprobat S. Pontifex lib. 3. de Beatif. cap. ult. num. 15. ubi adducit pro sua sententia formulam approbationis Revelationum Birgittanarum factæ à Cardinali de Turrecremata sic sonantem: „Planè omnes & singulos (loquitur

tur de libris Revelationum) accurato satis studio juxta
 vires meas examinavi, & nullum eorum pie & modestè
 intellectum reperiens S. Scripture, aut Sanctorum Pa-
 trum adversum sententias, sed consonum & conformem;
 satis reputo, unumquemque, & omnes eos juxta modestam
 & piam intelligentiam esse admittendos, & posse legi in
 Ecclesia Sancta Dei eo modo, quo multorum aliorum li-
 bri, & Sanctorum Historia, & legendæ licentiantur legi
 fidelibus. Deinde quibusdam interjectis pergit idem
 Sanctissimus, ac Sapientissimus PONTIFEX: „ Notan-
 da sunt verba supra relata Cardinalis à Turrecrema-
 ta in approbatione Revelationum Sanctæ Birgittæ, pie ac
 modestè intellectarum; quæ forte respiciunt ea, quæ
 habentur lib. 4. dictarum Revelationum cap. 132. ubi
 inducitur Christus Dominus Sanctam alloquens, &c
 de malis Sacerdotibus conquerens: Perdiderunt cla-
 vem, qua misericordia debarent aperire Cœlum; necnon alia,
 quæ habentur lib. 7. cap. 7. ubi sic legitur; dico, quod
 veri Presbyteri sunt, & verè conficiunt Corpus Christi Fi-
 lii mei omnes illi Sacerdotes, qui non sunt hæretici, quam-
 vis alias sint pleni multis aliis peccatis. Benigna quippe
 & pia interpretatione, quæ modò relata sunt, ex-
 plicari debuerunt, hoc est, malos Sacerdotes perdi-
 disse clavem, qua misericordia debarent aperire Cœlum,
 non quia, si potestate data utantur, debita intentio-
 ne, ac materia intercedente una cum forma, validè
 non absolvant, sed quia Sacerdotibus malis admi-
 nistratio Sacramentorum jure prohibetur; item,
 Presbyteros hæreticos non confidere Corpus Christi,
 non quia, si ritè & rectè initiati sint, & intentionem
 habeant, & utantur debita materia & forma, validè
 non consecrent, sed quia illis conficiendi, & conse-
 crandi exercitium jure pariter prohibetur, quemad-
 modum explicat Durantis ad citata Capitula Revela-
 tionum.

Huc

Huc faciunt quoque, quæ Laudatissimus PON-TIFEX lib. 2. de Beat. cap. 20. num. 9. scribit: „Be-
„nignitatem debent, quantum fieri potest, severitati
„adjungere, & meminisse celeberrimi dicti Petri Abe-
„lardi, qui in suo *Apologeticō*, seu *fidei confessione* ait:
„*Notum proverbium est, nil tam bene dictum, quod non*
„*possit depravari: & profectō, sicuti prudentis est cautē*
„*omnia perpendere, ut, quantum potest, errorem,*
„*aut errorum, atque vitiorum causam in libris dam-*
„*net; sic à prudentia abest, qui tam cautē agere vult,*
„*ut in scrupulos postea, & cavillationes, & asperita-*
„*tem nimiam se proripi, non animadvertat. Debent*
„*quoque de alienis sententiis judicium non ex sua,*
„*vel suorum ferre, sed agnoscere libenter probabili-*
„*tatem doctrinæ, à qua alioquin abhorrent.*

Modestam, piam, & benignam intelligentiam, vel attentionem si Criticus Revelationibus Agredanis indifferentे animo impenderet, suos Canones haud opponeret iisdem. Nihil enim in iis deprehenderet, quod foret proclive ac versatile in sensum erroneum, *naturalem*, & *obvium*; nihil, quod perpetuo Commentario indigeret, nihil, ex quo à pari aut simili, vel per connexionem primum est inferre consectaria periculosa, aut quod impediret reductionem hæreticorum, ac periculo generalis contemptus involveret Ecclesiam. Certè si pensantur inutiles, & vanæ crises Adversarii, quibus ejusdem partus Anti-Agredani turgent, statim clarescat, in eo vel maximè desiderari piam, modestam, & benignam interpretationem. Dein ut jam in justa Defensione monui, puncta talia, & tam dura nulla reperiuntur in Civitate Mystica, qualia illa duo fuere à BEATISSIMO PATRE recitata ex Revelationibus Birgittanis, quæ tamen benigna, & modesta expositione sunt donata; cur ergo aliqua minus difficultia in

Civitate Mystica non in mihiore sensu accipiuntur, & exponantur?

272 Regula secunda. Scriptoris mentem non ex aliqua particula, sed ex tota Scripturæ textura Revisores pronunciabunt. Photio siquidem authore, Sanctus Eulogius Alexandrinus in libro contra Severum, & Timotheum legem constituit, Scripta dijudicare non oportere ex parte, neque fragmenta quædam sumendo ex his detorta, de Scriptoris mente ferendum judicium: ita SS. D. N. lib. 2. de Beat.

cap. 28. num. 9. Quare, juxta hanc regulam auream, tota series doctrinæ per totam Civitatem Mysticam deducta considerari debet, ut de libro hoc aptum judicium feratur: si vero totus liber attento, ac modesto, & benigno atque indifferente animo legatur, & textus cum textibus conferantur, nullus erit locus ejus, qui prudentem suspicionem excitare posse de doctrina haud sana, bonis moribus, ac fidei nostræ repugnante, prout jam declaravi pag. 612. & 827. just. Defens. & recoclam criminis praesentem Amortianam jam confutavi.

273 Regula tertia. *Revelationibus privatis, etsi approbatis, non debet, nec potest à nobis* (id est illis, quibus non sunt immediate factæ) *adhiberi assensus fidei Catholice, sed tantum fidei humanae juxta Regulas prudenteræ, juxta quas prædictæ Revelationes sunt probabiles, & pie credibiles.* Hanc regulam tradit BEATISSIMUS PATER lib. 2. de Beatif. cap. 32. num. 11. & lib. 3. cap. ult. num. 15. ubi eam adductis pluribus testimoniis aliorum comprobat: aliqua hic excerpto. Sic ibi SUMMUS PONTIFEX pergit: „ De assensi fidei Catholice hisce Revelationibus non adhibendo ita loquitur Melchior Cano de Locis Theologicis lib. 12. cap. „ 3. Quia vero nihil Ecclesiae refert ea credere, an non, quæ Birgittæ, Catharæque Senensi visa sunt, nullo certè mo-

„ do

„ do ad fidem illa referuntur. Cardinalis Cajetanus tom.
 „ 2. Opusculorum, tract. 31. cap. 1. Catholicis Revelatione
 „ nibus, quæ factæ sunt Apostolis, & Prophetis, docet
 „ esse inhærendum, tanquam fidei nostræ fundamen-
 „ tis; at Revelationibus privatis, quæ factæ sunt San-
 „ ctis, licet approbatis, ait tanquam probabilibus
 „ esse inhærendum: *Revelationibus Catholicis inhæremus*,
 „ tanquam necessariis, ita quod se hereticum comprobat,
 „ quicunque pertinaciter alicui earum adversatur. Reve-
 „ lationi autem factæ Sanctis, quorum doctrinam Ecclesia sus-
 „ cipit, tanquam probabilibus inheremus, ut *Divus Au-*
 „ *gustinus, Thomasque scripsierunt, & magistra rerum ex-*
 „ *perientia continuò testatur. Concordat Martinus del-*
 „ *Rio Disquisit. Magicar. lib. 4. cap. 1. quest. 3. sect. 4.*

Hæc BENEDICTUS XIV. pro confirmatione quoque allegans superius adductam formulam approbationis Revelationum Birgittanarum factæ à Cardinale Turrecremata, in qua dicitur, quod Revelationes privatæ tantum permittantur legi, sicut multorum aliorum libri, & historiæ. Ex his subin CELEBERRIMUS, ac in materia Revelationum VERSATISSIMUS Modernus SS. D. N. infert sequentem doctrinam, quæ sit

274 Regula quarta. *Potest aliquis salva & integra*
fide Catholica assensum Revelationibus prædictis (id est pri-
vatis) non præstare, & ab eis recedere, dummodo id fiat
cum debita modestia, non sine ratione, & citra contemptum.
 Ita Laudatissimus lib. 3. de Beatif. cap. ult. num. 15.
 ubi hanc assertionem suam sic stabilit ulterius scribens:
 „ Dum Romæ annis præteritis ageretur de resumenda
 „ causa Tirasonen. Beatificationis, & Canonizationis
 „ Venerabilis Servæ Dei Sororis Mariæ à Jesu de Agre-
 „ da, & de ipsius Revelationibus examen instituendum
 „ esset, Theologorum Seraphicæ Religionis, & causæ
 „ Postulatoris opus vulgatum est typis Cameralibus

„ impressum anno 1730. ubi pag. 297. hæc habentur:
 „ Theologi , & Mystici fatentur , quod Revelationes priva-
 „ tæ , quamvis probatæ , & receptæ , et si ab illis , qui tales
 „ Revelationes patiuntur , credi debeant , apud alios contra-
 „ riæ (sermo est de sententiis , quæ dictis Revelationi-
 „ bus adversantur) eamdem retinent probabilitatem , quam
 „ ante Revelationem habebant. Hurtado in supra cit. tract.
 „ s. cap. 6. §. 5. num. 836. & sequentibus , post relatas
 „ approbationes Revelationum Sanctæ Birgittæ factas à
 „ Summis Pontificibus subjicit : Non volunt isti Summi Pon-
 „ tifices , quod hujusmodi Revelationibus non possimus dis-
 „ sentire; siquidem Cardinalis de Turrecremata , qui fuit va-
 „ lidus defensor harum Revelationum , & refert verba Pon-
 „ tificum , diffensit Revelationi Sanctæ Birgittæ factæ , quod
 „ Virgo Beata fuit concepta sine peccato originali , scribens
 „ tractatum integrum , quod fuerit in originali concepta.
 „ Hæc iterum nunquam satis laudandus SUPREMUS
 „ ECCLESIAE PASTOR. Ex cuius placitis hic com-
 „ memoratis fluit alia sequela alibi ab EODEM asser-
 „ ta : quæ proin sit

275 Quinta Regula. Neque ex Revelationum pri-
 vatarum inter se contrarietate nulla absurditas deduci potest.
 Ita docet lib. 2. de Beat. cap. 32. num. 11. sic discur-
 tens : „ Nec enim ex earum (loquitur de Revelatio-
 „ nibus privatis) aliquando inter se contrarietate nulla
 „ absurditas deduci potest , sicuti bene explicat Gerso
 „ in Libello , cui titulus , QUÆ VERITATES CRE-
 „ DENDÆ SINT NECESSITATE SALUTIS , ubi
 „ Sicut dicit Aristoteles , nihil refert , quedam falsa proba-
 „ biliora esse quibusdam veris , ita nihil refert , quedam
 „ falsa piè credi. Non quod ea ratione , qua falsa sunt , vel
 „ si sciuntur esse falsa , credi possint ; procul hoc à pietate
 „ fidelium : sed cadit existimatio , vel pia credulitas non sup-
 „ per veritate , vel falsitate , sed tantammodo super appa-

„ rentia , vel probabilitate. Et hoc utique non est periculo-
 „ sum , vel falsum ; quia constat de apparentia , & proba-
 „ bilitate , dum falsitas , vel veritas ignota est. Propterea
 „ Sapientissime dicit Hieronymus , quod de talibus eligibi-
 „ lius est pie dubitare , quam temere definire. Sicut stat,
 „ quodlibet contradictorium esse probabile , & unum stat
 „ cum altero non in veritate , sed in probabilitate ; sic di-
 „ versis respectibus utrumque contradictorium credi potest
 „ cum fidei puritate , dum tamen sit animus ab assertione
 „ pertinaci alienus. Respicit autem iste gradus legendas , &
 „ miracula Sanctorum (non discussa videlicet , nec per
 „ Sanctam Sedem approbata) vitas Patrum , visiones de-
 „ votarum Personarum , Recitationes , & opiniones Sacro-
 „ rum Doctorum : quæ omnia suscipit Ecclesia , & legi per-
 „ mittit , non quod determinet , talia de necessitate salutis
 „ esse credenda , sed quia proficiunt ad commovendos affe-
 „ ctus pios fidelium , & in ædificationibus ipsorum ; dum in
 „ talibus nihil de certitudine scitur esse falsum , quamvis
 „ etiam nesciatur , illud certitudinaliter esse verum , quod
 „ oportet credere , nec ut tale credendum proponitur. Ha-
 ctenus verba SANCTISSIMI.

276 His regulis prælibatis facili negotio de Canonibus Amortianis justa fertur sententia , quod nempe eorum aliqui omnino falsi , vel certè limitandi , omnes verò male applicati sint Revelationibus Agredanis. Sic enim limitanda est propositio , quod in genere Revelationum non sint permittendæ propositiones similes , aut affines propositionibus falsis. Nam si sermo duntaxat sit de propositionibus , quæ merè probabiliter sunt similes falsis , tunc hic Amortianus Canon fallit : si quidem , quæ probabiliter solum sunt falsa , vel falso similia , ea probabiliter possunt quoque esse vera , & sic revelari , vel saltē tolerari possunt in Revelationibus privatis , in quibus sola probabilitas sufficit , non ob-

obstante probabilitate pro parte opposita.

Tali modo falsum prorsus est suppositum sic dicta Canonis sexti , quod ex multitudine talium Revelationum privatarum irridioni acatholicorum Ecclesia exponatur , reductio hæreticorum impediatur &c. quomodo cunque enim augeatur numerus similium Revelationum , verum semper manet , quod ab aliis , quibus non sunt factæ , non debeat ip[s]is assensus fidei Catholicæ , quod possit aliquis ipsi absque læsione fidei dissentire , quod solum permittantur legi , sicut alii libri non Canonici , qui nihil habent contra fidem , & bonos mores. Unde non video , qua ratione aliquid fide nostra indignum , & justæ irridioni acatholicorum subjectum &c. possit sequi ex permissione , & lectione similium Revelationum , et si multarum. Sicut enim copia aliorum librorum , à Catholicis editorum , qui probabilitatibus scatent , talia mala non procreat intra vel extra Ecclesiam , ita neque illorum causa erit multitudo Revelationum privatarum , quæ solum ad normam aliorum librorum legi permittuntur , & probantur. Si scandalum aliquod timendum est , illi forsan magnam materiam ministrabunt partus Amortiani , quos continuò protrudit contra Revelationes Agredanas à tot , & tantis Viris in Ecclesia , etiam Dioecesi Augustana probatas , & honoratas , præsertim dum hoc facit stylo mordaci , ac Religiosum , & Christianum minimè decente &c. de quo jam plura sunt dicta in justa Defensione.

Falso quoque supposito nititur putatius Canon septimus. Si enim propositiones privatum revelata per Revelationem non acquirunt apud Doctos majorem probabilitatem , quam antea habuerunt , quomodo per Revelationes ejusmodi possunt turbari ratiocinia in Theologia , & Historia Ecclesiastica? Vani sunt hi

scrupuli , quos sibi singit Criticus , dum nihil solidum ipsi , quod scriberet , occurrit , sed caveat , ne deinceps ejusmodi imaginarios Canones Doctrinæ illius , cui modo Canones condere competit , penitus adversos eruditio orbi proponat ; si enim sic pergeret , Canonibus suis sibi solum , non verò Ven. Scriptrici maculam ampliorem consisceret .

Neque reliqui Canones obsunt Scriptis Agredanis , utpote quæ juxta aureas Regulas ex Sapientissimis libris ERUDITISSIMI PONTIFICIS depromptas examinata , gaudent ea probabilitate , quæ in Revelacionibus privatis exigitur , ut partim ostensum est in Defensione justa sub finem seu §. ultimo , & partim ex dictis , & dicendis patefiet . Unde hujusmodi Canones (si tamen hoc nomen ipsis convenit) ad minimum male applicantur Scriptis Agredanis . Optandum foret solummodo , ut ab Adversario notaretur jam tacta

277 Regula 6. Censores Revelationum , & aliorum librorum non inhæreant pertinaciter proprio iudicio , sed agnoscant libenter probabilitatem Doctrinæ alienæ , à qua alioquin abhorrent . Hæc regula jam fuit inclusa primæ , & ex ibi laudatis testimoniis Pontificis clare sequitur . Verùm quia regulæ hujus observantia summè videtur necessaria nostro Adversario , qui sibi nefas duceret cedere alicui , vel ostendere , quod ab aliquo ejus rationes fuerint solutæ , aut solidè illis fuerit satisfactum : hinc volui eam roborare exemplis sanè pulcherrimis moderni SUMMI PONTIFICIS , qui dum libenter aliorum , etiam Franciscanorum , ad suas objectiones datis responsis , & solutionibus acquiescit , & eorum honorificè in suis libris minit , laudi sua nihil detrahit ; sed eam auget vel maximè , demonstrans , se non contentionis , & vanæ

existimationis, sed solius veritatis studio scribere, ac scientiam maximam conjungere cum virtute summa, ac humilitate profundissima. Exemplum primum defuso ex lib. 2. de Beatif. cap. 24. §. 36. num. 132. & seq. ubi refert, se tunc fidei Promotoris munus agente, graves fuisse propositas difficultates contra cultum immemorialem nostri B. Liberati de Lauro. Subdit verò, sed mirum est, quot fuerint rationes à Postulatoribus allatæ quantaque eorum momenta pro hujus objecti propagatione. Dein relatis responsis Postulatorum ita concludit: quæ omnia in Sacra Congregatione exposita, ac discussa sufficientia visa sunt ad decernendum, ne quid innovaretur supra cultum etiam tunc præstitum servo Dei Liberato de Lauro, Sancto nuncupato.

Alterum paradigmata præbet IDEM lib. 4. de Beat. Part. 1. cap. 30. num. 19. & seq. quo in loco fatetur, se Postulatoribus ob rationem ibi adductam opposuisse, cum ab his incorruptio corporis S. Jacobi de Marchia continuata post Beatificationem æquipollentem præponeretur tanquam miraculum novum pro ipsa Canonizatione: adjungit nihilominus, quod continuatio illa incorruptionis fuerit agnita ceu novum miraculum pro Canonizatione in Decreto edito 2. Februarii 1726. ubi quoque Doctrinam suæ difficultati, & objectioni contra hoc miraculum factæ contraria in mirè dilucidat; ut ibi videre licet, vel si auræ Opera hujus Sapientissimi Urbis & Orbis Doctoris ad manum haud sint, placeat explorare meam justam Defensionem pag. 371. ubi quædam ex laudato loco afferruntur.

278 Utinam hæc exempla imitaretur Criticus, & certè altercationes ejus aliquando finem consequentur. Agitur hic præcisè de probabilitate, & probatur pluribus, quod Revelationes Agredanæ sint ea-

tenus probabiles, quatenus ad earum permissionem, & approbationem requiritur, seu quod nihil continent contra fidem, bonos mores, aut sanam doctrinam, nihil contra pietatem, quam suis doctrinis Aſceticis potius mirum in modum fovent, nihilque contra assertionem certam, seu quod certae falsitatis postulari posset. Hanc probabilitatem agnoscunt innumeri ferè, scientia & pietate & dignitate etiam Ecclesiastica clarissimi Viri, Cardinales, Episcopi, Doctores, Universitates, Collegia &c. ut Art. 1. §. 1. iustæ Defensionis ostensum est, & his omnibus resistit Criticus: cum enim semel arma inimica adversus Civitatem Mysticam vibrarit, sine dedecore putat ea non amplius posse deponi. Loquitur, clamat, antilogias ac falsitates multiplicat, sua dicta in omnem versat partem, sicut & V. Scriptricis, veritatem etiam agnitam vel dissimulat, vel dedita opera occultat, vel omnino negat, quæ omnia hoc & prius meum Opusculum lustranti sunt in aprico. Deus & Deipara tandem illuminent oculos hujus viri, & videbit haud dubie, quod Revelationes Agredanæ in sensu obvio, stricto, ac proprio, paucis, in sensu, quem Ecclesia & Doctores in Revelationibus his possunt exigere, sint verè probabiles, ac piè credibiles. Id quod magis probatum eo, percurrendo particularia responsa Critici. Sit itaque

ARTICULUS II.

EXCUTIUNTUR PRIMI DUO NUMERI
ex Parte Quinta Adversarii.

279 **P**rioribus suis, nunc à me excussis assertis D. Amort ista subjungit: *Ut verò preter hanc responcionem generalem, etiam in particulari ad notabiliora Apologistæ loca respondeam, errat, vel calumniatur insignius in sequentibus.* Quibus mihi errores & calumnias tribuit: ast excussi conscientiam meam, & Defensionem, nec tamen calumniæ me ullius verè reum invenire potui. Id solùm deprehendi, Dominum Amort (cujus calamitus nimium prurit in imputandas suis Adversariis calumnias) veritatis candidam quoque ac modestam ostensionem, sæpe calumniæ loco habere. Sed videamus puncta, in quibus erraverim, aut calumniatus fuerim insignius.

Sic ergo Anti-Agredanus prosequitur suam à me modò excutiendam excussionem: „ Primò (sunt verba „ Adversarii) negat, exaudita esse mea vota, ut Re- „ velationes Agredanæ subjiciantur novo examini „ Sedis Apostolicæ. Cur hoc negat Apologista? Quia, „ inquit, id factum independenter à meo voto & li- „ bro. Sit ita. Evenisse tamen, quod optaveram, & „ quod Agredani non optaverant, eventus docet. „ Verum quidem est, Summum Pontificem noluisse „ novo examini quatuor Universitatum subjicere Re- „ velationes Agredanas; sed ex hoc vehementer gau- „ deo, quia sic expeditius triumpho ex judicio Sedis „ Apostolicæ, cuius hujus mæ spei certas habeo ex „ Italia & Roma, quas edere possem Litteras.

II DEFENSIO.

280

Criticus isto, & sequenti numero refondet meis dictis Part. 5. just. Defens. Art. 1. §. 1. Verum responsio hæc sat manca est, ut cuilibet meum prius opusculum volventi erit exploratum. Docui ibi prius, & adductis Testibus omni exceptione majoribus contra Amortium probavi, *Revelationes Agredanas tales non esse, quæ videantur notabiliter mutare statum Religionis in materia fidei, & morum contra sensum communem Ecclesie.* Verum has meas probationes omnes præterit, haud dubiè illis convictus. Unde jam præcipuum paragrapho illo primo intentum finem sum asseditus, qui fuit amovere à Scriptis Agredanis suspicionem etiam levissimam mutandæ per ea Religionis nostræ in materia fidei, & morum &c. In reliquis, quæ Criticus hic adducit, non tantum convictum, sed etiam confessum reum habemus: fatetur enim, verum esse, quod ego adversus ipsum constanter affirmavi, nempe S. Pontificem Modernum noluisse novo examini quatuor Universitatum subjicere Revelationes Agredanas. Dum autem sic liberè à me assertam confitetur veritatem, simul fatetur se prius in sua Controversia falsò repetitis vicibus, videlicet fol. 507. & 509. pronunciasse, quod Revelationes Agredanæ novo examini quatuor Universitatum nimirum Lovaniensis, Tolosanæ, Complutensis, & Salmanticensis sint à SS. D. N. commissæ. Videantur verba Adversarii iusta Defensione pag. 582. & mea eorum refutatio, & patebit falsitas Amortiana, ab ipso suo Authore nunc in excussionis recenti opusculo agnita.

281 Ut quoque satisfaciam primis hoc numero
af-

assertis Amortianis , sciendum est , me solùm voluisse ,
 quòd S. Pontifex examinari curans in particulari Con-
 gregatione SS. Rituum Civitatem Mysticam , minimè
 ad crises , & vota Adversarii , sed præcisè ad preces
 Regum Hispaniæ , & Siciliæ , ac Decretum URBANI
 VIII. respexerit . Quod verum est : & laudatis ipsis ver-
 bis Epistolæ , & Decreti BEATISSIMI PATRIS BE-
 NEDICTI XIV. demonstravi in justa Defensione pag.
 589. & seq. item pag. 598. Nøque Agredanis hoc
 examen displicet , utpote quod nullatenus libris V.
 Scriptricis præjudicat , cùm istud etiam subire debeant
 jam antea à Congregatione indicis approbati libri , &
 Scripta illorum , de quorum Beatificatione Romæ agi-
 tur , ut citato fol. 589. just. Defens. est ostensum : ubi
 præter alia hæc attuli : „ Dicit ulterius (Adversarius)
 „ Sanctissimum D. N. Vota ipsius exaudiisse , & novo
 „ examini quatuor Universitatum Lovaniensis , Tolosanæ,
 „ Salmanticensis , ac Complutensis subjecisse libros Civitatis
 „ Mysticæ . Ast hoc omnino falsum est : Nam in litteris
 „ SS. D. BENEDICTI XIV. ad nostrum Reverendis-
 „ sum Generalem , solùm dicitur , quod velit omnia
 „ hujusmodi judicij capita cum judiciis Academiarum
 „ præfatarum pensare : non loquitur autem ibi de ju-
 „ diciis primū ferendis , sed jam latis , & aliunde
 „ constat , quòd novam censuram ab his Universita-
 „ tibus non expetierit : vel nominet , & proferat Ad-
 „ versarius ejusmodi Decretum Pontificium , quo nova
 „ censura , à quatuor illis Universitatibus exigitur.
 „ Ast nullum proferre potest . Fallitur ergo in hoc
 „ puncto Adversarius , qui etiam non credit , exami-
 „ na , quæ de Civitate Mysticæ à particulari Congre-
 „ gatione Rituum continuantur , ipso Authore , vel
 „ sua ore fieri ; ut enim ex litteris ad nostrum Reve-
 „ rendissimum Generalem , & ex actis illustrissimi fi-

„ dei Promotoris tam Controversia Anti-Agredani
 „ insertis pag. 19. quām huic opusculo num. 24. pa-
 „ lam est, hujus discussionis motivum est Decretum
 „ URBANI VIII. juxta quod privativē à Congrega-
 „ tione SS. Rituum in libros hos debet priūs inquire,
 „ quām ad alia in causa Beatificationis Ven. Ancillæ
 „ Dei procedatur. Hæc discussio debet fieri à prædicta
 „ Congregatione, etiamsi libri priūs iam sint appro-
 „ bati: hinc (ait SS. D. BENEDICTUS in epistola
 „ illa eruditissima ad nostrum Reverendissimum Ge-
 „ neralem) *Hinc est, quod, licet Ven. Servus Dei Rober-*
 „ *tus Cardinalis Bellarminus præclaros suos Controversia-*
 „ *rum libros non sine præviis approbationibus, & permis-*
 „ *sionibus vivens in lucem emiserit; iidemque post typogra-*
 „ *phicas editiones in Congregatione indicis novo examini*
 „ *subjecti fuerint; cum tamen actum fuerit de promovenda*
 „ *causa Beatificationis & Canonizationis ejusdem Servi*
 „ *Dei, necesse omnino fuit Postulatoribus eisdem libros,*
 „ *una cum aliis scriptis iterum exhibere in prefata Congre-*
 „ *gatione SS. Rituum examinandos. Ex quo*

„ Habes primò, hoc examen SS. Rituum Con-
 „ gregationis nullatenus libris Agredanis præjudicare,
 „ cùm ad hoc etiam scripta probatissima, à Congre-
 „ gatione Indicis quoque permissa edi iterum debeant
 „ revocari, ut exemplum habemus in lib. Ven. Servi
 „ Dei Bellarmini. Habes secundò, privativē hoc exa-
 „ men spectare ad SS. Rituum Congregationem, non
 „ ad privatum quempiam, aut D. Amort. Habes
 „ tertio, hanc discussionem fuisse futuram ad effectum
 „ Beatificationis, licet D. Amort nec verbulum de Re-
 „ velationibus scripsisset.

282 Nunc recitatis in justa Defensione plura sub-
 junxi, quibus de se gloriantem, ac non satis modestè
 de aliis scribentem calamum Amortianum excussi.

Quæ

Quæ pag. 590 & seq. just. Defens. legenda Criticus
nunc alto silentio premit. Unum haud valet conco-
quere, unde id in me (quem, licet innocentem, ite-
rum calumniæ arguit) regerit. Sic sonant

VERBA ULTERIORA ADVERSARII.

„ II. **N** Egat Apologista, contrarium esse tran-
„ quillo ductui Spiritus sancti, si Roma
„ contra suam inclinationem & morem cogatur ob-
„ preces potentes Reginarum & Principum sua Decre-
„ ta, quoad executionem suspendere in materia re-
„ ceptiva tolerantiae. Et unde hoc probat? Quia, in-
„ quit, etiam ad processus Beatificationum interve-
„ niunt potentes, preces Principum. Verum ingens est
„ disparitas inter preces Principum *devotas*, & *humiles*
„ necdum emanato Sedis Apostolicæ judicio; & inter
„ preces potentes ad Decreta Romana sapienter edita
„ iterum revocanda vel suspendenda. Illæ preces devo-
„ tionem Principum commendant, istæ indifferentiam,
„ quam Deus circa res ejusmodi pure Ecclesiasticas re-
„ quirit in precibus, Principum, minimè ostendunt.
„ Aliud ergo insinuatur, dum INNOCENTIUS XI.
„ protestatur, se Decreto jam edito *supercedendum*
„ *ducere*, quamvis *S. Inquisitionis ratio*, & *stylus sua-*
„ *deret*. Cæterum, quod ego in meis libris non sim inju-
„ rius Summis Pontificibus, prout calumniatur Apologi-
„ sta, colligit benevolus Lector ex sequenti extractu Epi-
„ stolæ, quam SS. D. N. BENEDICTUS XIV. sub dato
„ 19. Julii 1749. rescribere dignabatur. In ea conti-
„ nentur sequentia: *In eo*, quod attinet ad *novum tuum*
„ *opus de Controversia circa Revelationes Agredanas*, nos
„ illud legere incepimus, & multa in eo deprehendimus uti-
„ lia, docta, prudentia repleta, & quæ tum nobis, tum
„ aliis,

„ aliis , cùm iterùm agendum erit de operibus Agredanis,
 „ non modico sanè poterunt esse adjumento. Occasione ita-
 „ que futuræ revisionis prædictarum Revelationum adim-
 „ pleri poterunt ea , quæ tu proponis adimplenda , examen
 „ videlicet propositæ falsitatis Æræ Vulgaris. Addis in ulti-
 „ mo Apologiæ folio , te editurum esse Theologiam Moralem
 „ & Scholasticam ad mentem Sanctorum Patrum , & Theo-
 „ logorum veterum. Si ea ad nos deferatur ante editionem,
 „ cordatis censoribus ejus examen committemus , ut tuæ
 „ satisfaciamus petitioni. Perge itaque dilecte fili , per se-
 „ mitam , per quam hucusque ambulasti. Laborasti enim in
 „ vinea Domini , nec fuisti villicus inutilis , prout & nos
 „ & reliqui , qui tua Opera legimus , libenter attestamur.
 „ Hæc proferre impudentia Apologistæ compulit , dum
 „ fol. 596. num. 409. scribere non erubescit : Non ar-
 „ bitror , in tota Germania vel etiam Ecclesia facile aliquem
 „ esse reperire verè addictum Religioni Catholice , qui ejus-
 „ dem cum ipso sit opinionis , qui tam abjectè de Regibus
 „ de Inquisitione florentissima Hispanie ac Summis Ponti-
 „ ficibus sentiat .

283 Hæc noster Criticus. Qui ne errasse videatur
 meam Defensionem obfuscat , ac priorem injuriam de-
 nuò repetit. Ne autem putet , se dicteriis suis victo-
 riam obtinuisse , ipsius priora , & præsentia incautè
 scripta in compendium contraho , & cum meis assertis
 in libra æquitatis ponderanda limato cujusvis pruden-
 tis & indifferentis Lectoris intellectui offero.

Itaque D. Amort pag. 573. Controversiæ auda-
 citer affirmat primò , ab Inquisitione Hispanica *invita* ,
 & ad potentes preces Reginæ ac Regis Catholici non
 suadente intellectu , sed suadente voluntate scilicet Regis
 ac Reginæ post quindecim annorum examen fuisse re-
 laxatum sequestrum Civitatis Mysticæ , & eam legi per-
 missam. Secundò : Supposos Pontifices *motu proprio*
agen-

agentes nunquam aliquid in favorem Revelationum Agredanarum decrevisse, quidquid autem in bonum earum decreverint, id fermè totum egisse ad *potentes preces Regias*, sicque Causam Agredanam non subjici lento ductui Spiritus sancti, & tranquillo judicio Ecclesiæ. Tertiò dicit argumentum à pari ex variis causis Ecclesiasticis antiquis & Recentioribus Arianorum, Semi-Arianorum, Monothelitarum; unde ni fallor Reges Hispanos patrocinantes Causæ Agredanæ comparare nittitur cum illis, qui Causæ Arianorum, Semi-Arianorum, Monothelitarum auxilium tulerunt.

Hæc asserta Amortii perstringens dixi primò, illis ostendi ignorantiam, dum tranquillo Spiritus S. dæni adversum existimatur, si in Causa Beatificationis, & Canonizationis (qualis etiam est Agredana) apud Sedem Apostolicam interveniunt preces Regum & Principum: eas enim ordinariè interponi stylus receputus Romanæ Curiae probat. Quod testantur non solum Clarissimi Canonistæ à me citati, sed & plures Bullæ adductæ, quarum tenorem quis legere poterit in justa Defens. pag. 593.

Ex his intruli duo. Primum est: si secundum Ecclesiæ praxin, admittuntur preces Regum & Principum, ea non repugnant lentæ, & suavi directioni Spiritus Sancti Ecclesiam regentis. Secundum est: si in causa majore soli Sedi Apostolicæ reservata, cuiusmodi est Canonizatio, justè, & piè, ac rationabiliter recepto Ecclesiæ usu preces Regiæ sunt, quidni in minore quoque, quando agitur apud Senatam Inquisitionis, ut liber aliquis licetè legi posset?

Sed ait Criticus distingui debere inter preces *potentes Principum*, & *inter humiles*, ac *devotas &c.* quibus continuat suam dicacitatem erga Monarchs Hispanos, quæ statim puncto mox sequente retundetur.

284

Dixi itaque secundò in justa Defensione: D. Amort aggressus est honorem SS. Pontificum, Piissimorum Regum, ac Doctissimorum Theologorum, dum nil aliud asseruit, quām quòd Reges Catholici &c. ab *invitis* Pontificibus, ac Senatu Inquisitionis Hispánicæ per potentes preces quasi vi, vel (ut alias solemus loqui) per fas, & nefas extorserint suspensio nem prohibitionis, & permissionem Revelationum Agredanarum, ac fermè quævis Decreta Pontificia his Revelationibus faventia: item, quòd præfati Reges, & Reginæ instantiis suis nisi fuerint repugnare, aut resistere tranquillo ductui Spiritus S. regentis Ecclesiam, petierintque approbationem, & permissionem, quam Ecclesia, vel Inquisitio justè, ac secundùm intellectum, seu rationabiliter impetriri non poterat. Quid quòd Criticus preces Piissimorum, & verè Catholicorum Regum videatur comparare cum technis, & violentiis, quas interdum Principes Ariani &c. vel Arianis partibus faventes adhibebant ad sectas nefarias promovendas?

Nonne hæc dicta Amortiana mordent honorem Piissimorum de re Catholica semper insigniter meritorum Regum? Profectò tanti Monarchæ, dum proximilibus gratiis preces suas porrigunt, non volunt, ut *suadente eorum voluntate*, sed etiam ut *suadente intellectu* ipsorum petitis annuatur, si nempe justitia, & ratio permittat ea exaudiri. Quis enim præsumat, aut de illis affirmare audeat, quòd aliquid justitiæ, aut rationi non consonum postulare velint?

Injuriam istam etiam redundare in Summos Pontifices, qui in favorem Causæ Agredanæ aliquid statuerunt, uti & in Sapientissimos Viros, qui Senatum Florentissimæ Inquisitionis tunc constituerunt, dum ab eodem libri Agredani sunt legi permitti, quis non

videt? Hi enim omnes non ex blando Spiritus S.
 ductu, non suadente intellectu, seu non rationabiliter,
 coacti per preces potentes, tanquam servi respectus
 humani, lectionem librorum Agredanorum permis-
 runt, & alia, quæ ipsis favent, decreverunt. Hæc
 anteà jam dixeram in justa Defensione pag. 595. ubi
 quoque sequens dilemma formavi, cuius cornua ti-
 mens Criticus, nec verbulum ad illud, sicut ad alia
 plura, reposuit. Ita sonat: „ Vel affirmat Adversarius,
 „ quod Tribunal illud celeberrimum S. Inquisitionis, &
 „ SS. Pontifices instantiis Regiis moti solùm ex respectu
 „ humano egerint, non attendendo æquitatem causæ:
 „ vel admittit, quod precibus his solùm permoti fuerint
 „ ad decernendos, & indulgendos eos favores in causa
 „ Agredana, quos justè, & rationabiliter poterant
 „ concedere: si secundum dicit, seipsum confudit, ac
 „ contra se fatetur, S. Inquisitionem Hispanicam, &
 „ INNOCENTIUM XI. justè ac rationabiliter fecisse,
 „ dum iste suspendit prohibitionem, & illa removit se-
 „ questrum Revelationum Agredanarum, ut adeò hæ-
 „ licetè à fidelibus haçenus legi potuerint. Ex hoc au-
 „ tem sequitur, quod nihil fidei, bonis moribus, aut
 „ doctrinæ sanæ repugnans, aut meritò reprehensibile,
 „ in Civitate Mystica fuerit repertum; aliæ enim justa,
 „ & rationabilis non fuisset ista remotio prohibitionis,
 „ & sequestri, sed debuissent libri isti positivè prohiberi,
 „ maximè si propositiones hæreticas, hæresibus faven-
 „ tes, prout non semel illis imputat D. Amort, con-
 „ tinerent, aut si duntaxat de talibus erroribus, ac
 „ doctrina haud sana suspectæ forent. Id quod cuilibet
 „ consideranti, & scienti modum procedendi Ecclesiæ,
 „ ac illius Sapientissimæ Inquisitionis certum est. Ergo
 „ secundum hoc assertum non admittet Adversarius,
 „ utpote sibi contrarium. Ast dum evitat charybdin,

„ incidit in scyllam , & affirmat , quòd Inquisitio His-
 „ panica longè clarissima , & Summi Pontifices faven-
 „ tes causæ Agredanæ in suis Decretis non ad æquita-
 „ tem causæ , non ad id , quod ratio , sed quod voluntas
 „ Regum postulabat , attenderint , seu non suadente
 „ intellectu , id est , non secundum rationem , sed sua-
 „ dente voluntate , ac respectu humano processerint.
 „ Igitur Censor Anti-Agredanus Supremos Ecclesiæ
 „ Rectores plures , INNOCENTIUM XI. ALEXAN-
 „ DRUM VIII. BENEDICTUM XIII. quos citato
 „ loco nominat , ac Viros sapientia , & virtute cele-
 „ berrimos , qui Senatum Inquisitionis Hispanicæ con-
 „ stituunt , servos facit respectus humani in causa ma-
 „ ximè ardua , in qua agitur de libro licetè ab omnibus
 „ fidelibus retinendo , legendo &c. qui juxta Adver-
 „ sarium , ita saepius protestantem , continet plures
 „ propositiones certò falsas , hæreticas , vel de hæresi
 „ suspectas , aut erroribus sectariorum faventes , me-
 „ ras nugas , fabulas muliebres , visiones , & promis-
 „ siones fictitias &c. Quis Pontifices illos , & Inqui-
 „ sitionem Hispanicam à grandi piaculo immunes pro-
 „ nunciabit , dum librum tam absurdum , & tali modo ,
 „ prout eum describit D. Amort , constitutum non
 „ positivè voluerunt esse prohibitum , & Regibus ejus
 „ permissionem potentibus non omnibus viribus re-
 „ stiterunt ? Creditne Criticus Summos Pontifices , ac
 „ Inquisitionem Hispanicam tam pavidi esse animi , ut
 „ instantia , ac commendatione Regia ad aliquid Re-
 „ ligione Catholica indignum , ac haud rationabile se-
 „ flecti sinant ? Id profectò credere & affirmare Adver-
 „ sarium , ex ejus dictis sequitur .

„ Ast hæc crediderit , hæc fecerit Censor Anti-
 „ Agredanus iste , de quo ipse viderit ; non tamen ar-
 „ bitror in tota Germania , vel etiam Ecclesia facile-

„ aliquem esse reperire verè addictum Religioni Catho-
 „ licæ , qui ejusdem cum ipso sit opinionis , qui tam
 „ abjectè de Regibus , & Inquisitione florentissima
 „ Hispaniæ , ac Summis Pontificibus sentiat , qui ausit
 „ affirmare , quòd Reges Hispaniæ aliquid à Sede Apo-
 „ stolica , vel Senatu Inquisitionis petierint in causa
 „ Agredana concedendum , nisi suppositis supponen-
 „ dis , vel nisi rationabiliter , piè , ac justè fieri possit:
 „ item quòd Summi Pontifices ex solo respectu huma-
 „ no , ferme quævis Decreta causæ Agredanæ faventia
 „ dederint. Ista ex justa Defensione conceptis , quibus
 „ ibi sunt expressa , verbis repetii , ut conjicere possit
 benevolus Lector , me injurias Amortianas illatas SS.
 Pontificibus solum propulsasse , non verò calumnia
 aliqua petuisse Amortium.

285 At verò D. Amort evidenti Demonstratione
 injuriarum suarum , quibus in Suprema Ecclesiæ ca-
 pita , Reges , ac Inquisitionem Hispanam est debaccha-
 tus , haud emendatus , ne errasse videatur , iteratò in
 Reverentiam Summis Pontificibus , & Regibus Hispa-
 niæ debitam , peccare audet : confirmat enim in *nova*
sua Demonstratione , & Excusione priora sua incautè
 prolata dictoria verbis superius recitatis , quæ hone-
 stis , ac catholicis auribus certè gravia esse debent.
 Nam illis hoc unicè intenditur , & significatur , quòd
 preces Regis ac Reginæ Hispaniæ apud *INNOCEN-*
TIUM XI. factæ , non fuerint *humiles* , *nec devote* , *sed*
potentes , cogentes Piissimum Pontificem ad aliquid con-
 trarium ductui Spiritus Sancti , ac inclinationi suæ.
 Et quis neget , quòd similis locutio lœdat famam Regis
 ac Reginæ Devotissimorum Sedi Apostolicæ ? Unde
 probat Criticus , quòd preces istæ fuerint *potentes , &*
cogentes Romanos ad aliquid ductui Spiritus Sancti con-
 trarium ? Forsitan minas inseruerunt Principes hi suis

supplicibus libellis , aut omnino vim intulerunt Supremo Ecclesiæ Rectori ? Sed quis prudens de Principibus adeò Orthodoxæ fidei & Sedi Apostolicæ addictis tam temere judicare præsumat ? Si autem vim nullam fecerunt , minas nullas intentarunt , qua ergo ratione coegerunt INNOCENTIUM XI. ad aliquid ductui Spiritus Sancti , & suæ inclinationi contrarium?

Verum apage ejusmodi injurias, quæ etiam famam INNOCENTII XI. rodunt! qui, Amortio judice, se per potentes preces Regias cogi permisit ad aliquid decernendum contrarium ductui Spiritus Sancti ; qui , tanquam mancipium respectus humani erga Reges , tranquillum ductum Spiritus Sancti neglexit , & contra illum suadente scilicet voluntate , non suadente autem intellectu , seu non rationabiliter statuit in Causa Agriciana , quæ non deceret statuere. Hæc sanè (& utinam etiam sana !) est mens Amortiana in novo opusculo , & anteriore Controversia ad nauseam usque omnium verè fidelium declarata. Dixi ad nauseam usque omnium verè fidelium: siquidem Heterodoxi , & alii ipsis faventes rident , & applaudunt , dum sic proscindi cernunt Summos Ecclesiæ Pastores , ceu servos respectus humani , qui etiam per preces Regum ad illicita ac Ecclesiasticis institutis , & tranquillo ductui Spiritus sancti contraria se cogi sinant. Hæccine sunt elogia , quæ vir Ecclesiæ devotus Romanis Pontificibus tribuit? Forsan istam scribendi methodum hausit ex suis per quām familiaribus Authoribus Oudino , & Caveo , inimicis maximis Sedis Apostolicæ?

286 Ne dicas : Rex & Regina Hispaniæ petierunt , ut Decretum Romæ sapienter editum revocaretur , & INNOCENT. XI. protestatur, se Decreto edito supercedendum ducere , quamvis S: Inquisitionis ratio , & stylus aliter suaderet. Quid enim ex hoc sequitur ? forsitan

fan quòd Regiæ preces sollicitarint, & S. Pontifex concesserit aliquid iniquum, quod justè ac rationabiliter non potuit peti, aut concedi? Quis autem existimet, Pontificem tantum, tot laudib[us] ob felicissimum suum régimen celebratum, ad aliquid irrationabile, ac iniquum se flecti permisisse? Nemo profectò verè catholicus, nisi solus D. Amort, ex cuius scriptis sequela hujusmodi calamo Theologi catholici indignissima necessariò fluit. Neque ratio Amortiana aliquid ponderis habet, cui quivis Theologiae moralis tyro, qui primis labiis tractatum de legibus degustavit, facile satisfacit. Hic enim absque ulla hæsitatione Anti-Agredano dicet, constare ab experientia quotidiana, quòd Decreta Pontificia sapienter edita, sèpissimè ob novam emergentem circumstantiam &c. mutantur, revocentur, suspendantur; aliquoties etiam circa ea, quæ alias ordinariè fieri deberent secundum stylum Curiæ Romanæ, dispensetur in particularibus quibusdam casibus. Exempla hujusmodi pas-sim in Casistis, & Canonistis leguntur, ad quos Amortium remitto; nolo enim moras trahere in re omnibus notissima. Unum tamen alterumve textum, qui scrupulum Amortianum abigit, ei notandum prælego.

Extravag. 70 ANNIS XXII. Quia nonnunquam ē de verborum signif. sic habetur: quia nonnunquam, quod conjectura profuturum credidit, subsequens experientia novicium ostendit, non debet reprehensibile judicari, si Canorum Conditor, Canones à se vel suis Prædecessoribus editos, vel aliqua in eisdem contenta Canonibus revocare, modifica-re, vel suspendere studeat, si ea obesse potius, quam prodesse viderit. Huc faciunt quoque illa capit. Alma Mater 24-de Sentent. Excomm. in 6. ubi dicitur: Alma Mater Eccl[esi]a plerumque nonnulla rationabiliter ordinat, & consul-te, quæ suadente subjectorum utilitate postmodum (NB)

consultius , ac rationabilius revocat , in meliusve commutat; Atque adeò rationabiliter , & conformiter ductui blan-
do Spiritus Sancti Ecclesiam dirigenis , vel omnino
rationabilius nova emergente causa prius sapienter
constituta Decreta Pontificia revocantur , vel mutan-
tur. Quod & in præsenti materia factum esse eo con-
fidentius affirmo , quo minus sine temeritate contra-
rium de tanto Pontifice , nimirum INNOC. XI. licet
præsumere. Intellexit nempe Laudatissimus Ecclesiæ
Pastor ex Oratoribus Regis ac Reginæ Hispaniæ , ex
suspensione , & prohibitione librorum Agredanorum
anteà tam solemniter à variis maximi nominis , etiam
in Ecclesiastica dignitate constitutis viris , & aliis piissi-
mis , ac sapientissimis Doctoribus probatorum , non
leves oriri in populo Christiano dissensiones cum animarum
scandalo , præsertim in regnis Hispaniæ , & Lusitanie , ut
in actis Agredanis refertur , proinde censuit esse ac-
quiescendum precibus Regiis , tam rationabilibus , ac
suspendendam prohibitionem , & discussionem ulte-
riorem S. Inquisitionis Romanæ. Quamvis verò hic
aliquid præstiterit INNOC. XI. contra stylum S. In-
quisitionis , non tamen excessit limites potestatis Pon-
tificiæ , à qua uti originem trahit ejusmodi stylus , ita
& ab eadem potest modificationem accipere. Neque
novum est , quòd Principes in causis etiam Ecclesiasti-
cis soleant suas interponere preces ; ut patet in mate-
ria variarum dispensationum , & aliorum negotiorum,
præsertim Canonizationis , & Beatificationis , quæ
semper cum causa librorum Agredanorum concurrit.
Ita quoque recentissimè BENEDICTUS XIV. contra
stylum consuetum S. Congregationis Rituum , ac præ-
scriptam ab URBAN. VIII. formam , in favorem Cau-
sæ Agredanæ quædam indulxit , ut videre est in Epi-
stola SS. D. N. BENEDICTI XIV. inserta controver-
siae

six Agredanæ ; tantum videatur pag. 102. ejusdem Controversiæ §. pendente autem. Qui propterea nihil egit adversum blando ductui Spiritus Sancti , etsi usus plenitudine Apostolicæ authoritatis , & liberalitatis (ut ipse loquitur) aliquid contrarium stylo , & mori recepto S. Congregationis statuerit. Idem dicat Adversarius de suspensione prohibitionis à S. Inquisitionis Officio factæ , & discat melius judicare de factis Summorum Pontificum.

287. Laudat quidem Criticus pro se sèpius Litteras Romanas , & etiam Pontificias ; quidquid de istis sit , expecto cum Agredanis , donec Opera Anti-Agredana integrè Romæ lecta , & cum vindiciis Agredanis collata fuerint. Profectò SS. D. N. non probabit tot falsitates , antilogias , & alias technas , quas Criticus singulariter circa Chronologiam data opera adhibuit ad veritatem suppressam. Expectet igitur & ipse Adversarius , & non toties triumphet ante victoriam. Neque aestimet , omne , quod modo splendet , esse aurum , etiam in igne justi & exacti examinis sibi constans. Calumnia à me nulla affectum esse Criticum , sed nudam veritatem fuisse propositam , ex hac tenus discussis , & mea justa Defensione liquidum erit indifferenteribus ac probè catholicis Lectoribus ; quorum unus quidem (ut iterum repeto) imò nec unus verorum fidelium cum Anti-Agredano in hac materia , quam modo tractavi , sentire poterit.

Demum Anti-Agredanus nihil dicit ad ea , quæ contra ipsum scripsi pag. 598. just. Defens. & seq. ubi ostendi , falsò ab eo esse assertum , quòd Summi Pontifices , quandocunque egerunt motu proprio (id est juxta Adversarium , sine instantia Regum) ediderint Decreta non faventia his Revelationibus. Videatur citato loco , quo falsitas dictorum Amortianorum clare demonstratur.

ARTICULUS III.

EXCUTITUR NUMERUS TERTIUS*Anti-Agredani.*

288

Numerus tertius apud Criticum hic est: „ Tertio assert (Apologista) me imitari naturam araneæ, quæ venenum ex optimis floribus exugere solet, dum ostendo, revera in Revelationibus Agredanis B. Virginem non tantum more Patrum tropicè per modum causæ mediatæ, sed etiam in sensu rigoroso per modum causæ immediatae, utut dignificatæ per merita Christi, vocari Redemptricem, & Conredemptricem generis humani. Verè ego sensum Agredanum attigerim; vel utrum propositio sic in sensu proprio accepta tolerari possit, vel, cum sit versatilis, tolerari decenter debeat, judicabit Sedes Apostolica. Judicare autem interea benevolus Lector poterit, si legerit meam Historiam Controversiæ cum ipsis Revelationibus quoad loca à me allegata. Error Apologistæ, quem fol. 607. n. 416. prodit, consistit in eo, quod esse causam dignificatam per merita, non sit esse causam immediatam. Sed hoc ejus suppositum falsum est. Sancti enim & fideles sunt causa immediata suorum bonorum operum, etiamsi causa sint dignificata per merita Christi. Neque melius est aliud effugium ejus, dum ostensurus, quod B. Virgo in Revelationibus dicatur esse causa mediata; id fol. 608. probat ex eo, quod V. Scriptrix in alio loco dicat, quod B. Virgo ad redemtionem quidem manum & operam contulerit, licet in Christo solo vera virtus & adæquata causa univer-

„ salis redemptrionis fuerit. Nam in primis in versione
 „ Germanica , cui magis fido , quām Latinæ & Galli-
 „ cæ à Franciscanis factæ , atque in pluribus locis cor-
 „ ruptæ , non correspondet terminus , qui idem sonet,
 „ ac adæquata ; non enim dicitur , *dīe alleinige Ursach*,
 „ id est , *sola causa* , prout sonat in Latino. Dein etiam
 „ in anima est virtus , & adæquata causa vitæ & motus,
 „ & tamen etiam corpus est immediata concusa ope-
 „ rationum vitalium ac sensationum , saltem in prin-
 „ cipiis Philosophiæ Peripateticæ. Sic etiam homo est
 „ immediata causa operum justorum , licet virtus &
 „ causa primò justificativa sit adæquate in Christo.
 „ Neque ulterius Apologista Revelationes sufficienter
 „ expurgat à titulo. *Redemptricis immediate ex eo* , quia
 „ vocatur Mediatrix. Nam etiam Christus est Media-
 „ tor inter Deum & hominem , licet sit causa imme-
 „ diata redemptrionis. Immò verò in causis moventi-
 „ bus , quæ movent ut motæ ab alio , illa potius di-
 „ citur causa immediata , quæ ultimò movet. Hacte-
 „ nus dicta Amortiana.

DEFENSIO.

289

ISTO in numero Anti-Agredanus tria præ-
 stat. Primò efficaciam meæ Defensionis
 nec tangere audet. Secundò corruptit Civitatem My-
 sticam falsatione nova , in antecedentibus Operibus
 Anti-Agredanis nondum commissa. Tertiò sua priora
 dicta ipse destruit.

Exordior à primo. Pagina 601. & sequentibus
 just. Defen. expendi titulos *Redemptricis* , & *Mediatricis*
 à V. Scriptrice Virgineæ Matri attributos , & ostendi
 duo , quod scilicet V. Maria de Agreda eadem lingua
 in præfenti materia cum SS. PP. Doctoribus , ac Reye-

lationibus aliis jam approbatis utatur , & quidem lo-
quatur juxta mentem SS. Patrum , & Ecclesiae. Præter
integrum apud Gonzalezium videndum Catalogum
SS. PP. salutantium Deiparam Redemptricem &c. ad-
duxi INNOC. III. Serm. 2. de Assumpt. S. Ephrem
Orat.ad Virg. & plures alios apud Eximium Doctorem
tom. 2. in Part. 3. disp. 23. sect. 1. legendos , qui si-
milibus elogiis non obscurè honorant SS. Cœlorum
Reginam. Addidi, cùm SS. Patres hujusmodi prædi-
catis condecorantes Dei Genitricem nihil contra men-
tem Ecclesiæ , & sanam doctrinam affirment , sed in-
telligendi sint cum debita proportione , & restrictione,
quam subjecta materia petit , idem esse dicendum de
V. Scriptrice , non aliter loquente.

290 Pro majore declaratione attuli verba Petri
Canisii l. 3. de Deipara c. 27. quibus ille docet , in
titulis , & epithetis , quae jam Deo , jam sanctis tri-
buuntur , non nuncupationem , sed significationem
spectandam , ac vulgatissimis distinctionibus , prima-
rio & secundario , per se & per accidens , propriè &
similitudinaliter , ad æquatè & inadæquatè , &c. rem ex-
pliçandam esse. Adjunxi exemplum ex Scriptis Amor-
tianis petitum de cruce , quam Ecclesia sic honorificè
alloquitur : O Crux ave spes unica , piis adauge gratiam,
reisque dele crimina , salva præsentem cateriam. Ubi en-
comia hæc crucis in sensu proportionato , & cruci
competente accipiuntur : idem ergo cum proportione
afferendum , si in libris , vel Revelationibus B. Virgo
appellatur Redemptrix , Conredemptrix , Mediatrix , Vel
Coadjutrix nostræ salutis : hæc enim quivis fidelis au-
diens , non in sensu æquali , quo Christo adscribuntur ,
sed inferiore de B. V. Maria intelligit , quatenus nem-
pe aliquo , suam conditionem non excedente , modo
cooperata est Christo ad nostram Redemptionem , &

salutem. Quem modum à pag. 609. justæ Defensionis ex ipsis Scriptis Agredanis explicavi, & placitis Doctoris Eximii, ac ratione comprobavi, quamvis ibi à me dicta Criticus omnia transiliat, cùm videat suas intuitiles crises illis penitus everti. Nihilominus velit indifferens Lector benevolum oculum indulgere tam paginæ citatae, quām alteri, nempe 611, ubi ex Scriptis Agredanis deditxi, quòd B. V. Maria tribus modis ad salutem nostram cooperata fuerit, primò nimirum merendo de congruo incarnationis circumstantias, secundò petendo, orando, ac de congruo merendo nostram salutem; tertio gignendo nostræ salutis Authorem: ubi addidi ex Suarezio, quòd propter ista Deipara dicatur à SS. Patribus causa nostræ salutis &c. videatur ibi.

Deinde allegavi Revelationes approbatas, quæ ponderosis verbis illibatain Virginem deprædicant Redemptricem. Si Catharina Senensis orat. 17. vocat eam Redemptricem generis humani. In Revelationibus vero Birgittanis l. 1. c. 35. SS. Cœlorum Regina sic loquitur ad Ancillam suam: sicut Adam & Eva vendiderunt mundum pro uno pomo, sic filius meus, & ego (NB) redemimus mundum quasi cum uno corde. Si itaque Revelationes Birgittanae, & Scripta S. Catharinæ Senensis, licet hunc titulum assignent B. Virginis, sunt probata ab Ecclesia, neque idcirco damnanda erunt Scripta Agredana.

Ad hæc filet Criticus, nec iota unum reportavit, sicut & ad sequentia. Demonstravi clarissimè textibus Civitatis Mysticæ, quòd tales tituli à Ven. Scriptrice restringantur ad eum ordinem, & proportionem, quæ B. Virginis dignitatem non superat. Ita pag. 609. laudavi numerum 1183. P. 2. Civitatis Mysticæ, quem Anti-Agredanus pro se, sed haud apte

aptè allegavit. Hic ita habet: „ Christus (in cœnacu-
 „ lo) pro mortalibus sequentem in modum peroravit.
 „ Pater mi! jam humanæ Redemptionis pensum con-
 „ summatum eo, atque ut in excelsum hoc propositum
 „ consentire digneris, te precor, meo in primis, &
 „ dein omnium Adami nepotum nomine, atque huic
 „ mortalium petitioni omnia humanitatis meæ opera
 „ interpono, omnes vitæ afflictiones, Passionem, mor-
 „ tem &c. Hanc orationem Deipara etiam comitata
 „ est. Et licet quoad intensionem ad Theandrica Chri-
 „ sti opera meritum aliquod conferre non potuerit,
 „ attrahens Divinam Misericordiam (NB) quodammodo
 „ ifovit, ac permovit p æterno Patre cum eo (Unige-
 „ nito suo) semp etiam Sacratiissimam ejus Matrem
 „ respiciente. Respexit verò ambos, & suo modo, ac
 „ proportione factas ab utroque pro hominum salute
 „ preces acceptavit. His verbis V. Scriptricis citato
 folio justæ Defensionis subdidi ista: quod voces quodam-
 modo, suo modo, ac proportione cooperationem B. Virginis
 ad nostram salutem limitent, ea ratione, qua alias Theologi
 ejusmodi assertiones restringere solent, ut Eximus Suarez
 qui Tom. 2. in P. 3. D. Th. disp. 32. Sect. 1. fol. 208
 dicit; quod B. Virgo impetrando, merendo de congruo, (C)
 ad Incarnationem (NB) suo modo cooperando, ad nostram
 salutem (NB) aliquo modo cooperata sit.

292 Priusjam, id est, pag. 606. produxi adhuc
 efficaciorem textum Ven. Scriptricis, quem hic inte-
 grum cum meo inde illato ratiocinio repetere com-
 pellit Criticus, eundem, ac mea asserita corrumpebat.
 Unde ad secundum hujus mei discursus punctum sensim
 delabor. Hæc igitur Scripti in justa Defensione
 pag. 606. & sequent. „ At verò (Venerabilis Scrip-
 trix) non eget aliena explicatione, quam ipsa suis
 dictis præstat, clare indicans, quod non in sensu
 „ per-

„ perverso , qui eidem ab Adversario affingitur , sed
 „ verè catholico ac sano talia encomia accipiat . Audia-
 „ mus ergo ipsam Ven. Mariam de Agreda sua hac su-
 „ per re sensa clarissimè dilucidantem part. 2. Civit.
 „ Myst. n. 787. ubi hæc leguntur : oportebat , ut sicut Pri-
 „ mus Adam Matrem nostram Eam in culpa Sociam ha-
 „ buit , quæ & adjuvit , & ad comittendum peccatum
 „ permovit , & sicut in illo , veluti capite suo , totum genus
 „ humanum vitiatum , & perditum est , ita vicissim in
 „ restaurando tanto excidio conveniens erat , ut Secundus ,
 „ & Cœlestis Adam Christus D. N. Virginem suam Geni-
 „ tricem Sociam , & adjutricem in Redemptione haberet ,
 „ que quidem manum & operam ad remedium conferret ,
 „ licet (NB) in Christo solo , qui est Caput nostrum , (NB)
 „ Vera virtus , & (NB) adæquata causa universalis Re-
 „ demptionis fuerit . At vero , ut hoc mysterium ea propor-
 „ tione , & dignitate , qua par erat , ipso opere deducere-
 „ tur , necessum fuit , ut in Christo D. Nostro , Sanctissi-
 „ maque Ejus Matre id impleretur , quod altissimus rerum
 „ Conditor in creatione de primis Parentibus dixit : Non
 „ est bonum hominem esse solum , faciamus ei adjuto-
 „ rium simile sibi . Atque adeò Dominus ita fecit , ut
 „ jam hoc modo , si ipse tanquam secundus Adam loqui
 „ vellet , dicere planè posset : hoc nunc os ex ossibus
 „ meis , & caro de carne mea : hæc virago , quoniam
 „ de viro sumpta est . Hæc V. Scriptrix addens : Simi-
 „ litudo Christi per se facilis est intellectu .

„ Nunc quæro , quid magis conforme principiis
 „ nostræ Religionis dici posset ? Sed , ut rei veritas
 „ magis elucescat , conferamus dicta Ven. Scriptricis
 „ cum illis , quæ Adversarius ejusdem libris impingit ,
 „ ac simul expendamus ad trutinam Theologicam .
 „ Primò impingit Adversarius Scriptis Agredanis ,
 „ quòd juxta ea B. Virgo fuerit propriæ & in rigore Re-
 „ dem-

„ demptrib; atqui hoc falsum esse démonstrat textus
 „ allatus : nam *propriè & in rigore* dicta Redemptrix
 „ est illa , in qua est propriè talis , seu vera virtus Re-
 „ demptionis universalis , atqui hæc vera & propriè
 „ talis virtus juxta textum laudatum fuit in solo Chri-
 „ sto , non in B. Virgine : ergo juxta hunc textum V.
 „ Scriptricis B. Virgo non est *propriè & in rigore* dicta
 „ Redemptrix. Secundò affingit Criticus V. Scriptri-
 „ ci, quòd doceat, B. Virginem esse causam imme-
 „ diatam ; & authoritativam Redemptionis , & gra-
 „ tiarum , quod iterum falsum esse constat. Nam in-
 „ primis Revelationes dicunt , in solo Christo esse
 „ causam adæquatam , & veram virtutem Redemptio-
 „ nis universalis , & híc loquuntur de causa , & vir-
 „ tute utique immediata , quæ , non autem mediata,
 „ Christo conveniebat : ergo cùm hæc in solo Christo
 „ fuisse affirmetur , eo ipso negatur fuisse in B. Virgi-
 „ ne. Item causa immediata , & authorativa nostræ
 „ Redemptionis debet adscribi *nostro Capiti* , quale in
 „ cit. textu dicitur Christus, non verò Deipara. Adde:
 „ ibi in sensu Mystico ille textus *hoc os ex ossibus meis*
 „ &c. accipitur de Adamo , & B. Virgine ; quòd nem-
 „ pe , sicut Eva ex Adamo esse accepit naturale , ita
 „ B. Virgo esse suum supernaturale , ac gratiam , qua
 „ ipsius merita , quæ pro nobis obtulit , significantur,
 „ habuerit à Christo , & ejus meritis , ac intuitu Chri-
 „ sti , tanquam Mater ejus : ergo eo ipso assertur fuis-
 „ se causa mediata nostræ salutis , nempe mediante
 „ Christo significantem , & merita ejus pro nobis
 „ oblata &c. Tertiò ex hoc ipso ruit aliud assertum
 „ pag. 512. Controversiæ , quòd B. Virgo fuerit par-
 „ tialis immediata concusa , & motivum Redemptio-
 „ nis. Nam hoc non affirmari à Revelationibus Agre-
 „ danis , ostendunt illa verba Ven. Scriptricis : *qua*
 „ , (Deci-

„ (Deipara) quidem manum , & operam ad remedium,
 „ id est , Redemptionem conferret , licet (NB) in Christo
 „ solo , qui est caput nostrum , Vera Virtus , & (NB) adæ-
 „ quata causa universalis Redemptionis fuerit . Si enim
 „ B. Virgo etiam fuerit concusa partialis immediata
 „ Redemptionis , non posset dici , quod in solo Christo
 „ fuerit causa adæquata Redemptionis . Deinde , vel
 „ Adversarius , dum dicit B. Virginem fuisse concu-
 „ sam immediatam Redemptionis , intendit , quod in
 „ eodem ordine & gradu cum Christo fuerit concau-
 „ sa , & cooperata ad Redemptionem , vel solum asse-
 „ rit , quod in inferiore ordine hæc cooperatio à
 „ Beatissima sit præstata ? si secundum , nihil dicit ad
 „ propositum , quia & ipse admittit hanc inferioris
 „ ordinis cooperationem ad salutem , ut ex ejus verbis
 „ paulò post allegandis est evidens . Si primum sustinet ,
 „ falsum affingit Ven. Scriptrici , quæ soli Christo in
 „ ordine eminenti & supremo , ceu capiti , ac veræ
 „ virtuti , & causæ adæquatae in acceptis refert Redemp-
 „ tionem universalem . Quartò ex hoc ipso textu
 „ Agredano indubitatum est , perperam affingi V.
 „ Scriptrici assertam ab ea æqualitatem inter Christum ,
 „ & Mariam . Tum quia Ven. Scriptrix solam simili-
 „ tudinem adstruit , quæ stat cum inæqualitate , ut par-
 „ tim dictum est , & pluribus ostenditur in sequenti-
 „ bus . Tum quia ipse textus loquens de Christo & B.
 „ Virgine , illum solum Caput nostrum , veramque ac
 „ adæquatam causam universalis Redemptionis affir-
 „ mat , proinde hoc de B. Virginē negat ; quod pro-
 „ fectò magnæ inæqualitatis indicium est . Tum quia
 „ textus laudatus adstruit , sic se habuisse Christum ,
 „ ac B. Virginem ad Redemptionem , sicut Adam &
 „ Eva concurrere ad nostram ruinam . At certum est ,
 „ quod Adam principaliter , & immediate ac ut caput

„ morale totius generis humani causa exstiterit labis
 „ illius, quæ totum genus humanum infecit. Itaque
 „ & pariter ex textu Agredano certum est, quod
 „ Christus, cœu alter & melior Adam, principaliter,
 „ immediatè, & ut caput nostrum exstiterit causa re-
 „ medii liberantis ab illo lapsu, cui nos posteros suos
 „ involvit Protoparens noster. Hæc non solius V.
 „ Scriptricis, sed etiam Eximii Suarezii est doctrina
 „ Tom. 2. P. 3. D. Thom. Sect. 1. fol. mihi 208. ubi
 „ in illa verba INNOCENTII III. superius laudata;
 „ quod damnavit Eva, salvavit Maria, ita scribit: quæ
 „ comparatio (Mariæ cum Eva) predictum sanctorum
 „ sensum exponit, Eva enim non fuit (NB) propria, di-
 „ recta causa humani casus, quia in ea pop. peccavimus;
 „ dicitur autem causa nostra ruine, quia Adamum ad
 „ peccandum induxit. Ita igitur B. Virgo non fuit (NB)
 „ per se causa nostræ salutis, nec nos redemit (scilicet per
 „ se, immediatè, & principaliter) nec de condigno no-
 „ bis meruit. Dicitur ergo causa, quia nobis Christum ge-
 „ nuit, & aliquo modo nobis promeruit, & obtinuit. Vide
 „ sis, quanta inæqualitas, & disparitas à Civitate My-
 „ stica adstruatur inter Christum, & Beatissimam circa
 „ concursum ad Redemptionem nostram; quomodo
 „ Christus tanquam causa immediata, ac per se, &
 „ principalis, Beat. Virgo ut causa mediata, secun-
 „ daria, ac multò inferior designetur. Hucusque mea
 justa Defensio, evidenter demonstrans, quod V. Scrip-
 trix nihil à sensu Ecclesiæ, SS. PP. & Doctorum, ac
 verè fidelium alienum admittat, optimèque sua asserta
 coercent, ita, ut Christo remaneat suprema prærogati-
 va, ac Deipara in inferiore duntaxat ordine coope-
 rata dicatur ad nostram salutem, & Redemptionem,
 atque in hoc sensu sit Redemptrix, Mediatrix, Coadju-
 trix nostræ salutis &c.

293 Ut lucem istam clarissimæ , & omnino sanæ Doctrinæ fugeret Criticus , latibula quærit , & effugia. Unum ad secundum , reliqua ad tertium modernæ Defensionis punctum spectant. Quod hic excutio , est nova corruptio Civitatis Mysticæ Augustæ vindelicorum germanicè editæ.

Non est animis hic referre , quæ de versione Germanica hoc opusculo num. 49. sunt dicta , & hic inutiliter repeterentur , neque laudibus volo extollere versionem Gallicam , aut Latinam Augustanam : hoc mihi sufficit , quò ille ipse Presbyter doctus , & pius (quem D. Amort , licet falsò , Authorem facit versionis Germanicæ) editionem Latinam Augustanam , cuius , non verò Germanicæ , insignis promotor fuit , præferat eidem Germanicæ , ut ex ejusdem litteris ad alium quendam Virum pietate , & doctrina summe conspicuum datis didici . His missis solam ex proposito ab Adversario factam corruptionem versionis Germanicæ , cui tantopere fudit , expendo. Sic ait Criticus : *in versione Germanica , cui magis fido , quam Latinæ & Gallica à Franciscanis factæ , atque in pluribus locis corruptæ , non correspondet terminus , qui idem sonet , ac adæquata ; non dicitur Die alleinige ursach , prout sonat in Latino.* Quibus decipere potest Italos , ac Hispanos , vel alios Germanicæ linguae ignaros , non verò Germanum quempiam. Falsum enim est ; quod tò *adæquata* exactè in Germanicum idioma vertatur per tò *Alleinige* ; cum adæquata causa idem sit , ac *vollige ursach* . Quam vocem *vollige* Civitas Mystica Germanica adhibet. Paucis: Germanica editio cum Latina quoad hoc punctum ap: primè concordat , & eundem sensum facit , ut testabun: tur Germanicæ , ac Latinæ linguae periti : ita enim in Germanica editione redduntur ista verba : *Licet in Christo solo , qui est caput nostrum , vera virtus , & adæquata*

*causa universalis Redemptionis fuerit: Obi vollen nur allein
in Christo, Der da ist unser Haubt, die Tugend, Krafft, und
(NB) vollige ursach der erlosung hafftete.*

Proinde Criticus verè iterum nova corruptione suos labores Anti-Agredanos data industria contem-ravit. Ast quis fidem habeat similibus opusculis Amor-tianis, in quibus falsitates falsitatibus cumulantur? Eru-bescerem sanè coram honestatis amante mundo talia scripta juris publici facere. Neque mirari satis pos-sum, qua ratione tales partus, quibus falsitati unicè ditatur, & veritati manifestum bellum movetur, pos-sint probari, & tolerari.

294 Progrediendo ad tertium punctum, suas cri-ses D. Amort ipse ostendit nullius esse momenti, dum sic contra me, vel verius contra se loquitur: „Error „Apologistæ, quem fol. 607. num. 416. prodit, con-sistit in eo, quod esse causam dignificatam per me-rita Christi non sit esse causam immediatam. Sed „hoc ejus suppositum falsum est. Sancti enim, & fide-les sunt causa immediata suorum bonorum operum, „etiamsi causa sint dignificata per merita Christi. Hæc Criticus, quibus planè ostendit se in cortice verbo-rum hærere, nucleo veritatis relicto. Quæro enim, quid impugnet per hoc, quod dicat, juxta Scripta Agredana B. Virginem fuisse causam immediatam no-stræ salutis? Vel solum vult sic dici B. Virginem causam nostræ salutis, sicut homines justi sunt respectu suorum meritorum, quæ præstant adjuti per gratiam Christi, ita tamen, ut Beatissima Virgo dignificata, & adjuta à suo filio in longè inferiore ordine concur-rerit ad nostram redemptionem, quam ipse filius? & tunc Ven. Scriptrix cum ipso sentit; sed tali modo ni-hil, quod est contra sanam doctrinam, admittit, ut patet. Si vero per causam immediatam intelligit pri-

mariam , auctoritativam , vel intelligit Redemptricem
in rigore , & ea sub eminentia , sub qua fuit Christus;
tunc falsum imputat Ven. Scriptici , ut ex recensitis
ejus textibus clarum est.

Explico ulterius rem istam , usurpando exemplum
Adversarii. Non præjudicat dignitati , & meritis Christi , quod justi dignificati per gratiam Christi suis meritis immediate mereantur augmentum gratiæ , & gloriæ , & sic sint causa immediata meritoria augmenti gratiæ &c. quia hoc non obstante Christus manet caput Justorum , eos , & eorum opera per suam gratiam dignificans , & virtutem suam illis communicans : ergo etiam non præjudicat dignitati Christi , quod B. Virgo dignificata per gratiam , & merita Christi , potuerit esse causa immediata nostræ salutis , eam quodammodo de congruo merendo ; quia hoc non obstante Christus manet caput nostrum , & ipsius B. Virginis , & consequenter causa principalis nostræ salutis , ac redemptionis , dignificans B. Virginem , eique virtutem cooperandi ad nostram salutem communicans . Vel brevius propono aliter hoc argumentum iisdem ferè verbis , quibus iam contra Adversarium objeci in justa Defensione fol. 627. ubi sic argumentabam : defacto non derogamus meritis Christi , dum iis addimus nostram cooperationem , & hæc unà cum meritis Christi immediate movet Deum ad gratiam & gloriam nobis conferendam : ergo etiam non derogat dignitati Christi , si cum hujus meritis , etiam merita B. Virginis moveant immediatè Deum ad salutem nobis conferendam.

Adhibuit Criticus aliud exemplum de anima , quod certè ejus crisi prorsus examinat. Licet enim concedatur , quod corpus etiam sit concausa immediata operationum vitalium & sensationum , anima tamen est

omnino principalis causa , & in longè eminentiori gradu influit in illos actus vitales , quām corpus. Ita quoque est in præsenti materia : licet B. Virgo cum Christo etiam per orationes suas , meritorumque oblationem pro nobis factam , fuerit immediate cooperata ad salutem nostram , Christus tamen in eminentiori gradu eam est operatus. Et ut prius exemplum resumam : licet quilibet homo adultus immediate debeat cooperari ad suam salutem , tamen Christus per sua merita est causa immediata principalis , neque Christo præjudicat , quod hominem admittrat ut concausam immediatam. Sunt ergo mera inutilia verba , quæ profert Criticus contra asserta PP. Doctorum , Revelacionum aliarum approbatarum , quæ immediatum concursum meritorum B. Virginis ad nostram salutem in proportione debita gratis concedunt , ut vidimus. Dein titulum Redemptricis immediatae , non authoritativæ , & minùs principalis nunquam probavi ex encasio Mediatricis immediatae , ut mihi affingit : sed Mediatricem (scilicet in gradu incomparabiliter minore , quam est Christus Mediator) iisdem ex rationibus appello B. Virginem , ex quibus eam minùs principalem , ac secundariam , ab ipso Christo seu capite dignificatam , & dependentem conredemptricem affirmo , cuius tamen merita (ut limitat sapienter superius citata Ven. Scriptrix) nunquam ad rationem Theandricam , aut dignitatem meritorum , & operum Christi ascenderunt. Fingit itaque Criticus , dum ait , me Revelationes Agredanas non sufficienter expurgare à titulo *Redemptricis immediatae* ex eo , quia vocatur Mediatrix.

A primo igitur usque ad ultimum colligere licet , quod Criticus nucleus sensus Agredani , qui est sensus fidelium omnium recte , ac piè de Matre Altissimi

existimantium, præsertim SS. PP. & Doctorum, ne
etigerit quidem, atque Doctrinam Agredanam om-
nino sanam sub cortice inanitum verborum, ac falsi-
tatum suarum tantum abscondere laboraverit, & sibi
etiam contradixerit. Nam pag. 480. suæ Controver-
siæ ait: *Ego non dubito, quod ad omnia bona Ecclesiæ
promerenda (proin etiam ad salutem & redemptionem
in Ecclesia obtinendam) suas actiones, & passiones
(B. Virgo) obtulerit, & quod etiam idoneæ fuerit exau-
dita, ut meritò intentionaliter potuerit (NB) simul cum
Christo movere Deum ad ea conferenda. Si autem simul
cum Christo, tunc etiam immediate sicut Christus mo-
vit Deum. Videatur pag. cit. just. Defens.*

ARTICULUS IV.

EXCUTITUR QUARTUS NUMERUS *Adversarii.*

295. **N**umerus quartus Critici hic est: „ Apo-
logista §. 3. mecum altercatur, an
„ rectè scripserim, in Revelationibus doceri, quod
„ B. Virgo sit passa pro genere humano: egone rectè
„ sensum verborum Ven. Scriptricis attingam, judi-
„ cent alii. Si enim est redemptrix generis humani,
„ si se ad omnes passiones pro genere humano per-
„ ferendas obtulit, idque per quandam conformatio-
„ nem cum oblatione sui filii in passionem; si insuper
„ ea conoblatio cum filio fuit per modum commotivi
„ immediati acceptata à Deo Patre, quæ omnia patent
„ ex textibus Agredanis, manifestum est, quod B.
„ Virgo sit passa pro genere humano. Sed Apologista
„ petit, ut hanc propositionem ipsi ostendam in ter-

„ minis explicitis , vel implicitis . Si per terminos im-
 „ plicitos intelligit eos , ex quorum combinatione ne-
 „ cessaria connexione alia veritas deducitur , id jam
 „ ostensum est. Ita Anti-Agredanus.

DEFENSIO.

296

Altercari me ait D. Amort , sed noverit ,
 me non altercationis , benè verò ve-
 ritatis studio scripsisse. An idem Amortius dicere
 possit de se , facile discernet , qui ejus Scripta Anti-
 Agredana paulò attentiore mente percurrerit , ac cum
 vindiciis meis contulerit. Provocat ad judicium alio-
 rum , ego verò invito Lectores benevolos ad recolen-
 dum meum §. 3. P. 3. Art. 1. iust. Defensionis. Ex
 ibi citatis textibus V. Scriptricis clarissimè constabit ,
 Dominum Amort finxisse solum , dum hanc propo-
 sitionem : *B. Virgo passa est pro genere humano sicut Christus* , voluit ex quibusdam Civitatis Mysticæ , nil
 minus quam hoc dicentibus , locis inferre. Ipse quo-
 que Adversarius videtur agnoscere errorem suum ,
 dum suam observationem prius in libro Observatio-
 num , & Controversia propositam , non audet amplius integrum producere : omittit enim verba præci-
 pua : *sicut Christus* : quæ tamen unicè ab Agredanis
 impugnantur tanquam non asserta à Civitate Mystica
 in citatis , & varie inter se combinatis ab Adversario
 textibus illius , ut loco allegato Defensionis justæ su-
 perflue ostensum est. Proin nihil ferè habeo addere ad
 iustam meam Defensionem , quia ibi dicta Criticus nec
 levi digito fuit loco movere ansis. Respondeat de
 textu ad textum , & quidem in sensu argumenti ibidem
 agitati.

297

Objicit quidem 1. B. Virgo secundum Scri-
 pta

pta fuit Redemptrix generis humani. Verum edisserat, ubi afferat V. Scriptrix, quod Mater Divina fuerit Redemptrix generis humani, sicut Christus. Simile nihil in Civitate Mystica, ne quidem implicitè contentum invenitur, immo positivè contrarium, ut superiore paragrapho ex ipso textu Agredano intelleximus. Secundum Scripta Agredana, & sensum Ecclesiæ, in hoc punto Scriptis Agredanis omnino conformem, Deipara fuit aliquo modo Redemptrix generis humani, vel Coadjutrix Redemptionis humanæ, vel, quod idem sonat, ad salutem nostram, & Redemptionem cooperata est; primò de congruo merendo Incarnationem, saltem quoad circumstantias aliquas; secundò, petendo, & de congruo merendo nobis salutem; tertio, gignendo nobis Redemptorem, ita tamen, ut principalis, adæquata, & vera virtus Redemptionis universalis in Christo fuerit. Sed quis sanæ mentis inde infert, quod B. Virgo fuerit passa, sicut Christus? SS. PP. Revelations Birgittanæ, & Doctores gratio animo in hoc sensu confitentur, B. Virginem esse Redemptricem, vel causam nostræ salutis, inde ineptè duntaxat quis inferret, quod B. Virgo sit passa, sicut Christus pro genere humano.

298 Objicit 2. B. Virgo se ad omnes passiones pro genere humano perferendas obtulit. Quid inde sequitur? ergo omnes pertulit? ergo passa est sicut Christus? Si D. Amort cum Petro, vel Andrea vellet in crucem agi, & se offerret Deo ad crucis supplicium; effetne propterea cruci affixus sicut Petrus & Andreas? Respondeat ad hanc instantiam jam in justa Defensione objectam.

299 Objicit 3. quod se B. Virgo obtulerit per quamdam conformatiōnem cum Filio. At verò, quod adducendo istam conformatiōnem à scopo longè aber-

ret, & textum P. 2. Civit. Myst. num. 33. in sensum
minimè intentum detorqueat, ostensum est in justa
Defensione. Paucis: in illo textu, ex quo illam con-
formationem cum Filio in passione exculpere cona-
tur Criticus, nihil de passione Filii, sed tantum de
conformatione Matris cum Filio in pietate & miseri-
cordia dicitur.

300 Objicit 4. ea conoblatio cum Filio fuit ac-
ceptata à Deo Patre per modum commotivi immedia-
ti. Verum & nostræ oblationes, & cooperationes una
cum meritis Christi immediatè acceptantur per mo-
dum commotivi, & tamen non sequitur, quòd patia-
muri sicut Christus. Inter hæc commotiva datur ma-
gna diversitas: merita Christi, & ejus passio supremum
& Theandricum ordinem tenent, ad quem nec Matris
Dei merita assurgunt, quamvis simul cum meritis
Christi acceptentur. Præterea cum meritis, & passio-
ne Christi possunt Deo offerri, & ab eo acceptari non
solæ poenæ, v. g. crucifixio, flagellatio, ad normam
& æqualitatem passionis Christi toleratæ, sed alii
quivis virtutum actus ritè peracti: ergo ex conobla-
tione B. Virginis cum Filio, acceptata à Deo per
modum commotivi immediati, non sequitur, quòd
B. Virgo fuerit passa sicut Filius. Sed quid Lectorem
& me detineo? nulla responsione opus est. Violentia
illata sensui Agredano in allegatis ineptè ab Anti-
Agredano, & malè applicatis textibus Civitatis Mysti-
æ circa hanc materiam ita manifesta est legenti meani
justam Defensionem à pag. 616. ut nil clarius esse
possit. Combinat quidem Adversarius variè textus,
minimè ex mente Ven. Scriptricis combinabiles, ut
figmentum aliquod componat, & miram turbet con-
nectionem, quam tota Civitas Mystica inter se servat.
Nihilominus per ejusmodi attentatas fraudes Scriptis
Agre-

Agredanis nihil, suæ famæ verò plurimùm nocet. Ex quibus consequitur primò, textus citatos ab Amortio minimè hoc dicere, quod ipse affirmat ab illis asserti. Concluditur secundò, neque alibi in Civitate Mystica asserti B. Virginem esse passam sicut Christum in sensu Amortii, qui per ejusmodi dicta intendit affingere Scriptis Agredanis assertam æqualitatem inter merita & passionem Christi ac B. Virginis, æqualemque utriusque concursum ad nostram Redemptions, ut patet ex disputatis hactenus. Verùm hoc longè esse à mente & calamo Agredano, palpat quivis, qui hucusque in isto opusculo discussa, & ipsam Civitatem Mysticam perlegit.

ARTICULUS V.

EXAMINATUR NUMERUS QUINTUS
Anti-Agredani.

301 **N**umerus quintus à D. Amort ita instruitur. „ Apologista altercatur, an rectè dixerim, B. Virginem juxta Revelationes Agredanas meruisse Incarnationem quoad substantiam. „ An non est hoc mereri Incarnationem quoad substantiam, esse causam, sine qua non fuisset posita Incarnatio? Atqui hoc de B. Virgine Revelationes dicunt; nam Part. 2. num. 788. dicitur: *nisi magna hæc Virgo accessisset, & promovendæ huic legi (gratiæ in Christo) dignam contulisset operam, planè nos homines gratiæ legem non haberemus.* Hucusque verba Amortiana.

DEFENSIO.

302 **A**dducta responsione sua Criticus tum argumenti sui imbecillitatem, tum efficaciam meæ Defensionis pag. 618. & seq. in priori opusculo à me propositæ satis superque indicat. Imbecille profectò argumentum est, quod ut prius fuit formatum, penitus solutum jam est, vel ipso tacite consentiente, & fatente Adversario, qui nec unum quidem ex illis textibus Civitatis Mysticæ, quos tam in Observationibus, quam Controversia pro se allegavit, & ex quibus prius unicè suum argumentum confecit, audet amplius allegare, nec à me dictis oppone-re aliquid: sed desperans de eruendo argumento ex anterioribus textibus, nunc ad novum hactenus in hac materia non citatum (& ipsum penitus ineptum) cogi-tur confugere, ut saltem loqui adhuc possit, licet verba ejus ad rem hanc sint.

Attulit in Observationibus, & Controversia ex Parte 1. Civit. Myst. numerum 330. Ex Parte 2. numeros 87. & 93. Item ex Parte 1. numeros 522. ac 161. & præter hos textus nullum citavit. Jam vero, ut ex ipsis verbis Civitatis Mysticæ à me pag. 618. & seqq. just. Defens. relatis liquet, omnes hi textus nihil de substantia Incarnationis dicunt: unus prorsus nihil ad propositum habet, reliqui solum de circum-stantiis hujus mysterii tractant. Unde mirum non est, quod nec verbulo amplius horum locorum Agredanorum D. Amort meminisse velit; eos enim sibi omni ex parte contrarios, & illis se de falsatione convictum cernit.

Novus quoque locus in novo moderno opusculo tantum de lege gratiæ, seu Evangelica loquitur; ut

verba Civitatis Mysticæ à Critico superius allegata produnt, & ex ipso toto Capite VII. secundæ Partis, & libri V. Civitatis Mysticæ, ex quo illæ paucæ lineæ citatæ sunt excerptæ, sicut ex præcedentibus capitibus magis elucescit. Jam verò licet juxta hunc textum merita fuisset B. Virgo legis Evangelicæ institutionem nihilominus tantum esset promerita modum vel circumstantiam, aut aliquid, quod tanquam accessorium comitatur Incarnationis substantiam. Certè lex Evangelica lata à Christo non est substantia Incarnationis, sed hanc constituit unio humanitatis cum Verbo Divino in unitatem Personæ, seu in concreto est Christus, qui ut Author ac causa legis gratiæ, hanc præcedit tanquam operationem, & effectum suum accidentalem. Itaque textu adducto Revelationes non dicunt, quod sine B. Virgine non fuisset posita Incarnatio quoad substantiam, etiamsi affirment juxta Criticum, Virginem Matrem tot gratiis & donis præventam, & in tanto apice sanctitatis constitutam, fuisse causam legis Evangelicæ modo jam explicato.

Porro quare Anti-Agredanus obmutescit ad illa, quæ sub finem Paragraphi quarti subjunxi? Conclusi ibi, Observationem Anti-Agredanam inutilem esse, etiamsi V. Scriptrix assereret, quod Virgo illibata quoad substantiam merita sit Incarnationem. Hæc enim propositio defenditur ab insignibus Theologis. Unde potuisset Criticus omittere ejusmodi crisin, nihil obstantem Revelationibus Agredanis, quamvis hæc tenerent, quod ipsis impingitur. Sed, ut hic & in justa Defensione vidimus, neque id elicetur ex Civitate Mysticæ, quod Virginæ Mater meruerit Incarnationem quoad substantiam.

ARTICULUS VI.

NUMERUS SEXTUS AMORTIANUS
expenditur.

303 SIC sonat citatus numerus: „Apologista „ altercatur , an recte scripserim, quod „ juxta Revelationes Agredanas omnes gratiae tam na- „ turales , quam supernaturales profluant ex B. Virgi- „ ne. Qui legerit textus Agredanos , indubitate sentiet „ pro me : qui non legerit , non temere judicet in fa- „ vorem unius partis non audita , vel lecta altera par- „ te. Gaudeo , quod Apologista fol. 627. citet meip- „ sum contra me allegando , quo sic scripseram : Non „ dubito , quod B. Virgo ad omnia bona Ecclesiæ promeren- „ da suas actiones & passiones obtulerit , & quod etiam „ idoneè fuerit exaudita. Quid sequitur ? An sequitur , „ quod etiam ordine executionis omnia ab ea bona pro- „ manent ? de hoc enim queritur. Errat Apologista . Hucusque altercatur D. Amort.

DEFENSIO.

304 NON contendo cum Critico , an recte scripserit , sed an recte negarit , vel censuræ subjicerit assertum hoc Agredanum , tot Patrum , & Doctorum testimoniis confirmatum , quod omnes gratiae , & favores coelestes redundantes in genus humanum , descendant per Mariam. Quod ut ritè facerem , & simul clarè mentem V. Scriptricis omnium oculis exponerem , textus , quos Adversarius pro suis Observationibus illam propositionem perstringentibus

adduxit, allegavi propriis, quibus in Civitate Mystica continentur, verbis.

His vero locis Agredanis fol. 623. & seq. just. Defens. laudatis affirmantur hæc tria. Primum est, quod omnia principaliter propter Christum, secundariò verò, & suo modo propter B. Virginem sint condita. Secundum est, quod Christus, & B. Virgo suo modo fuerint exemplaria reliquarum rerum creatarum. Tertium est, quod omnes gratiæ & favores cœlestes redundantes in genus humanum descendant per Mariam. Omnia tria puncta, quæ in Revelationibus Agredanis adstruuntur, à pag. 624. & seq. just. Defens. ita probavi, ut D. Amort ad ibi adducta testimonia Patrum, & Theologorum omnino conticescat, & ut fucum faciat, ac si nihil solidum à me pro placitis his Civitatis Mysticæ esset allatum, solum ait, me altercari cum ipso, an rectè scripserit, quod juxta Revelationes omnes gratiæ &c. profluant ex B. Virgine, cum tamen mens mea nunquam fuerit contendendi, an rectè hoc ab Amortio scriptum, seu imputatum fuerit V. Scriptici, sed tantum, an rectè in dubium fuerit vocata talis doctrina tam solemniter in libris probatissimis proposita. Nihilominus, quia Criticus monet, ne judicium feratur in favorem unius partis non audita altera, velit Marianus lector dicta Amortiana & mea in justa Defensione inter se librare, & videre, quænam præponderent. Intercà donec hoc fiat, silentium Adversarii pro signo victoriæ, quam reportat doctrina Agredana, accipere liceat. Ast quamvis ad allegationem Patrum, & Theologorum altum fileat, nihilominus ad propria dicta adducta vocem premere haud potest. Pronunciat itaque ex suis dictis non sequi, quod etiam ordine executionis omnia bona promanent à Maria. Verum sic duntaxat interrogo, an actiones & passio-

siones Virgineæ oblatæ ad omnia Ecclesiæ bona pro-
merenda , & exauditæ , fuerint efficaces , & impetra-
rint , quod petierunt , vel non fuerint sic efficaces ? al-
terum est contra Criticum , qui non dubitat , quin pre-
ces illæ fuerint exauditæ . Si autem primum affirmat ,
tales actiones , & passiones verè moraliter tanquam
causa moralis , & meritoria influxerunt in executionem
talium bonorum , vel executio & collatio talium bono-
rum meritis Deiparæ tanquam causæ meritoriae adscri-
bi potest . Et quis neget , ipsam actualem & executivam
collationem gratiæ , quam intuitu meritorum nostro-
rum recipimus , promanare à meritis nostris tanquam
à causa morali ? aliás executivè non mereremur gra-
tiæ , sed tantum in ordine intentionis &c. Neque ob-
stat , quòd merita Christi , & B. Virginis , & nostra
tantum sint causæ morales ; nam & causa moralis ve-
rè , & actu causat , & moraliter actu , seu executivè in
effectum influit , ut Philosophi sciunt .

Porrò recolligat se Criticus , quòd textus tales
Agredanos pro suo firmando scrupulo circa hanc ma-
teriam attulerit , qui etiam respiciunt ordinem inten-
tionis ; unde mirum non est , si aliqua verba , quæ for-
tè ordinem intentionis ex mente Critici spectant , con-
tra eum afferuntur , maximè si ex tali intentione effi-
caci inferri debeat , & possit ipsa actualis executio .

ARTICULUS VII.

NUMERUS SEPTIMUS ADVERSARI.

305 **H**ÆC habet: „Apologista hoc loco circa
„corticem hæret , nucleo relicto.

„Quæstio bimembribus consistit in eo ; utrū in Reve-
„lationibus Agredanis B. Virginis asseratur universale
„in omnes creaturas tam rationales , quām irrationa-
„les dominium ? Et num concessio hoc universali do-
„minio necessarium sit, rogare B. Virginem potius
„pro intercessione ad impetrandas à Deo , quām pro
„flectenda ipsius pietate ad largiendas vi sui dominii
„gratias ? Primum adeò luculenter demonstravi ex
„textibus Agredanis in Historia Controversiæ fol. 539.
„ut ipsem Apologista fol. 634. in patrocinium Agre-
„danæ sententiæ invocare cogatur A. R. P. Virgilium
„Sedlmayr , qui in tractatu suo quodam in subsidium
„Apologistæ his verbis advolat : *Christus , & B. Virgo*
„*Mater ejus habuerunt verum & absolutum dominium di-*
„*rectum rerum singularum universi , quantum ad jus &*
„*potestatem. Quoad alterum quæstionis membrum , seu*
„*potius consecutarium , res ipsa loquitur. Quis enim*
„*ab absoluto ac vero rerum domino unquam sine*
„*contumelia rogit , ut intercedat potius pro obtinen-*
„*da ab alio , quām ut flectatur pro largienda suo nu-*
„*tu gratia ? Nec valet effugium , quod hoc dominium*
„*sit concessum à Deo. Nam & feuda , & emphiteusis ,*
„*& vitalitia , ac ipsa bona allodia , immo & regna*
„*veniunt quandoque ex gratia , ac dispositione alterius*
„*gratuita , nec tamen quis feudatarium , emphiteu-*
„*tam , usfructuarium , Dominum , ac Regem sine con-*

„ tumelia rogaverit, ut intercedat apud eum, qui do-
 „ natione libera concessit dominium. De hoc con-
 „ sectario maximo, & necessario dignum est, ut judicet
 „ Sedes Apostolica. Contra hæc sit sequens

DEFENSIO.

306 **C**riticus iterum respuit nucleum doctri-
 næ Agredanae, & meæ Defensionis, &
 delectatur haud sapido cortice quorumdam verborum,
 ad rem istam non servientium.

Præprimis Adversarius iterum tacer ad objectam
 ipsi corruptionem textus, ac sensus Agredani: adeoque
 tacendo se reum fatetur, sicque verum manet, quod
 falso affinxerit V. Scriptrici hanc ab ea nullibi tradi-
 tam propositionem: *B. Virgo fuit reddit a equalis potentie
 ipsius Dei, cuius erat etypon.*

307 Deinde nihil ferè, præter sterilem paritatem
 inferius solvendam, reponit ad reliqua mea dicta, qui-
 bus partim genuinum sensum Ven. Scriptricis adductis
 pluribus textibus ejusdem declaravi, partim etiam asser-
 ta illius pluribus probationibus gravissimis, ac autho-
 ritate non solius P. Virgilii, sed aliorum quoque pri-
 mæ notæ Theologorum, & SS. PP. communivi. In
 synopsi do cuncta mea asserta. Igitur primò V. Scrip-
 trix B. Virgini Mariæ ceu Reginæ Cœli & terræ tribuit
 universale & absolutum jus in omnia creata, sed sub
 Deo, & Christo, & cum subordinatione & dependen-
 tia à Deo. Neque hæc Agredana assertio est tam jeju-
 na, & adeò destituta ratione, ac authoritate, ut præ-
 ter clarissimum Virgilium Sedlmayr nullum alium Pa-
 tronum inveniat. Recenseo solos illos, quos Adver-
 sarius in mea justa Defensione à pag. 633. nominatos,
 omnes præterit. Allegavi ibi verba diserta Revelatio-

nūm S. Birgittæ ab Ecclesia approbatarum, quæ si non plus, certè idem affirmant. Revelationibus addidi Doctorem Eximium Suarezium, Eminentissimum Cardinalem de Lugo, Vasquezium, Paulum Mezger, ac Bernardinum Vettveis, horum citationes & asserta dictis Agredanis prorsus consona citato loco legere potes. Præter Thcologos ibidem laudavi SS. PP. Damascenum, Athanasium, deinde etiam Anselnum, vel alium, qui author est libri de Excellentia Virginis. Horum sententias ex Suarezio descriptas attuli; quibus accidunt SS. Bernardus, & Petrus Damiani, aliquique plures. Nucleum istum sanissimæ doctrinæ nauseat Criticus, ut cortice immoderata crisis se occupare possit.

308 Secundò ex plurimis, & clarissimis textibus Civitatis Mysticæ à fol. 635. commemoratis evidenter ostendi, quod absolutum Matris Divinæ dominium, quantum istud ordinatur ad dispensanda creaturis beneficia, & gratias, regulariter sit situm in quadam particulari assistentia Divina, qua Deus paratus est producere ea bona, & conferre hominibus, quæ B. Virgo sua efficacissima intercessione pro his exorat. Unde secundum Scripta Agredana, Marianum dominium in omnia creata non est in hoc sensu absolutum, ut per illud regulariter cuncta bona, & gratiae à B. Virgine dispensentur sine interventu intercessionis ejusdem apud Deum. Hic rursus nostro Adversario hæret aqua, cum textus adeò luculentos Civitatis Mysticæ sine responsione transeat.

309 Tertiò docui ex Lessio & Herinex, & ratione Theologica non esse B. Virginis à Theologo Christiano denegandam facultatem subveniendi aliquoties per se ipsam, aut suum imperium sine intercessione ejus, quamvis hæc plerumque interponatur. Cùm D. Amort ad ista Theologica sibi opposita asserta nihil

reponat, censemur ea approbare, sicut & alii verē catholici, utpote in Sacro Codice fundata, probabunt libentissimē.

310 Tandem ostendit, quod istae formulæ miserere nobis, & per Christum Dominum nostrum in sensu illo, quo ordinariè ab Ecclesia usurpantur, soli Christo etiam juxta Scripta Agredana convenient. Nam his formulis ordinariè designatur Mediator & Redemptor Primarius, ac Christus Dominus, seu Deus-Homo, ut ex Tridentino, & SS. D. N. BENEDICTO XIV. probavi: ast ex dictis, & in justa Defensione superflue ostensis evidens est, B. Virginem non esse Redemptricem, & Mediatrix Primariam, non esse Christum, aut Deum-Hominem; sed esse puram Creaturam, quæ et si habeat dominitum universale in omnes creaturas, istud tamen sub Deo est, & ab hoc in cunctis dependet; hinc & regulariter precibus opus habet ad impertienda clientibus suis beneficia: quare ordinariè ad ipsam clamamus: *S. Maria ora pro nobis.* Quo non obstante in sensu proportionato cum Ecclesia in adventu possumus ad eandem dicere: *peccatorum miserere:* dummodo similes precatio[n]es ad illam solum dirigantur tanquam ad puram Creaturam, dependentem à Deo, & cum dependentia à Divina voluntate nobis opitulantem. Quæ pluribus deducta in justa Defensione pag. 638. & seqq. Criticus insoluta relinquit, & se convertit ad aliam novam (ut ipsi videtur) crisi, depromptam ex feudis, & aliis bonis, quæ interdum ex dispositione gratuita alteri obveniunt. Verum claudicat multum ista paritas, vel similitudo, si ea transferatur ad Deum conferentem B. Virgini, vel alteri creaturæ aliquod dominium. Creatura enim una alteri potest ita conferre jus, ut illo se penitus privet, & altera accipiens in dispositione ac usu juris concessi,

nullatenus dependeat à dantis voluntate. Ast hoc Deus nec facit, nec facere potest, manente semper penes ipsum supremo rerum omnium dominio, ea quidem ratione, ut omnes creaturæ, qualemque dominium possideant, istud tantum exercere valeant, Deo volente, & annuente, ac cooperante: seu omne dominium creatum, etiam B. Virginis Mariæ est essentialiter Deo subordinatum, ac à nutu voluntatis Divinæ indispensabiliter dependens, ut aliunde notum est, & Ven. Scriptrix non negat, quæ ob hanc causam meritò etiam admittit, saltem regulariter, intercessionem B. Virginis apud Deum interponendam ad dispensanda clientibus suis illa bona, quorum accepit dominium, utpote Deo ex natura sua subordinatum, & ab ipso impeditibile. Dein istam novam suam, ut credit, objectionem solvere potuisset Criticus ex illis, quæ pag. 645. just. Defensionis addidi, & sic sonant: *sicut Rex aliquis potest habere absolutum jus imperandi toti Regno, ita tamen, ut in regimine suo omnino dependeat à Deo, & Christo, cui major, & adhuc magis absolute potestas in idem regnum convenit: sic & B. Virgo pollet potestate & jure excellenti præ Regibus, & Dominis aliis inferioribus, sed ea conditione, ut hoc ejus dominium adhuc subordinatum maneat dominio Dei, & Christi.* Hæc satis sunt ad aliunde & jam anteà in justa Defensione satis superque excusam crish.

ARTICULUS VIII.

EXCUTITUR NUMERUS VIII. CRITICI.

311 **N**umero VIII. sic discurrit Anti-Agre-
danus. „ Apologista impeccabilita-
„ tem in B. Virgine concedit , sed majorem , quām re-
„ peritur in Angelis beatis , negat doceri in Revela-
„ tionibus. At verò , si Revelationes negant majorem
„ impeccabilitatem , fundatam in jure materno ad
„ gratias semper congruas , eoipso loquuntur incon-
„ sequenter. Impeccabilitas enim B. Virginis , seu im-
„ potentia peccandi , si non fundatur in titulo mater-
„ nitatis , nulla est. Si autem fundatur in hoc titulo ,
„ eoipso angelica major est.

DEFENSIO.

312 **I**mpeccabilitatem concedo B. Virginis in
vita , & via , sed non aliam , quām ad-
missam à gravissimis Doctoribus , quos allego nume-
ro marginali 557. just. Defens. & seq. Majorem , quām
in Beatis nego , quia etiam nec Revelationes Agreda-
næ (quas denuò corrumpit in hoc punto Adverfa-
rius) nec alii Doctores adstruunt. Nec juvat Amor-
tium , quòd ista impeccabilitas fundetur in Maternita-
te Dei. Hoc enim non obstante ea est proportionata
statui viae , in quo Virginea Mater nondum saltem con-
stanter habuit visionem beatificam ; unde ei non con-
gruebat illa impeccabilitas , quæ conditioni Beatorum
convenit , multominus major , ut nemo , qui princi-
piis Theologicis imbutus est , negaverit. Si mihi fi-
dem

dem non adhibet, explicet clarissimum P. Anton. Mayr de duplicitate Adventus Christi num. 45. ita discurrerentem: „Quæritur hic à Doctoribus, an B. Virgo „fuerit impeccabilis: & respondetur, eam in hac vita „non quidem fuisse impeccabilem ab intrinseco, ut „sunt beati in cœlo: sed tamen ex speciali Dei provi- „dentia, & protectione habuisse à prima sanctifica- „tione talia auxilia gratiæ, ac dona, ut infallibili- „ter nunquam peccaret: & hoc fuisse speciale privi- „legium, quod Tridentinum docet ipsi concessum. „Acceptit tamen B. Virgo in prima sanctificatione gra- „tiam habitualem, itemque virtutes omnes in ea „perfectione, aut intensione, ut ejus confirmationi „in gratia essent proportionatæ. Ex quo concluditur, „B. Virginem non fuisse minus impeccabilem in pri- „ma sanctificatione, seu sua Conceptione, quam fa- „cta fuerit in sanctificatione secunda, seu in Conce- „ptione Christi Domini; quia in utraque semper „mansit intrinsecè peccabilis: extrinsecè autem, & in „sensu composito gratiarum specialium ipsi collata- „rum, in neutra fuit peccabilis. Hæc vir clarissimus: „qui aliam, & quidem minorem, quam Beati habent, „impeccabilitatem ter Immaculatæ Virgini in via tri- „buit, nempe talem, quæ tantum ab extrinseco redde- „ret illam impeccabilem, licet ab intrinseco peccare „posset, quod tamen beatis quam talibus non convenit, „qui ob ipsum statum beatitudinis nec ab intrinseco manent peccabiles. Unde sunt magis impeccabiles, „quam Deipara fuit in via. Cum Laudato Doctore consentit optimè Ven. Scriptrix, ut pluribus deduxi pag. 646. & seq. item 757. just. Defens. quare nunc plura dicere non est opus.

Dein Criticus nullum textum Agredanum ostendere poterit, qui B. Virgini tribuat majorem impeccabi-

bilitatem , quām illa est Beatorum. Recolatur iusta Defensio cit. pag. 646. & seq. & apparebit , quōd se quidem torqueat Anti-Agredanus , ut queat Civitatem Mysticam in sensum alium detorquere , & tamen nihil efficiat. Refundit ibi impeccabilitatem Virginem in fidem , & Sanctitatem Mariæ intrinsecam: quod cūm docuīsem esse apertè contra Scripta V. Mariæ de Agreda , modò ad Maternitatem Divinam refugit varius , ac inconstans Criticus. Intercà , ut ex ibi & hic dictis patet , nullatenus abolet corruptionem sensus Agredani ab ipso commissam , nec defendit sua minus inter se cohærentia asserta , quæ citato loco just. Defens. perstrinxī.

ARTICULUS IX.

NUMERUS NONUS ADVERSARII.

313

HÆC dicit : „ Apologista in B. Virginem , ne concedit ex Revelationibus scientiam omnium possibilium. Intuli ego: ergo est æqualis scientiæ Divinæ. Verum Apologista hoc absurdum recusat. Scientiam enim Dei afferit esse matutinam , scientiam autem B. Virginis esse vespertinam. Permitto Agredanis verba , mihi de rebus sermo est. Hoc enim est , in quo consistit meum argumentum. Si in B. Virgine datur clara ac distincta scientia omnium possibilium , ea scientia creata est commensurabilis cum scientia Dei , quam commensurabilitatem Geometræ æqualitatem vocant.

DEFENSIO.

314

Criticus tenebras rursus affundit luci, ut
eam obscuret, & veritatem claram
obnubilet. In hoc argumento nec ipsi, nec Ven. Scri-
ptrici erat controversia de scientia possibilium om-
nium, sed solarum rerum à principio mundi actu ge-
starum, & reipsa gerendarum usque ad finem mundi;
ut certum est ex ejus observationibus Anti-Agredanis
primo vulgatis pag. 553. & Controversia, qua im-
pugnatas ab Agredanis observationes tueri conatus est
pag. 676. Cùm ergo videat laborem suum fuisse va-
num, & vindicias meas à se impugnari haud posse,
aliud fingit argumentum, sibi ipsi contrarius.

Repeto ejusdem argumentum in observationibus
formatum his conceptis verbis : *Ipsa (SS. Virgo)*
scivit omnia, quæcunque à principio mundi gesta sunt, &
usque ad finem mundi gerentur, nulla prorsus excepta cogi-
tatione, aut affectione ullius hominis. Et ea vidit tam clare,
quam clare sunt delineata in mente Dei. Hæc observatio
Anti-Agredana, in qua nihil de possibilibus, sed actua-
libus gestis & gerendis usque ad finem mundi, quæ uti-
que non sunt omnia possibilia. Decipit itaque D. Amort,
dum nunc ait, argumentum suum fuisse factum de
scientia omnium possibilium. Qui

315 Præterea à Gonzalezio, & me imputatam
corruptionem textus ac sensus Agredani eò magis ipse
agnoscit, quo minus pro ea expungenda, vel verbu-
lum amplius respondere audet. Ex Civitate Mystica
pag. 680. just. Defens. omnes textus, quos pro se ci-
tavit, protuli, nec unum inveni, qui diceret, quod
illa gesta, & gerenda B. Virgo cognoverit ea claritate,
qua sunt delineata in mente Dei. Quod punctum uni-

cè (non verò priora dicta) in illo argumento , & obseruatione , tanquam à Ven. Scriptrice nulla affirmatum ratione allegato Defensionis justæ loco recusavi . Occasione autem ejusdem argumenti etiam Defensionem ejus , in controversia superius jami citata pagina suscepitam , ad trutinam vocavi , præsertim hæc verba Amortiana ibi prolatæ : *Neque datur major claritas ea cognitione , qua res in se ipsis cognoscuntur , nisi aut Divina , aut Divinæ similissima sit. Quæ minus Theologicè dicta pag. 654. just. Defens. ex D. Augustino, & Honrato Tournely paucis ita confutavi.*

316 Retuli duplicem scientiam ; una est , qua creaturæ in se ipsis cognoscuntur , vel cuius objectum immediatum sunt ipsæ creaturæ : quam etiam Theologi vocant vespertinam , ad indicandam differentiam , & minorem claritatem , quam habet in comparatione alterius multò excellentioris , & ideo matutinæ à Theologis appellatæ , qua creaturæ videntur in Deo prius cognito , & cuius objectum immediatum est Deus , mediatum verò creaturæ. Pro confirmatione hujus doctrinæ à Theologis communiter traditæ attuli D. Augustinum lib. 11. de Civitate cap. 7. (prout illum adducit Tournely tract. de Ang. q. 3. art. 4.) sic dicente : *cognitio creaturæ (NB) in se ipso decoloratio est , ut ita dicam , quam cum in Dei sapientia cognoscitur , vel ut in arte , per quam facta est ; inde vespera congruentius dici potest. Ex his prædictis ita intuli in mea Defensione folio designato : „ Nemo ergò Theologorum dicitur xerit , hanc vespertinam cognitionem , qua creaturæ in se ipsis intelliguntur , esse adeò perfectam , ut major claritas , & distinctio non detur , nisi aut cognitio Divina sit , aut Divinæ similissima , vel ut cum observatione loquar , nisi ea , tam clare videantur omnia , quam clare sint in mente Dei delineata. Etenim alias à for-*

„ fortiori cognitio matutina , seu visio Beatifica Ange-
 „ li , aut alterius Beati , quæ longè clarior & perfe-
 „ ctior est , quam vespertina , deberet creaturas om-
 „ nes , tam clarè in Verbo videre , quam clarè sunt in
 „ mente Dei , & deberet esse cognitio Divina , aut Di-
 „ vinæ similissima , quod tamen falsum esse Theologi
 „ norunt . Itaque multò minus tantam claritatem ha-
 „ buit cognitio illa , de qua in cit. textu Ven. Mariæ
 „ de Agreda loquitur ; cùm hæc non fuerit intuitiva ,
 „ sicut visio Beatifica , sed abstractiva alia luce , & in-
 „ tuitu inferiore quidem ipsa visione Beatifica &c. ut
 „ textus laudatus habet . Hæc in justa Defensione : unde
 „ illiquidum est , mihi non de nudis verbis , sed verè de
 „ rebus sermonem fuisse , & Criticum rem intactam reli-
 „ quisse , & insolutam , ac solis verbis ad rem nihil fa-
 „ cientibus veritatem occultate voluisse , quod amplius
 „ patebit illi , qui benevolo oculo integrum §. 8. in mea
 „ just. Defensione P. 5. Art. 1. relegere , & ibi citatos tex-
 „ tus Civitatis Mysticæ legere dignabitur .

ARTICULUS X.

NUMERUS DECIMUS ADVERSARI.

317 **H**IC est . „ Apologista explicaturus pro-
 „ positionem Agredanam , quod per
 „ B. Virginis merita aliquando extinguae sint omnes
 „ hæreses , hoc explicat de sufficientia mediorum ge-
 „ neralium , præparatorum à B. Virgine adversus hæ-
 „ reses . Verum illa præparatio mediorum jam est
 „ præterita , non futura . Si autem de extinctione hæ-
 „ resum omnium in mundo effectiva sermo est , meri-
 „ to dubitatur , an ea propositio unquam verificanda

, sit. Zizania namque , per quæ significantur hæreses,
 „ Christus Math. 13. imperat primum colligi in con-
 „ summatione sæculi.

DEFENSIO.

318 **N**E chartam , & atramentum frustrā
 perdam , invito Marianum Lectorem
 ad Part. 5. Art. 1. §. 9. meæ justæ Defensionis , ubi
 videbit vanas Adversarii sine viribus iras jam esse
 omni ex parte confractas. Pancula duntaxat fragmen-
 ta ex ibi dictis huc transfero , ut inde sensus V. Scrip-
 tricis , & meæ Defensionis (quem utrumque Criticus
 offuscare intendit) patescat.

Primò pag. 655. justæ Defensionis hæc scribo:
 „ Ven. Scriptrix loco per Adversarium citato, scilicet
 „ P. 2. num. 362. affirmat B. Virginem suis victoriis,
 „ meritis , & precibus obtinuisse , ne Zizania errorum
 „ in majori adhuc copia in mundo disseminarentur,
 „ utque exortæ jam sectæ , & hæreses aliquando ex-
 „ tirpentur : subjungit tamen num. 363. hanc promis-
 „ sionem de extirpandis aliquando hæresibus haud du-
 „ biè tacitè conditionatam esse , & à certis conditioni-
 „ bus per homines ponendis pendere : sic ibi inter alia
 „ habet textus Agredanus : haud dubiè ista promissio Do-
 „ mini (de eliminandis omnibus hæresibus per Bea-
 „ tissimam Virginem) tacitè conditionata fuit. Numero
 „ verò proximè sequente ait : per illam idololatria ex-
 „ tincta est ab Evangelio : per illam aliæ sectæ , ut illæ
 „ Arii , Nestorii , Pelagii , & aliorum consumptæ sunt:
 „ per illam excitata fuit vigilantia , & solitudo Regum,
 „ Principum , Patrum , & Doctorum Sanctæ Ecclesie.
 „ Hæc Civitas Mystica. Jam sic discurrere liceat. Ven.
 „ Scriptrix híc celebrat B. Virginem sub encomio uni-

„ versalis victricis omnium hæresum , si nempe ex
 „ parte hominum accedant illæ conditiones , quæ ab
 „ illis exiguntur : verum hoc ipsum etiam facit Eccle-
 „ sia in officio divino , dum festivè accinit Deiparæ:
 „ gaudet Maria Virgo cunctas hæreses sola interemisti in
 „ universo mundo : & dum in lectione quarta recitanda
 „ festo SS. Rosarii ita dicit : cui (B. Virginis) datum
 „ est cunctas hæreses interimere in universo mundo . Atque
 „ adeò vel ista encomia in officio divino ab Adversa-
 „ rio quoque reprehendi , & observari debent , tan-
 „ quam talia , quæ videntur posse mutare statum Re-
 „ ligionis in materia fidei & morum , contra sensum
 „ communem Ecclesiæ : vel si in officio divino ejus-
 „ modi elogia non possunt , nec debent reprehendi ,
 „ neque in Scriptis Agredanis tali nota affici queunt .

319 Secundo subdidi postea alia Doctorum verè
 Christianorum effata , quibus B. Virgo hand aliter , ac
 dictis Civitatis Mysticæ salutatur venerabundo calamo
 hæresum omnium interemtrix . Dein explicavi ex Lau-
 rent. Chrysogono in mundo Mariano Discursu se-
 cundo , quā ratione à SS. PP. Doctoribus , & Ven.
 Scriptrice cum veritate hoc encomium Matri Inteme-
 ratæ adscribatur .

Tertiò inter alia respondi ad illam objectionem
 Critici : in Breviario , & officio B. Virginis non de
 extinctione omnium hæresum in universo mundo sermo est:
 alioquin Breviarii recitatio esset perpetuum palmare menda-
 cium . Juvat aliqua ex mea ad istam objectionem res-
 ponsione repetere ; ea sic sonant : „ Quæro , an Ad-
 „ versarius hoc fidei dogma absolvat à palmari men-
 „ dacio : quod Christus suo sanguine omnes homines
 „ emundarit à peccato , illos omnes redemerit ab omni
 „ iniquitate , & servitute peccati , ac diaboli ? utique
 „ ita , ni velit in ipsa principia fidei delinquere : dicit
 „ enim

„ enim Scriptura 1. Joann. *Sanguis Iesu Christi Fili*
 „ *ejus emundat nos ab omni peccato.* Cap. 2. *Ipse est*
 „ *propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem*
 „ *tantum, sed etiam totius mundi.* 1. ad Timoth. 1.
 „ *venit Iesus peccatores salvos facere.* Ad Titum 2. qui
 „ *dedit redemptionem semet ipsum pro nobis, ut nos munda-*
 „ *ret ab omni iniquitate &c.* Atqui non obstante doctrinæ
 „ na hac fidei, quæ minimè mendax est, adhuc multi
 „ ti sunt, & fuere anteā inquinati peccato, multi
 „ etiam permanent in culpa originali, & non pauci
 „ immoriuntur peccatis suis, ac perseverant in perpe-
 „ tua servitute diaboli. Ergo & recitatio Breviarii ne-
 „ quaquam perpetuum palmare mehdacium est, etiam
 „ si dicat, B. Virginem esse omnium hæresum inte-
 „ tempricem, non obstante quod plures adhuc nu-
 „ merentur in mundo sedæ. Sicut enim ideò Christus
 „ dicitur emundare nos ab omni peccato, redimere
 „ omnes homines à servitute diaboli, quia suis meri-
 „ tis præparavit ea media, quibus, si ex parte homi-
 „ num nil desit, & debita accedat cooperatio, omnes
 „ ab omni peccato mundari, & à jugo dæmonis libe-
 „ rari possunt: ita juxta explicationem traditam, ideò
 „ Deipara bene salutatur interemptrix omnium omni-
 „ no hæresum, quia ipsa suis meritis, precibus &c.
 „ impetravit, & impetrabit, ac suppeditabit media
 „ sufficientia, quibus adhibitis hæreses illæ, quæ ex-
 „ tinctæ sunt, debellari potuere, & debellatae sunt, &
 „ existentes adhuc possunt profligari; dummodo con-
 „ ditiones, quibus mediantibus B. Virgini data est
 „ potestas extinguendi omnes hæreses, etiam adjun-
 „ gantur auxilio Virgineo, & impedimenta tollantur,
 „ quæ obstant, quo minus Cœlorum Regina per Di-
 „ lectum Filium suum valeat potentiam suam in actu
 „ secundo exercere. Hæc & plura alia in justa Defen-
fio-

hōne adducta jam sustulerunt omnes scrupulos Amortiani, & ostenderunt ei sensum veritati omnino consonum recitati elogit, Cœlorum Reginæ non modò à Ven. Scriptorice, sed etiam ab Ecclesia, & Patribus, ac Doctoribus adscripti. Accipiat itaque dicta V. Scriptricis in sensu ab ea intento, & non illo, quem sibi ipsi fingit contra mentem Ven. Authoris, & nihil habebit, quod in Civitate Mystica possit reprehendi.

ARTICULUS XI.

NUMERI AMORTIANI XI. XII. XIII.

¶ XIV.

Numerus XI.

320 **T**alis est. „Apologista hoc loco dicit:

Illa verba textus Agredani, quod vita,
„B. Virginis servire *debeat* pro norma fidelibus, non
„necessariò intelligenda esse de *debito strictè dicto*, aut
„de vita B. Virginis in Revelationibus Agredanis des-
„cripta. Verum motiva conscribendæ hujus Agreda-
„næ historiæ de vita B. Virginis aliud petunt.

DEFENSIO.

Quid petant Revelationes Agredanæ circa præsen-
tem materiam, facilè patet lustranti eas: illud
autem ab iis non exigi, quod hic fingit Criti-
cus, vel ex eo liquet, quia, licet plures citaverit pro
se textus D. Amort in observationibus, & controver-
sia, nullum tamen invenit, qui diceret, quod debito
strictè dicto fidelibus pro norma vitæ servire *debeat*.

Historia vitæ B. Virginis, prout hæc in Revelationibus Agredanis est descripta. Rogatum volo Marianum Lectorem, velit recolere integrum §. 10. Part. 5. justæ Defens. Art. 1. ibi videbit, quantum se, & Civitatem Mysticam torqueat Criticus, & quantum distent dicta Agredana ab imputata falsa doctrina Amortiana. Vdebit pariter ibidem Lector benevolus, quomodo D. Amort præter corruptum sensum etiam dedita industria textum Agredanum mutilaverit. Cum ergo citato loco imaginariæ crises Adversarii jam sint deletæ, eas iterum discutere supervacaneus labor foret.

Numerus Anti-Agredani XII.

321 **E**ST iste: „Apologista art. 2. §. 2. docet, „quod omnibus Ie exercentibus per „lumen naturale in virtutibus naturalibus Deus in- „fundiatur virtutes superhauriales. An hoc exactè lo- „quendo defendi possit, non concesserim. Nam etiam „ad opera moraliter bona requiritur gratia saltem ex- „trinsecè supernaturalis.

DEFENSIO.

322 **L**iceat sciscitari ex Critico, quo folio, quod omnibus se exercentibus per lumen naturale in virtutibus naturalibus, & quidem sine concursu auxilii supernaturalis, Deus infundiatur virtutes supernaturales? Postulavi Amortium citato loco corruptionis sensus, & textus Agredani, dum tam insulsam doctrinam Ven. Scriptrici affingere fuit ausus. Docui ex ipso fonte Civitatis Mysticæ, quod juxta Ven. Scriptricem unà cum lumine naturali auxilium Theologicè super-

naturale debeat concurrere ad dispositionem pro virtutibus supernaturalibus. Id pluribus deduxi , & conclusi omnia pag. 678. hisce verbis inferens,, V. Scriptum nil aliud docere, quam quod clarissimus P. Viva in suo cursu Theolog. P. 3. disp. 1. q. 9. num. 3. dixit : *Quoties consurgunt cogitationes naturales ad bene operandum , Deus simul gratis concedit in presenti prævidentia ex meritis Christi Domini illustrationes supernaturales , quia semper stat ad ostium , & pulsat ; si quis autem his illustrationibus adjutus faciat , quantum est in se , ulteriorem gratiam obtinebit , quousque ad gratiam habitualem , & gloriam per venerit.* Ex his , & multis aliis in justa Defensione à pag. 670. à me dictis clarè consequitur , Criticum novæ falsitatis se reum fecisse , dum falsam doctrinam mihi affinxit.

Numerus XIII. Amortianus:

323

ITA intonat: „ Apologista art. 2. §. 1. calumniosè exponit meam doctrinam. „ Ego enim docui & doceo , me confidere , quod veri „ clientes Mariæ , qui in gratia Dei Deo, & B. Virginis „ castè ac piè serviunt , per ejus intercessionem in articulo mortis non sint per grave peccatum prolapsū „ ri , ac amissuri gratiam , atque in eo sensu verum esse , „ quod nullus verus cliens Mariæ æternum pereat. At „ verò Apologista meam doctrinam calumniosè sic „ proponit , quod nullus peccator obtineat patrocinium B. Virginis , sed soli constituti in gratia. Re- „ vocet hanc enormem , aut ex crassa ignorantia , aut „ ex malitia profectam calumniam,

DEFENSIO.

324 **R**evoco, id est, repeto mea dicta, quibus
 calumniam non intuli, sed veritatem
 nudam proposui. Nunquid Anti-Agredanus pag. 515.
 Controversiae ista habet: „Cum ergo Revelationes
 „Agredanæ loquantur indefinite de quovis genere be-
 „neficiorum, nec conditionem veri Clientis sufficien-
 „ter restringant ab observationem mandatorum, &
 „statum gratiæ, aut certè ad contritionem, & propo-
 „situm efficax, quo tempore peraguntur devotiones
 „erga B. Virginem Matrem, prout ipsem Gonzale-
 „zus num. 508. concedit, non male feci, eas promis-
 „siones Agredanas deferendo ad Theologorum Con-
 „cilium, ut judicio Sedis Apostolicæ, tanquam nimis
 „generales, quæ Lectoribus, & peccatoribus, & Con-
 „cionatoribus facilè ansam nimis latæ interpretatio-
 „nis præbeant, in lance prudentiæ legislativæ expen-
 „dantur. Hæc sunt verba Critici, quæ primò loquun-
 tur non de sola perseverantia finali, sed de quibusvis
 beneficiis, ac secundò exigunt indefinite ad quælibet
 beneficia per Patrocinium Virgineum obtainenda, ut
 conditio veri clientis Mariani in petitionibus suis exa-
 diendi restringatur ad observationem mandatorum, &
 statum gratiæ, aut certè ad contritionem & propositum effi-
 cax, quo tempore peraguntur devotiones ad B. Virginem
 Matrem. Unde D. Amort calumniæ me accusat sine
 causa, & ipse obligatur ad revocandam calumniam
 innocentii vel ex crassa ignorantia priorum dicto-
 rum, vel ex malitia impactam.

Ad hæc: Criticus debet responsionem meæ integræ
 justæ Defensioni, quam Part. 5. Art. 2. §. 1. pag. 666.
 & seq. ejusdem Controversiae Anti-Agredanæ objeci.

Ubi

Ubi laudatis textibus V. Scriptricis luce meridiana
clarissim probavi, quod promissiones in Civitate My-
stica de Patrocinio B. Virginis relatæ clausulis debitæ
sint munitæ, & prout decet, limitatæ. Nihil ad mea
citato loco producta missitat Adversarius, sed altum
filet, coactus, ut existimo, nimis patente, & sibi dis-
plicente veritate.

Numerus XIV. Adversarii.

325 **S**IC habet: „ Apologista negat, ex Reve-
lationibus Agredanis consequi, quod
„ totum caput Proverbiorum octavum deberet expli-
„ cari de B. Virgine. Ego vero contendo, de eadem
„ Sapientia, de qua illud caput loquitur à versu vige-
„ simo secundo, etiam totum caput explicandum
„ esse, nempe de Sapientia increata, ex B. Virgine in-
„ carnata in Christo. Lector benevolus indifferens le-
„ gat hoc caput, & facile hanc expositionem Agreda-
„ nam respuet. Neque enim in eodem capite sine ne-
„ cessitate transiliendum est ad objecta disparata, nullo
„ ejusmodi transitus apparente vestigio, prout in meis
„ Prolegomenis Scriptura, Augustæ prouisu cleri Augusta-
„ ni editis, luculenter ostendi.

DEFENSIO.

326 **N**ihil novi asserta adducta responsive.
Adversarius, quod non est amplè so-
latum in Defensione justa pag. 679. & seqq. unde ibi
dicta reconquere esset nimis insipidum. Relegere pla-
ceat ibidem à me quidem asserta, ast non ex meo ce-
rebro conficta. Siquidem transitum ab uno objecto
ad aliud, à figura ad figuratum in eodem capite S.
Scrip-

Scripturæ , præsertim in libro Proverbiorum stabilivi ex autoritate & placitis versatissimorum in Sacra Scriptura virorum , & SS. Patrum. Deinde Adversarius necdum purgat errorem , quem commisit in alleganda Sacra Scriptura , dum in suis observationibus initium capitinis octavi Proverbiorum posuit : *Dominus possedit me* : cùm tamen initium capitinis ejusdem sit : *Nunquid non sapientia* , & primū versus vigesimus secundus inchoetur à prænomivatis verbis : *Dominus possedit me*. Si D. Amort velit candidè agere, ad omnia mea dicta fideliter respondeat , : & non aliqua confusè solum proferat , ac ipsam substantiam meorum assertorum intactam relinquat.

ARTICULUS XII.

NUMERUS DECIMUS QUINTUS

Critici

327 **S**equentia falsò enuntiat: „ Apologista „ art. 2. §. 4. defendit , quòd S. Joannes visionem Apocalypticam , quæ in Apocalypsi „ narratur c. 12. jam habuerit quinquaginta circiter „ annis , antequam scriperat Apocalypsin. Revela- „ tiones enim Agredanæ fingunt , eam visionem S. „ Joanni factam esse , ut gereret diligentem curam B. „ Virginis , quæ obiit quadraginta circiter annis ante „ Apocalypsin. Verùm D. Joannes non indiguit vi- „ sione ad gerendam curam B. Virginis. Sufficerat „ illi mandatum ultimum sui dilecti morientis in cru- „ cc.

DEFENSIO.

328

EX composito novam duplicitem falsitatem priori adjicit Criticus. In sua enim Controversia, & observationibus corrupit dicta Agredana, nunc verò cum illis pervertit etiam meam Defensionem. Ita enim agere oportet eum, qui signa inimica veritati inferre cogitat, vel qui non tam veritatis amore, quām propriæ existimationis & famæ per fas & nefas aut obtinendæ, aut conservandæ studio in arenam descendit. Verū an honesti candoris amans mundus consilium ejusmodi laudare, vel non reprobare possit, arbiter sit alius.

Prior in observationibus cusa, & in Controversia verbis parùm modestis recusa falsitas in eo erat sita, quod affirmante Amortio ille textus Apocal. 12. v. 13. *Datæ sunt mulieri alæ, ut volaret in desertum, ubi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis, explicetur à Civitate Mystica de tribus ultimis annis vitæ B. Virginis, in quibus vitam vixit contemplativam.* Istam enim observationem esse contra mentem V. Scriptricis, & expressum ejus textum evidenter ostendi ex Civitate Mystica in justa Defensione pag. 687. & seq. Siquidem Part. 3. Civit. Myst. 595. assignatur finis hujus temporis à Joanne Apoc. 12. v. 13. indicati, & dicitur fuisse annus Virgineæ vitæ sexagesimus primus jam per duos menses, & paucos dies inchoatus. Unde evidenter concluditur, tempus illud non consti- tuisse ultimos tres annos illibatae Matris juxta Civitatem Mysticam; cùm secundum hanc Part. 34 num. 742. annus ultimus vitæ Virgineæ non fuerit sexagesimus primus, sed septuagesimus, quem demptis viginti quinque, aut sex diebus (ita perhibente V.

Scriptrice loco laudato) complevit Deipara. Hæc prolixius in justa Defensione citata : quæ proculdubio & Adversarium ipsum convicerunt , cum ad ea nec verbūlum reddat , imò nec sui argumenti qualem- cinq̄ie memoriam facere ausit.

329 Ne tamen victimum se palam fateri videatur, ex destinato mihi & Revelationibus Agredanis falsum affingit. Primò enim ait , me Part. 5. just. Defens. art. 2. §. 4. defendere , quòd S. Joannes visionem , de qua Apocalypsis 12. jam habuerit quinquaginta circiter annis ante Scriptam Apocalypsin. Quām palmaris hæc sit falsitas , noverit quivis , qui illum paragraphum ex justa Defensione , vel levi oculo lustravit. Nec verbum ejusmodi mihi excidit ; totus enim in eo fui , ut corruptum ab Adversario textum demonstrarem , & simul defenderem illud tempus à Joanne cap. 12. num. 13. designatum , & à Ven. Scriptrice Vitæ Virginæ applicatum , non fuisse ultimos tres annos , quos SS. Virgo in terris egit. His paucula duntaxat subdidī , quibus dicacitatem Adversarii planè haud tolerandam castigavi , non verò id à longè , vel unica voce insinuavi , quod modò sine ullo rubore mihi imputat Anti-Agredanus. Sola inspectione Defensionis justæ opus est , & liquido constat de fraude isthac Amortiana.

Sed nec Civitati Mysticæ sua responsione parcit : fingit enim , quòd Revelationes Agredanæ asserant , visionem , de qua Apocalyps. 12. & hic Ven. Scriptrici sermo est , S. Joanni factam esse , ut gereret diligenter curam B. Virginis. Volvat , & revolvat benevolus Lector integrum Civitatem Mysticam , & tamen nec minimum vestigium hujus figmenti Amortiani reperiet. Caput præfatum duodecimum quidem integrum à Ven. Scriptrice elegantissimè exponitur Part. 1. Civit. Myst. cap. 8. 9. & 10. nihil tamen ibi legitur de

de hoc , quod visio , illo capite 12. Apocalypses
descripta , fuerit manifestata Joanni eum in finem , ut
diligentem curam gereret B. Virginis . Ast quid me
multum implico futilibus hujusmodi figmentis , quæ
sponte sua evanescunt ?

Brevis Animadversio.

330 **P**riusquam ad numerum decimum sex-
tum Adversarii manum admoveam ,
advertisendum venit , Criticum transiliisse paragraphos
plures nempe quintum , sextum , septimum , & octa-
vum , quos ultra recensitos adhuc numerat art. secun-
dus partis quintæ just. Defens. & de quibus D. Amor-
ne mentionem quidem facit. Eodem modo penitus
præterit sequentem paragraphum primum articuli ter-
tii. Manent igitur illi suo in vigore , nec defensione in-
digent , utpote minimè impugnati. His idcirco missis
properantem insechor Anti-Agredanum.

ARTICULUS XIII.

NUMERUS DECIMUS SEXTUS.

Critici excutitur.

Numerus iste & sat longus est , & singularem re-
flexionem exigit ; unde in plura puncta secan-
dus est. Sit ergo

Initium Numeri decimi sexti Amortiani

331

Quod sic habet : „ Apologista art. 3.
 „ non solum extra orbitam saltitat,
 „ sed etiam à via longissimè recedit.
 „ Scripsoram ego occasione obedientiæ cœcæ , quam
 „ Ven. Scriptrix suis Superioribus præstiterat ad postu-
 „ landas à Deo revelationes , non semper præcipi ju-
 „ sta , & tibi talia Superiorum mandata juri naturali ,
 „ vel divino repugnant , non habere locum meritum
 „ obedientiæ cœcæ ; immo justo Dei judicio sic obe-
 „ dientes , etiamsi per ignorantiam invincibilem quan-
 „ doque non formaliter , sed materialiter peccent , re-
 „ linqui illusionibus dœmonum . Quòd non semper
 „ præcipiantur à Superioribus justa , ostenderam in
 „ exemplo , dum v. g. Superiores suis Lectoribus , aut
 „ Professoribus mandant , ut defendant ac tradant in
 „ Theologia sententiam de usu licto sententiæ nota-
 „ biliter minus probabilis relista probabiliore , vel de
 „ usu licto actus per se indifferentis , hoc est , dum
 „ quis se explicitè reflectit ad Deum , & referibilita-
 „ tem actus ad Deum . Addidi aliud exemplum his
 „ verbis conceptum : *Novi mendicantes , nulla habentes*
 „ *bona in communi , habentes tamen Capitalia , & censu*
 „ *utrinque redimibiles , non semper concurrente titulo lucri*
 „ *cessantis , damni emergentis , aut periculi , aut veri con-*
 „ *tractus censualis . An cooperari licebit ex mandato Su-*
 „ *perioris , hæc esse adiaphora declarantis ? Per Deum*
 „ *non licet , nec cœca obedientia excusat , præsertim post*
 „ *declarationem SS. D. N. BENEDICTI XIV. de Usuris .*
 „ Hæc sunt , quæ scripsi . Quid opponit Apologista ?
 „ Audacter defendit , rectè agi à Superioribus circa
 „ primum & secundum , si ejusmodi mandata impo-
 „ nant

niant Lectoribus. Opto, ut hanc liberam confessio-
 nem etiam Sumimus Pontifex audiat. Atque audiet
 fortassis. Circa tertium Apologista fingit, quod im-
 pugnaverim Capitalia Franciscanorum Provinciæ
 Bavariæ. Hinc longè latèque per Decreta Summo-
 rum Pontificum probat, quod liceat Franciscanis
 recipere legata, dummodo hæ conditiones concur-
 rant. 1. ut Fratres renuntiant omni juri in talia le-
 gata aut fundationes. 2. ut Fratres in foro conten-
 tioso non exigant ejusmodi præstationes actione ju-
 diciali. 3. ut præstationes illas, si pecuniariæ sunt,
 non recipient per scipios, sed per *amicos spirituales*,
 vel Syndicos Apostolicos. 4. ut talis præstatio, vel
 pensio sit moderata. Haec tenus verba Amortiana.

DEFENSIO.

332 **D**icit primò Criticus, me extra orbitam
 saltitare, & longissimè à via recede-
 re. Verùm, si id factum sit, non meo vitio accidit,
 insecutus sum per avia & devia fugientem, & in om-
 nes partes, quæ à statu Controversiæ agitatæ pluri-
 mūm declinabant, versantem se Adversarium. Unde
 recto tramite haud incedere potui, imitatus venato-
 rem, qui illam tantum viam sibi seligit, quam ei ve-
 stigia feræ quæsitæ designant. Nonne exempla & pun-
 cta solū illa examini subjici, quæ D. Amort in Con-
 troversia sua Agredistis, & Civitati Mysticæ non sine
 injuria objecit? Ergo ipse sponte sua recessit à via lon-
 gissimè, ut continuò solet in materia Agredana, ego
 vero præter voluntatem meam, necessitate ductus à
 via aberrantem persequebar, maximè, quia suis ad
 rem nihil facientibus exemplis, & dictis, honorem meæ
 Religionis ausus est enormiter aggredi: quem, ut in-

dignus ejus aliumius jure optimo vindicare & potui, &
voluis

333 Dicit 2. Scripseram ego occasione obedientiae
cœce, quam Ven. Scriptrix suis Superioribus præstiterat ad
postulandas à Deo revelationes, non semper præcipi justa.
¶ ubi talia Superiorum mandata juri naturali & divino
repugnant, non habere locum meritum obedientiae cœce;
immò justa Dei judicio sic obedientes, etiamsi per ignoran-
tiam in vincibilem quandoque non formaliter, sed materiali-
ter peccent, relinquunt illusionibus dæmonum. Ita Anti-
Agredanus, semper inconstans, & sibi ipsi dissimilis.
Rem paucis ab ovo declaro. In Observationibus anno
1744. vulgatis pag. 563. num. 10. dissertis verbis ait
D. Amort: A Revelationibus Agredanis obedientia cœ-
ca erga Superiores, & Confessarios eousque commendatur,
ut si quis ipsis obediatur, ne quidem possit errare materiali-
ter. Prout habetur in Praef. Revel. ad Part. 1. num. 8.
hæc autem regula explicanda est, ne serviat ad Quietismum.
Ista est observatio Amortiana, quæ initium & occa-
sionem dedit præsenti Controversiæ à me in justa De-
fensione à fol. 710. usque ad 731. prolixius de-
ductæ.

Cùm verò P. Landelinus egregiè ostendisset in tex-
tu Civitatis Mysticæ non contineri ista verba, quòd
obediens ne materialiter quidem possit peccare, & sic
eum esse corruptum; item Ven. Scriptricem loqui de
obedientia præstita Superiori legitimè jubenti, & quan-
do id, quod præcipitur, adiaphorum, seu indifferens est,
at concepta verba Agredana sonant, talique modo
Doctrinam Agredanam ab illo Quietistarum errore esse
remotissimam: cùm, inquam, Landelinus hæc osten-
disset, Adversarius reposuit, neminem per obedientiam
excusari ab ignorantia Vincibili.

Ait & istud effugium in justa Defensione à pag. 711.

& seq. est rejectum, & ex verbis Civitatis Mysticae demonstratum, quod ipsa loquatur præcisè de obedientia legitimis Superioribus debitè præstita, in materia vel bona, vel saltem indifferentiæ, & in talibus circumstantiis, in quibus nulla ignorantia vincibilis de malitia talis objecti locum habet. Itaque animadvertis Criticus hic vagus, quod ab ignorantia vincibili nihil subsidii sperare possit, eam deserit, & ad invincibilem se confert. Sic saltat ab hoc ad illud, qui nullibi firmum pedem figere potest. Videatur justa Defensio citata. Quod autem neque ignorantia invincibilis Ant Agredano suffragetur, ad finem præsentis Articuli dilucidabitur.

334 Repetit tertio Criticus exempla Theologica, quibus probare conatur, à Superioribus non semper præcipi justa. Verum, ut quilibet videt, his exemplis solum vult pungere, & perstringere regimen Superiorum quorundam Regularium, præsertim nostri Ordinis. Placeat tantum repetere ex mea justa Defensione, quæ scripsi pag. 715. & tota repetitio Amortii hic facta cum dictis ejusdem in Controversia ut fumus in auras abibit. Respondeat Criticus ad mea asserta in Defensione citata, solvatque meam rationem valde gravem.

Sed quid facio? cur non expavesco? Audiet fortassis SUMMUS PONTIFEX; rectè juxta me agi à Superioribus, dum præcipiunt suis Lectoribus, ut tradant sententiam de probabilismo, & actu in individuo indifferenti? Verum omnino opto, ut hanc liberam confessionem meam SAPIENTISSIMUS Orbis & Urbis THEOLOGUS SS. D. NOSTER audiat; neque enim EJUSDEM limatissimum judicium fugio. Novit ille (& cur non noverit DOCTOR MAXIMUS in omnibus libris versatissimus?) Novit, inquam, ille pro-

babilissimum ut licitum in hodiernum diem à plurimis Professoribus è Cathedra Theologica prælegi, in publicis Thesibus defendi, in libris editis sustineri: Novit pariter usum licitum actus per se, & in individuo indifferentis à Schola Scotistica tota, & extra hanc à non paucis aliis doceri: & tamen nec illi, nec huic opinioni sua Authoritate Suprema se opponit, permittit utramque sententiam asseri. Quid ergo mihi timendum erit, si ad aures BEATISSIMI, & ERUDITISSIMI PATRIS pervenerit, me Patronis utriusque præfatae sententiæ accessisse, & tenuisse, quòd Superiores ex rationabili causa, & ob majorem conformitatem doctrinæ inter suos habendam, rectè suis Lectoribus mandarint, ut tradant sententias affirmantes, esse licitum in materia honestatis usum sententiæ notabiliter minus, dummodo adhuc solidè, tam respectivè, quam absolutè probabilis; item esse possibilem per se actum in individuo indifferentem? Siquidem Superiores id præcipere possunt suis, quod ab his licite fieri potest: cum ergo etiamnum licite utraqne sententia absque Pontificia prohibitione in Scholis legatur, eam ut legendi aliqui Lectores, his à suis Superioribus mandari potest, ubi & Lectores seu subditi acquiescere debent, ut patet ex communissimo Theologorum & Ascetarum dogmate de obedientia à Religiosis debita suis Superioribus. Dein SS. PATER utique novit, quòd nostri Ordinis Lectoribus ex præscripto Constitutionum Generalium, & Provincialium incumbat tradere sententias Scotti, inter quas etiam illa est de actu per se & individuo indifferenti licito; & tamen propterea nec Ordinis Superiores corripit, nec Constitutiones nostras emendat. Minas igitur ejusmodi Adversarii cò minus pertimesco, quò magis in hoc punto à judicio Amortiano recedere videtur Celsissimum Ingenium Fe-

licissimè Regnantis PASTORIS totius Ecclesiæ. Hic enim lib. 2. de Beatif. cap. 28. num. 9. (ut superius in meo isto opusculo num. 271. jam allegavi) auream istam doctrinam tradit : *Debent* (Revisores) *de alienis sententiis judicium non ex sua, vel suorum ferre, sed agnoscere libenter probabilitatem doctrinae, à qua alioquin abhorrent.* Ita scribit SANCTISSIMUS , & ita solet agere ; licet enim in clarissimis suis operibus unam præ aliis non raro sibi sectandam statuat sententiam, oppositas tamen sibi minimè rejicit , cœu omni fundamento destitutas ; ita aget etiam (ut spero) in præsenti casu : quamvis enim fortassis circa ambas prædictas Controversias sit mentis contrariæ , eas tamen non mox inter prorsus improbabiles , vel ipsa confixione dignas Theses ablegabit : *agnoscet* , ut credo , *libenter probabilitatem doctrinae, à qua (forsan) alioquin abhorret.*

335 Interea Criticus hoc sibi quoque notet ve-
lim, eum in veritatem delinquere , si per illam Provin-
ciam, in qua statutum est, ut ab omnibus Lectoribus
doceatur , sequelam sententiæ notabiliter minus proba-
bilis esse licitam, nostram Bavaricam intelligat. In hac
enim hujusmodi statutum non exstat. Unde & ego
ipse , cùm ex officio mihi à Superioribus Provinciae im-
posito incumberet Ingolstadii tradere tractatum, ut vo-
camus , de actibus humanis, tam in scriptis meis, quam
publicis Thesibus propugnavi non esse licitum sequi
sententiam notabilitè minus probabilem , & minus
tutam in materia honestatis : immò etiamnum paratus
sum ad hanc meam conclusionem privatim & publicè
tuendam; quo non obstante, assertionem contrariam ab
aliis Doctissimis defensam, adhuc suo in pretio relin-
quo , & licet defendi posse afflamo , sectatus in hac
materia Regulam auream , superius traditam, & exem-
plum celeberrimum SANCTISSIMI , & SAPIENTIS-
SIMI D. NOSTRI.

Tertium exemplum differo ad punctum secundum
Adversarii statim discutiendum; cum eo enim maxime
cohæret. Quare sit

Prosecutio Numéri XVI. Amortiani.

336 **S**IC ulterius loquitur Anti-Agredanus;
 „ Respondeo , in his omnibus Apolo-
 „ gistam saltare extra rhombum , hostemque sibimet
 „ ipsi fingere , quem feriat. Nam in primis nullibi ego
 „ nominavi Ordinem Franciscanum aut Provinciam
 „ Bojcam. Secundo ; ego non improbavi capitalia,
 „ per amicos spirituales ad normam Constitutionum
 „ Apostolicarum in favorem hujus Ordinis elocata,
 „ sed improbavi modum usurarium, prout manifestum
 „ est exponenti mea verba. Cur alto silentio punctum
 „ quæstionis præterit , & nec verbulo tangit ? an quia
 „ fatetur , revera ea capitalia sic elocari nullo concur-
 „ rente particulari titulo , sed solùm generali , quòd
 „ respublica transferat pecuniarum censualium , & cen-
 „ suum dominium ? Itaque me Apologista tota sua
 „ documentorum & exprobationum mole nec tangit,
 „ nec angit ; multò minus ad restitutionem famæ,
 „ quam non læsi , jure obligat. Decet tamen , ut circa
 „ hanc rem unam ac alteram promam observationem,
 „ fortè utilem futuram pro bono Ecclesiæ , cuius pro
 „ decore & honestate , ut soleo , mentem meam liberè
 „ profero. Primo observo : juxta ea , quæ Apologista
 „ num. 519. & num. 525. scribit , dominium talium
 „ bonorum legatorum esse in dominio Summi Ponti-
 „ fificis , eumque de iis liberè posse disponere. Vellem
 „ ergo scire , an ipsimet Summi Pontifices , qui toties
 „ declararunt , census utrinque redimibiles usurarios
 „ esse , si non concurrat alias contractus verè distinctus

„ à mutuo, ad censem habeant per Syndicos Aposto-
 „ licos, & amicos Franciscanorum Spirituales Capitalia
 „ nullo concurrente particulari titulo, quo verè distin-
 „ guantur à mutuo? Secundò observo: si Summus Pon-
 „ tifex habet ejusmodi Capitalium dominium, ac po-
 „ testatem, de iis disponendi liberam, cur Apologista
 „ num. 525. scribit, suam Provinciam adeò patienter
 „ tulisse ablationem ejusmodi Legati, ut, inquit, nihil
 „ desuper in judicio moverimus, aut moveri à Syndico aut
 „ amico spirituali permiserimus? Vellem scire, an Pro-
 „ vincia habeat potestatem inhibendi Syndico jus
 „ agendi nomine Pontificis circa bona pertinentia in
 „ dominium Summorum Pontificum. Dubium hocce
 „ meum auger **INSTRUCTIO PRIVATA AMICIS**
 „ **SPIRITUALIBUS** communicata ab A. R. P. Con-
 „ cordio Zvenger Ministro Provinciali in Bavaria.
 „ Titulus illius instructionis privatæ, cuius copiam ser-
 „ vo, est sequens: *Kurze Erklärung des ambts, GeVvalts,
 „ Schuldigkeit &c. eines Syndici Apostolici, auch geistli-
 „ chen Freund deren PP. Franciscaneren, id est, Brevis
 „ declaratio officii, potestatis, & obligationis Syndici Aposto-
 „ lici, & spiritualis amici PP. Franciscanorum &c.* In hac
 „ instructione privata continentur sequentia verba:

„ 1. Konnen und sollen die Pœfliche Syndici im Namen
 „ des Pabstens das eigenthum und herrschafft über sich neb-
 „ men aller jener sachen, deren gebrauch denen Brüderen
 „ Zur erhaltung &c. Vonnothen seind.

„ 2. Seind Sie schuldig, gedachte sachen vvider
 „ jederman unrechter gevvalt, untreu, Betrug &c.
 „ Zu beschuzen, und Zvar

„ 3. Selbe auch vor gericht, und da es nothig,
 „ dessentuuegen auch (doch mit ausschlus der ærgernus,
 „ und mit vvissen und vvillen deren Oberen) im na-
 „ men des Pabsts Zu Klagen, oder actiones anzustel-
 „ len

„ken, und vvas hierzu erforderet vvird, doch nit
 „aufeigne uncosten vorzunehmen: hucusque illa in-
 „structio privata, quæ latino sermone ita sonat: Pri-
 „mò, Syndici Apostolici possunt, & debent nomine Summi
 „Pontificis in se suscipere proprietatem & dominium omnium
 „illarum rerum, quarum usus Fratribus ad sustentationem
 „est necessarius. Secundò, tenentur tueri prædictas res ad-
 „versus vim injustam, infidelitatem, & dolos quorumvis,
 „& quidem tertio, etiam coram judicio, urgente necessitate
 „propterea, seu propter ejusmodi injustam vim, dolum &c.
 „nomine Summi Pontificis actionem instituendo &c. (NB)
 „secluso tamen scandalo, & scientibus, ac consentientibus
 „superioribus &c. Ita habet præfata instructio.

„Cæterum congratulor PP. Franciscanis ex ani-
 „mo, quod naeti sint occasionem opportunam sua
 „jura publicandi ad compescendas imperitorum que-
 „rimonias, iisque, & aliis omnibus, qui in materia
 „censum tutò procedere velint, ut posthac ineant
 „contractum Constitutionis Census, in quo alienatur ca-
 „pitale perpetuò, ita ut capitale ex parte emptoris
 „sit irredimibile, census verò ex parte censuarii sit
 „redimibilis. Censum enim utrinque redimibilem
 „nullo concurrente particulari titulo, aut contractu
 „alio, verè ac realiter distincto à mutuo, confor-
 „miter ad constitutionem SS. D. N. Benedicti XIV.
 „usurarium censeo.

DEFENSIO.

337 **D**UM Criticus recantare deberet inju-
 rias Franciscanis illaras, eas conti-
 nuat. Recensebo illas breviter, ne nimirum molestus
 sim Lectori.

Ait 1. me hostem mihi fingere, quem feriam, &

Se non nominasse Ordinem Franciscanum in sua Controversia. Mira responsio : quamvis non nomine proprio appellem D. Eusebium Amort , si tamen iis eum coloribus depingam, ut à quolibet agnoscatur, perinde videtur esse. Nomen reticuit ; nihilominus dígo demonstravit S. Francisci familiam, quæ sui institutoris regulam sine dispensatione observat. *Novi* (inquit in sua Controversia pag. 518.) mendicantes nulla habentes bona in communi, habentes tamen capitalia, & census utrinque redimibiles, non semper concurrente titulo lucri cessantis, damni emergentis &c. aut veri contractus censualis. Quinam autem sunt illi mendicantes, qui nulla bona habent in communi ? nonne sunt omnium confessione tum Capucini, tum Franciscani Ministerio Generali totius Ordinis Fratrum Minorum subjecti, seu Regularis & strictioris Observantie alumni ? quis de hoc dubitat ? ergo hos vel omnes, vel aliquos ex iis exagitat sua ad propositum satis inepta, & tantum ad id adhibita crisi, ut Religionem S. Francisci, erga quam male affectum animum pluries prodit, possit in præcipuo capite sui instituti dicteriis proscindere, & famam ejus mordere. Saltat igitur D. Amort mordaci suo calamo longè latèque extra rhombum charitatis & justitiae christianæ, ac modestiae religiosæ, & scètiamnum novo titulo ad restitutionem famæ nostræ Religioni, & mihi ultimo ejus membro noverit obli-gatum. Quod ex sequentibus patebit. Etenim

338 Ait secundò jam in antecedentibus. Circa tertium Apologista fingit, quod impugnaverim capitalia Franciscanorum. Hæc inquiens fingit Adversarius. Vito tribuo, quod Criticus nobis Franciscanis tribuerit capitalia, quæ non habemus, non vero quod impugnarit capitalia, quæ possideamus, cum omnis capitalis simus incapaces. Similiter probavi non aliter lice-re

re nobis recurrere ad quasdam largitiones annuas, quām ut ad eleemosynam puram sine ullo jure activo penes nos seu in communi, seu particulari spectatos, residente: unde etiam adduxi quatuor conditiones necessariò observandas ex dispositione Summorum Pontificum, & à nobis observatas circa ejusmodi eleemosynas in annos singulos obuenturas.

339 Ait tertio. „ Ego non improbavi capitalia, „ per amicos spirituales ad normam Constitutionum „ Apostolicarum in favorem hujus Ordinis elocata, „ sed improbavi modum usurarium, prout manifestum „ est expendenti mea verba. Cur Apologista alto si „ lentio punctum questionis præterit, & nec verbulo „ tangit? an quia fatetur, revera ea capitalia sic elo- „ cari nullo concurrente particulari titulo, sed solum „ generali, quod respublica transferat pecuniarum „ censualium, & censuum dominium? Itaque me „ Apologista tota sua documentorum & exprobratio- „ num mole nec tangit nec angit; multò minus ad „ restitutionem famæ, quam non læsi, jure obligat. Ita injuriam à me in justa Defensione propulsatam instaurat, ac nos labis usurariæ arcessit. Et ut suam dicacitatem confirmet, addit, me alto silentio punctum questionis præterire, & nec verbulo tangere. Verùm ut videat Criticus me rem acutetigisse, paucula solùm delibo ex justa Defensione, in qua rem istam pro sua dignitate per plura folia incipiendo à pag. 717. tracta- vi, & ex Decretis Summorum Pontificum, nostraque vivendi norma ostendi, nos nec capitalia habere, nec census aut redditus annuos recipere, nec mutuum da- re, aut accipere, neque contractum ullum inire posse, aut reipsa celebrare, indèque necessario expertes esse omnis lucri usurarii. Quibus latius expensis coronidis loco hæc subdidi pag. 729. Qua si maturius perpendis-
set

set Criticus, forsitan adducta verba suæ haud inferuisset Controversiæ, neque tam incaute sub invocatione Divini Nominis exclamasset: *Per Deum non licet; nec cœca obedientia excusat, præsertim post declarationem SS. D. N. BENEDICTI XIV. de usuris.* Ad quid enim talis invocatio Divini Nominis & exclamatio? *Declaratio SS. D. N. BENEDICTI XIV. de usuris* Fratres Minores haud concernit, cùm non habeant bona in communi, aut particulari, neque celebrent, neque celebrare possint aliquem contractum, neque mutuum dare, aut recipere, neque capitalium, neque censuum sint capaces: quomodo ergo vi mutui, aut ratione capitalium, & censuum possunt committere usuras à S. Pontifice prohibitas? Nolit Adversarius (per Deum enim, qui tales denigrationes gravissime vetat, non licet) tanta crimina affingere Fratribus Minoribus. Hæc in Defensione, quæ utique tangunt punctum Controversiæ, & famæ læsæ arguunt Criticum.

340 De reliquo D. Amort suo mordaci, & omnia audente calamo non petit tam nos, quām Reverendissimos Ordinarios; hi enim in nostra Provincia dominium & jus talium bonorum, Capitalium &c, unde nobis annuæ quædam moderatæ eleemosynæ proveniunt, in se susceperunt, & annuas pensiones per suos Commissarios exigunt, ac in utilitatem Fratrum Minorum converti, & maximè pro cera, oleo, & aliis ad officia divina ritè celebranda necessariis, expendi faciunt. Hos ergo accusat Criticus usuræ, cùm ipsi solùm celebrent contractus illos censuales, qui ipsi videntur iniqui, & labe usuraria infecti. Sed facessant similes calumniæ! Non tam temerè judicandum, nec tam abjectè scribendum de tantis Principiis, de quibus non nisi bene: et quis sibi persuadeat, quod illi aliquid admittant, vel ipsi perpetrent per suos speciatim designatos Commissarios, quod à crimi-
ne

ne usuræ non sit immune , aut cui non suffragetur
justus titulus particularis à mutuo distinctus?

341 Neque Epistolam Encyclicam BENEDICTI
XIV. obtrudat : quidquid enim in ea sapientis modera-
minis occurrit , id respuit Criticus , atque conculcat.
Abstinet SS. Dominus à decidendis , definiendisque
controversiis , aliòsque ab iis actiore quadam crisi
perstringendis abstinere jubet ; Amortius verò quām
longissimè à moderatione Pontificia recedens , aliis,
singulariter Franciscanis , eorumque seu Syndicis , seu
amicis spiritualibus , ac per sequelam omnino necessa-
riam ipsis quibusdam Reverendissimis Ordinariis cri-
men usuræ affingere ausu sanè haud laudando præsu-
mit. Discat ille saniora ex litteris verè Apostolicis
Summi Ecclesiæ Pastoris BENEDICTI XIV. quibus
ita hortatur omnes , qui in examen materiam istam
vocant : *quod si* (ita sonant verba ejus) *disputatio insur-*
gat , dum *contractus* aliquis in *examen adducitur* , *nullæ*
omnino contumelia in eos configantur , qui *contrariane*
sententiam sequuntur , neque *illam gravibus censuris no-*
tandam afferant , si *præsertim ratione* , & *præstantium*
virorum testimoniis minimè careat : *siquidem* (NB) *convici-*
ta atque injuria vinculum christianæ charitatis infringunt ,
& gravissimam populo offendionem , & *scandalum præse-*
ferunt. Ita Sapientissimus Urbis , & Orbis Magister ,
cujus aurea monita ut D. Amort deinceps majore in
pretio habeat , & conviciis ac injuriis , quibus penitus
charitatis christianæ oblitus , alios , peculiariter nostrum
Ordinem , in hoc puncto lacessit , finem imponat ,
optandum est enī , ne offendio fidelium , immo & he-
terodoxorum finitimorum inde ampliora sumat incre-
menta. Insuper & suo honori consuleret magis Cri-
ticus iste , si se alienarum Religionum negotiis non
immisceret , ac quæ ignorat , non tam facile blasphe-

maret, aut suis immoderatis censuris divexaret. Profectò parum ei videtur honorificum, si inepte scribat aut loquatur de rebus Ordinis alterius sibi non plenè perspectis, sicuti rursus fecit circa hoc, de quo agimus, caput; non satis æquo animo ferens, quod Syndicu Apostolicu non permiserimus nomine S. Pontificis agere pro recuperanda quadam eleemosyna annua intuitu cerrarum missarum legendarum ex fundatione in nostram utilitatem à Syndico vel amico spirituali recepta, & dein ad alios Sacerdotes translata: ubi vult scire, an Provincia habeat potestatem inhibendi Syndico jus agendi nomine Pontificis. Talia certè Criticus non scriberet, si status nostri notitiam haberet: breviter igitur ignorantem instruo. Provincia non habet quidem potestatem inhibendi id Syndico, sed Summi Pontifices, quorum nomine & auctoritate Syndicus agere deberet, hoc in suis Constitutionibus inhibuerunt, ne unquam Syndicus causam aliquam in favorem Fratrum in judicio prosequatur, nisi scientibus & non repugnantibus Superioribus Ordinis Minorum. His enim incumbit judicare, an lis permittenda sit, an ex ea non sequantur incommoda aliqua noxia Religioni, vel etiam offensiones, & scandala perniciosa aliis &c. Id quod expressè docet memorata instructio privata ante complures annos defuncti A. R. P. Concordii Zvvenger olim Provinciæ nostræ Ministeri Provincialis, viri uti Doctissimi, ita & piissimi, ac maximi zelatoris observantiæ regularis. In illa dicitur: „ Seind sie (die Syndici) schuldig , gedachte „ fachen vvider jederman unrechter gevvalt , untreu , „ betrug &c. Zu beschuzen , und Zvar selbe auch „ vor Gericht zu behaupten , und da es nothig , des- „ sentvvegen auch (doch mit ausschluss der ærgernus , „ und mit vvissen , und vvillen deren Oberen) im na-

, men des Pabsts zu Klagen , oder actiones anzuste-
 llen , und vvas alles hierzu erforderet vvirid ; id est,
tenantur (Syndici Apostolici) *tueri prædictas res adver-*
sus vim iustam, infidelitatem, & dolos quorumvis, &
quidem etiam coram judicio, urgente necessitate, propte-
rea, seu propter ejusmodi vim, dolum &c. (secluso tamen
scandalo, & scientibus, ac consentientibus Superioribus)
nomine Summi Pontificis actiones instituendo &c. Si de
 meis , & A. R. P. Concordii dictis dubium hæret
 Critico , adeat Expositores Regulæ nostræ : hic nou
 vacat de quæstione ad rem non pertinente , & multum
 extra terminos opusculo huic præfixos vagante , plura
 dicere. Eadem de causa non est animus expendere,
 quæ de contractu *Constitutionis census* paucis adducit.
 Id enim aliis censendum relinquo , maximè Romanis
 Censoribus , quorum manibus , ut securè scio , multo
 sat tempore teritur Theologia Amortiana , jam im-
 pressa , in qua prorsus nova census hujus explicatio re-
 periri dicitur. Gratulor Eusebio Amort , si tota ejus
 Theologia , sive & isthæc recens doctrina de censi-
 bus , & evitatione usuræ eum plausum Romæ ferat,
 quem sibi jam anteà ubique cura & calamo sui Au-
 toris deprædicata promiserat.

343 At non solum gratulari , verùm & gratias
 agere oportet pro gratulatione Amortiana Franciscan-
 is , nescio quo animo , facta. Congratulatur nobis,
 quod aliquando fuerimus naeti occasionem nostra ju-
 ra tuendi contra querimonias imperitorum. Huma-
 nus planè modus agendi : prius afficere aliquem atroci
 injuria , ejusque licet innocentis famam enormiter læ-
 dere , dein amaro joco sic læso gratulari , quod tali
 modo naetus fuerit occasionem defendendi se suamque
 famam , ac jus contra maledicuum detractorem ! Id
 loco gratulationis hujusmodi , jure Ordo Franciscanus

ab Adversario exigit, ut pro illatis eidem detractionibus satisfaciat, & deinceps ab injuriis ulterioribus, quas querimonias imperitorum D. Amort vocat, abstineat.

Finis numeri memorati Amortiani.

344 **D**enique sic concludit Adversarius: „Ve-

„rūm relictō isto Parergo, quod Cau-
„ſe Agredanæ nec hilum demit, vel addit, sequa-
„tur Apologistam redeuntem ad orbitam. *De obe-*
„*dientia Monialium* ad postulandas à Deo Revelatio-
„nes Part. 3. art. 3. §. 2. exemplum Prophetarum præ-
„tendit. Verū ubi ostendit, Prophetas unquam
„fuisse curiosa ſectatores, quæ non postularet publica-
„Ecclesiæ Dei tunc temporis ad paucos contra-
„ctæ necessitas? Quæ autem Ecclesiæ necessitas po-
„pofcit has Revelationes, quibus careret tranquil-
„lius, & quibus non habitis laboraret utilius?
„Ascetæ, quos objicit Apologista, inculcant quidem
„cœcam obedientiam, sed circa objecta adiaphora,
„quæ non repugnant legibus juris naturalis, ad quas
„ſpectat reverentia erga Deum, ne postulentur super-
„vacanea. Alioquin ſequuntur infinita conſectaria,
„Scripturæ & traditioni contraria. Non enim per
„obedientiam cœcam peccabant Judæi crucifigentes
„Christum, nec ſatellites Herodis interficientes par-
„vulos, nec tyrannorum ministri perſequentes Eccle-
„ſiam. Hucusque Crisis Amortiana.

DEFENSIO.

345

NON inficior, totam præcedentem Controversiam, nec demere aliquid, nec addere causæ Agredanæ: verum ex hac candida Critici confessione sequitur, eum inutilibus ad propositum ineptis quæstionibus in impugnatione Scriptorum Agredanorum nimis indulgere. Ipse enim suis nostro Ordini impactis injuriis, ac exemplis planè nihil probantibus me adegit, ut extra fines & orbitam præfixæ materiæ vagantem persequerer, ac ad restam, à qua deviavit, viam veritatis reducerem.

346 Quapropter dimissis aliquando extravagantibus, quæ prolixè satis adductis variis documentis tractata sunt in præcedente meo justæ Defensionis opusculo, & ibi legi possunt, ad caput rei redeamus. Hoc ut ritè evolvam, præmitto prius, Ven. Scriptricem equidem fuisse prorsus alienam à petendis Revelationibus, imò desiderasse serio, ut per viam communem sine ejusmodi singularibus favoribus cœlestibus duceretur, ac annis vere viginti restitisse B. Virgini, Confessariisque ad conscribendam Civitatem Mysticam impellentibus, quæ omnia partim ex actis Causæ Agredanae justæ Defensioni insertis, partim ex ipsa Civitate Mystica pluribus locis fiunt liquida, prout norunt, qui Scripta Agredana, & aucta illa cum vita Ven. Scriptris legerunt.

Id nihilominus certum est, Ven. Mariam de Agreda, postquam jussu Cœlorum Reginæ, ac suorum Superiorum conscribendæ Civitati Mysticæ manum apposuit, non quidem novas Revelationes postulasset sed tamen varia dubia circa Revelationes jam receptas proposuisse B. Virgini, ac ipsi Deo, & declaratio-

tionem aliquam rerum anteà revelatarum humillimè exorasse , ut Part. 1. Civit. Myst. num. 320. 337. 353. & Part. 2. num. 298. 276. &c. habetur. Nec negandum est , cam interdum suorum Superiorum , vel consilio , vel mandato ad Deum aut B. Virginem confugisse pro obtainenda clariore priùs revelatorum explanatione ; cuius rei exemplum præbet mox citatus num. 276. Part. 2. Civitatis Myst. Si Criticus enumerata duntaxat V. Scriptrici tribuit , à veritate non aberrat , si plus ei imputat , & in Authorem Civitatis Mysticæ , & veritatem peccat. His præscitis,

347 Affero , V. Mariam de Agreda explicato modo de sibi revelatis Deum , ac Deiparam interrogando licetè & bene egisse , atque adeò , ut id faceret , à Confessariis , ac Superioribus , seu præcepto , seu consilio animari potuisse. Alterum sequitur ex primo. Superiores enim consulere , ac præcipere suis possunt ea , quæ licita , quæque bona sunt. Ita est in confessio apud Omnes Theologiae , & Asceticæ peritos , nec probatio ulla indiget apud rerum intelligentes. Unde dum talia præcipiuntur , subditis quoque incumbit onus obediendi. Quod iterum concederit Criticus , ni tritæ ab omnibus Sacrae Doctrinæ assertoribus sententiae velet litem intentare.

Reliquum igitur est , ut primum membrum extradubii ponatur aleam. Hoc ut exequar , rogo planè ab indifferenti Civitatis Mysticæ Lectore , an in vestigium , vel minimum offenderit curiositatis vanæ? Ven. Scriptrix fecit istas interrogations , habita jam ex variis effectibus experimentali certitudine , se Divino regi instinctu , se verè esse à Deo destinatam , ut ad plurimorum Mariophilorum utilitatem Sacram Vitæ Virginicae Historiam , prout ea ipsimet erat revelata , chartæ traderet. Dein dum petiit quartundam rerum ma-

nifestatarum ampliorem declarationem , vel dubiorum ex revelatis conceptorum resolutionem , id præstitit non animo elato , non ex præsumptione , & vana intentione sectandi curiosa ; sed mente demississima , ac ex motivo sanctissimo , ut perfectior à Deo revelatae doctrinæ spiritualis cognitio habeatur , & ut omni ratione meliore suspicio fidetæ novitatis excludatur , uti patet ex locis supra adductis ex Civitate Mystica , & ex Part. 2. num. 209. ejusdem Civit. Myst. &c. observantque illi , qui secluso partium studio Scripta Agrediana percurrerunt.

348 Jam verò , quod in prædictis circumstantiis , & ex simili motivo licite , & bene possit anima talibus donis cœlitus ornata , qualibus fuit præventa V. Scriptrix , ad Deum interrogando recurrere , facile evinco. Exempla enim primo plura suggerit S. Scriptura , quorum aliqua recenset Gonzalezius num. 721. quibus & ego pag. 730. just. Defens. duo alia ex primo Regum cap. 14. & 30. adjunxi. Responso , quam Criticus his ex S. Codice petitis gestis reddit , jam ex dictis rejecta est ; etenim Ven. Scriptrix interrogando non fuit sectata curiosa , sed pro decore Ecclesiæ , & commodo Fidelium scripsit , & ut perfectius , utilius que scribebat , Deum , ac Deiparam duxit necessariò aliquoties consulendos. Ne id ex me , vel meis Domesticis dictum esse crediderit Criticus , repeatat ex justa Defensione pag. 584. & ex actis Agredanis ultimis censuras honorificentissimas , quibus Exteri , etiam Cardinalitia , & alia non mediocri dignitate ac scientia & pietate Clarissimi Viri condecorarunt Civitatem Mysticam , repeatat , inquam , illas , & certè videbit , quod Ven. Scriptrix suis Revelationibus ut plurimum rem Catholicam promoverit , promoteatque etiam

Quod ex uno Reverendissimi P. Thysii Gonza-

Iez Præpositi Generalis Florentissimæ Societatis Jesu
 encomio abundè colligitur: fragmentum ejus resumò;
 sic habet: „ Hæc est illa Historia , cuius lectura revi-
 viscit fides , augetur spes , accenditur charitas , &
 „ omnes Christianæ virtutes sumunt incrementum.
 „ Novi etenim plures qui permultum in his omnibus
 „ profecerunt. Novi tandem , qui sunt confessi , ma-
 „ jora se huic Historiæ debere , quām cœteris libris
 „ omnibus , in quorum lectione , & studio annos plu-
 „ rimos consumperunt. Jure merito itaque videtur
 „ ea esse aptissimum medium , ut peccatores propriam
 „ iniquitatem ingemiscant , justi in dilectione Dei , &
 „ proximi magis ferueant , & fidèles omnes cogitatio-
 „ nem omnem , & spem suam in Deiparam jactantes,
 „ triumphos adversus S. Fidei hostes obtineant.

349 Præter illa , quæ suppeditat S. Textus , &
 alia Revelationum privatarum exempla sunt in prom-
 ptu. Siquidem in Revelationibus aliis privatis ab Ec-
 clesia quoque approbatis legimus ejusmodi petitiones,
 & interrogations: quoties hæ redeunt in Birgittanis?
 Sic lib. 1. cap. 47. ait ad Sponsam , id est , S. Birgittam
 Dominus : Sed tu forte potes querere à me. Nonne duo
 sunt panes , unus invisibilis , & spiritualis &c. Et post,
 varias facit interrogations ibi super Regula S. P. N.
 Dominic , & ejus Professoribus. Et lib. 4. cap. 3. allo-
 quitur ipsa Dominum dicens : O Domine , ne indigne-
 ris , si quero. Audivi ex Scriptura , quod nihil acquiren-
 dum est cum iniustitia , &c. Et iterum post medium:
 O Domine , ne indigneris , si adhuc quero semel. Iste Rex
 habet duos filios , & duo Regna , &c. Et cap. 77. sic ipsa
 interrogat Dominum: Ego quero , quare tu , o omnis
 gloriae Rex , & omnis sapientiae infusor , atque omnium
 virtutum operator , & ipsa virtus ad tale officium me vis
 assumere , &c. plurimas alias hujusmodi interrogatio-

nes, ac propositiones dubiorum inveniet, qui laudat
Revelationes, vel etiam aliarum SS. Mulierum le-
gere voluerit. Unde sic discurro: S. Birgitta licetè pro-
posuit has interrogationes &c. ergo ex non pugnant
contra jus naturale, nec sunt illicitæ. 2. Revelationes
Birgittanae non obstantibus talibus interrogationibus,
& petitionibus potuerunt ab Ecclesia approbari: ergo
si nihil aliud obstet, etiam Revelationes Agredanæ
possunt approbari. 3. propter ejusmodi petitiones, &
interrogationes, Revelationes Birgittanae non sunt sus-
pectæ de illusionibus: ergo neque Agredanæ. Hinc Ar-
biol (apud Gonzalezium num. 721. citatus) docet
de Revel. Privat. disp. 2. art. 7. ex petitione Revela-
tionis, vel ex proposito aliquo coram Deo dubio cir-
ca Revelationem receptam, non statim sequi, quod
Revelatio illa sit falsa, aut persona eam habens, sit de
illusione suspecta. Ex quibus infertur, paradigma de
Judaorum Christum in Crucem agentium &c. obe-
dientia, omni ex parte claudicare, nec hilo esse melius
reliquis ab Adversario haud convenientibus adductis
paritatibus, quarum insufficientiam, vel cœcus palpat.
Judæi enim in re mala, non adiaphora &c. obedie-
runt. Nostra autem Ven. Scriptrix morem gessit legi-
timis Superioribus recte præcientibus illud, quod se-
cundum se erat bonum & licitum, & non tantum ex
conscientia, sive vincibiliter, sive invincibiliter erro-
nea credebatur licitum, ut partim hic, partim in De-
fensione iusta circa hanc materiam dicta evincunt.

ARTICULUS XIV.

EXCUTIUNTUR BREVISSIME NUMERI
tres sequentes.

350 **S**cribit Anti-Agredanus u[er]o Iterius: „ In „ residuis foliis Apologista ferme nihil „, aliud attingit nisi jam sufficienter refutata, circa „, quæ proin benevolum Lectorem ad Historiam Con- „, troversiæ remitto. Sic quidem sua jacta Criticus: sed Lectorem benevolum simul rogatum cupio, ut aurem, ac oculum etiam alteri parti reservet, justam- que Defensionem meam Controversiæ Amortianæ (quam in recenti suo partu, nescio quo fine continuò *Histo- riam Controversiæ* nuncupat) oppositam pariter lustra- re velit, antequam sententiam pronunciet pro una inter se certantium parte. Hoc præscito

351 Accedo ad Numerum XVII. Critici, qui talis est: „ Apologista num. 531. lepidè excusat Re- „, velationes Agredanas, quòd in iis *V. Maria de Agre-* „, *da*, non suo, sed divino mandato præcipiat, ne Supe- „, rioribus postulantibus extraditionem manuscripti „, Agredani, tradatur totum simul, sed per partes. O „, obedientiam cœcam, respicientem ad mentem & „, nutus imperantis.

DEFENSIO.

352 **L**Epidè, & ludentis more in re seria ite- rum agit Criticus, qui prioribus suis falsitatibus non contentus, nova falsitate meam cor- ruipit responsionem, quæ hæc erat: „ Anti-Agre- „, da-

„ danus se non liberat à labo corruptionis , quam tex-
 „ tus ipse ab eodem citatus ad oculum demonstrat ; sic
 „ enim sonat num. 18. epist. ad Monial. Rogo hujus
 „ Monasterii de votas Sorores , nolint unquam permittere ,
 „ ut Conventu suo olim decedat hoc meum Authographum ,
 „ seu originalescriptum : si autem necesse fuerit examini
 „ subjici , & censuræ , copiam , seu exemplar tradant ; sin
 „ verò petatur ad conferendum exemplar cum scripto pri-
 „ mario , non dent totum ad declinanda hac ratione multa
 „ inconvenientia , & præsertim , quia hæc est Domini , &
 „ Reginæ Cœli voluntas . Ubi hic præceptum , & quidem
 „ rigorosissimum à ut ait Anti-Agredanus in sua Con-
 „ troversia fol. 177. Estne rogare idem , ac strictissi-
 „ simè præcipere ? quinimò (inquit Anti-Agredanus)
 „ est præceptum non suum , seu Vén. Scriptricis , sed di-
 „ vinum , cum dicat , hanc voluntatem esse Dei &c.

„ Ast repono ita discurrenti Critico : ergo saltem
 „ hoc jam falsum est , quod ipsa V. Maria de Agreda
 „ præcipiat , prout tamen observatio allegata dicit.
 „ Secundò sit deinde voluntas divina , quid sequitur ?
 „ an ne & consilia , quæ Deus dat , sunt voluntas ejus ?
 „ ergo præcepta sunt rigorosissima ? Tertiò textus
 „ V. Scriptricis abstrahit à præcepto Superioris exi-
 „ gentis Authographum , sed solum dicit , si necesse
 „ sit examini subjici , non verò adjicit , si simul adsit
 „ præceptum Superioris , ut ipsum Authographum
 „ tradatur . Examen enim absolute fieri potest , etsi
 „ Authographum non tradatur , uti defacto multa
 „ circa Civitatem Mysticam examina fuere instituta ,
 „ non adhibito Authographo . Quartò deum non
 „ rogavit , ne dent penitus Authographum , sed ut
 „ per partes detur : quæ nihil contra veram obedien-
 „ tiam continent . Hæc mea fuit responsio ; sed num
 „ quid diversa ab illa , quam mihi affingere haud erubet
 „ sit D. Amort ?

353 Numerus XVIII. Amortianus iterum mordet veritatem sic falsò enuncians: „ Apologista num.
 „ 532. (voluit scribere 533.) afferit , dari duplitem
 „ sensum litteralem non verbo , sed facto. Verum
 „ nullibi in Scriptura reperitur , quòd per eandem rem
 „ seu figuram simul in eodem loco figurentur duo
 „ objecta disparata ; multò minus in Scriptura repe-
 „ ritur , quòd per rem nobiliorem figuretur objectum
 „ ignobilius , prout fieri deberet , si per Sapientiam
 „ increatam figuraretur B. Virgo , tanquam ideata in
 mente divina.

DEFENSIO:

354 **F**alsissimè iterum mihi affingitur , quòd citato loco asseruerim , dari duplitem Scripturæ sensum litteralem non verbo , sed facto. Imò constanter ibi sustinui , citatis & ab Adversario impugnatis locis Civitatis Mysticæ , abstrahi à sensu litterali. Cætera , quæ addit Criticus , sicut jam solutionem obtinuerunt in Defensi. justa Part. 5. Art. 2. §. 3. Item §. 7. ubi plura de facunditate Sacrae Scripturæ , varioque ejus sensu , ex uno etiam textu eruen- do , necnon de digressione ab uno ad alterum sensum , sicut etiam de Sapientia qua figura B. Virginis sunt dicta , quæ omnia recolere non est necesse , ne frustra cumulem verba. Hoc unum ex Adversario quæro , an Ecclesia , dum varia encōmia de Sapientia ex libris Sapientialibus accommodat B. Virgini , præscribens Lectiones inde desumptas , quæro , inquam , an Ecclesia per Sapientiam increatam figuret , vel intelligat fi- guratam Deiparam , vel non ? quidquid dixerit , mihi serviet pro responso: nam V. Scriptrix loquitur in sensu Ecclesiae , dum per Sapientiam in libris Sapien- tia-

tialibus descriptam Virginem Matrem significat. Ve-
rū & hæc citatis locis jam sunt clarius proposita.

355 Numerus XIX. Anti-Agredani sic mihi objec-
tit: „ Apologista num. 534. ex eo , quod in Revela-
tionibus dicatur, in Deo reperiiri æquitatem ac propen-
sionem ad se communicandum ad extra , & quasi de-
bitum , & velut necessitatem , ait, non importari ta-
lem necessitatem , cui contraveniri non possit sine
læsione divinarum perfectionum , & sine violentia.
Sed cum Deus non possit agere contra æquitatem , eo
ipso sequitur, juxta Revelationes Agredanas dari in
Deo aliquid æquivalens absolutæ necessitati , ita ut
relinqueretur sola libertas à coactione . D. Thomas,
quem Apologista invitum in suas partes trahit , nulli-
bi dicit, quod in Deo reperiatur æquitas , ac quasi
debitum , aut quasi necessitas ad se communicandum
ad extra; sed præcisè, quod in Deo reperiatur summa
convenientia ad communicandum se creaturis , ita
tamen , ut etiam oppositum suisset æquè conveniens;
aut certè ut detur etiam in oppositum per modum
æquilibrii infinita ratio sufficientiæ , prout Sapientiæ
I I. V. 23. scribitur : Tanquam momentum stateræ sic
est ante te orbis terrarum , Et tanquam gutta roris antea
lucani , quaë descendit in terram .

DEFENSIO.

356 **D**icitis mox adductis tantummodo voces
aucupatur D. Amort, relicto sensu
verborum. Ut ex num. 534. & seqq. just. Defens. &
ibi fideliter ac integrè prolatis sententiis Civitatis My-
sticæ perspicitur , solum affirmat V. Scriptrix , Boni-
tati Divinæ (NB) pro æquitate sua convenientissimum Et
quasi debitum , ac velut necessarium (NB) juxta nostrum

concipiendi modum (quæ ultima verba , tanquam sibi
 adversa consultè omittit Adversarius) fuisse se commu-
 nicare ad extra per productionem creaturarum , præci-
 puè Unionis Hypostaticæ . Quo modo loquendi maxi-
 mè concordat Ven. Virgo Agredana cum Doctore
 Angelico , qui , ut reliqua in justa Defensione relata,
 & ibidem legenda fileam , P. 3. q. 1. art. 1. in corp.
 hæc conceptis verbis habet : „ Respondeo dicendum ,
 „ quod unicuique rei conveniens est illud , quod com-
 „ petit sibi secundum rationem propriæ naturæ : sicut
 „ homini conveniens est ratiocinari , quia hoc conve-
 „ nit sibi , in quantum est rationalis secundum naturam
 „ suam . Ipfa autem natura Dei est essentia Bonitatis ,
 „ ut patet per Dionys. 1. c. de Divinis Nominibus .
 „ Unde quidquid pertinet ad rationem boni , conve-
 „ niens est Deo , pertinet autem ad rationem boni , ut
 „ se aliis communicet , ut patet per Dionys. 4. c. de
 „ Divinis Nominibus : unde ad rationem summi boni
 „ pertinet , quod summo modo se creaturæ commu-
 „ nicet . Hæc D. Thomas . Qui sic loquendo nihil de-
 linquit in libertatem Divinam , quam in operibus ad
 extra , seu productione creaturarum omnino illæsam
 cupit , et si ad rationem summi boni pertinere censeat ,
 ut se summo modo creaturæ communicet . Hinc par-
 ter inferre licet , nec Ven. Scriptricem violentam eidem
 Divinæ Perfectioni injecisse manum , dum scripsit ,
 Summa Bonitati (NB) pro æquitate sua (ita enim solum
 sonant verba ejus) convenientissimum esse communicare
 sese , scilicet creaturis . Nonne creando Deus non egit
 contra æquitatem , nec egit aliter , nisi convenienti-
 simè ? & quis hoc deneget enti perfectissimo ? Ast quid
 tero tempus excutiendo rem anteà à V. Scriptrice jam
 satis detritam & excussam ? Insalutatum relinquit Cri-
 ticus textum à me in Defens. just. pag. 737. ex P. T.

Civit. Myst. num. 518. desumptum. Cur autem taceat cum, facile conjicet quisvis, qui illam audierit: jugulum enim petit Critici. Ita sonat: *E quidem non assero charitatem (erga creaturem) liberam hanc esse, aut (NB) Deum aliquid extra se ipsum operatum fuisse naturali necessitate compulsum; neque enim in hoc exemplum procedit, cum universa opera ad extra (quae sunt creationis) in Deo libera sunt.* Hæc textus habet verè decretorius: quo percepto decernet absque ullo negotio Lector indifferens, quām bene V. Scriptrix, & quām male D. Amort sua placita veritati conformet.

357 Numerus XX. Adversarii: „Apologista num. „537. explicat Revelationes, quod juxta illas visio intuitiva Dei à B. Virgine solum dimiti potuerit, „& dimissa sit ex speciali privilegio. Sed hoc ipsum est, „quod posse fieri negat sententia Thomistarum. Ergo iterum habemus reformationem Theologiæ.

DEFENSIO.

358 **H**abuisse B. Virginem transeunter in via, & sic iterum dimisisse visionem Beataficam, sententia est gravibus Viris, & Theologis verè probabilis. Pro ea laudantur in actis Agredanis justæ Defensioni insertis pag. ejusdem Defens. 117. Suarez in 3. Part. Disp. 19. Salazar, S. Bernardinus Senensis, S. Thom. de Villanova, Gerson, S. Antoninus, & alii plures. Illa toties revocata replica de reformatione Theologiæ, tam in præsenti, quam anteriore just. Defens. opusculo ita ad nauseam usque est soluta, ut qui legerit utrumque, jam satur esse debeat.

ARTICULUS XV.

NUMERI XXI. XXII. & XXIII.

Anti-Agredani.

359 **N**umerus XXI. apud Criticum iste est:

„ Apologista num. 538. censet , à
 „ Ven. Scriptrice non scribi aliquid in vilipensionem
 „ sæculi XVII. dum scribit , hoc suo tempore pleros-
 „ que mortalium peccatorum tenebris involutos. Cur
 „ ergo huic sæculo propter abundantiam delictorum,
 „ præ aliis sæculis , adscribit superabundantiam gratiæ,
 „ consistentis in revelatione Historiæ Agredanæ de B.
 „ Virgine?

DEFENSIO.

A Ven. Scriptrice nihil fuisse exaratum , quod ce-
 deret in contemptum Ecclesiæ , sequentibus
 stus. Licet enim deploraverit conditionem sæculi
 illius , quo in terris agebat , quod plurimi immò pleri-
 que mortales tunc temporis incurii salutis viverent;
 hæc nihilominus in contemptum Ecclesiæ non ver-
 gunt. Nam hujus sanctitati & decori non officit , si
 dicatur , plurima , vel pleraque ejus membra peccatis
 inquinari , cum necesse sit venire scandala , maximè
 cum illo loco addat V. Maria de Agreda , justos quo-
 que fuisse in Ecclesia. Dein similia aut adhuc graviora
 scriptis S. Birgitta de statu Ecclesiæ sui temporis lib. 1.
 Revelationum cap. 55. 56. 59. & lib. 2. cap. 7. Et ta-
 men hæc Scripta Birgittana non cesserunt in contemp-
 tum Ecclesiæ. Hinc quamvis ita perhibente Civitate

My-

Mystica abundaverint tali tempestate delicta, & idem
etiam misericordia, & gratia superabundaverit &c.
hoc non obstante honori Ecclesiæ nihil detrahitur.

360 Numerus XXII, his absolvitur: „ Utcumque se
„ vertat Apologista num. 540. *destitutum esse auxilio*
„ non est idem ac nolle sibi opitulari.

DEFENSIO.

Anti-Agredanus fugit lucem, nec mea, nec Ven.
Scriptricis dicta audet exprimere. Ostendi in
textu Agredano Part. I. num. 10. Civitatis Mysticæ,
quem unicè hic observavit Adversarius, sermonem
esse de eo, qui in fine vitæ & impoenitentia finali ex
propria malitia constitutus, remedium & auxilium,
quod quidem paratum haberet, liberè respuit, & non
adhibet. Ex quo intuli, nihil in Scriptis Agredanis ad-
mitti, quod non esset consonum Dōctrinæ Catholicæ,
aut viam sterneret ad errores Calvinii & Jansenii. Vi-
deatur iusta Defensio à pag. 740. & num. 540.

361 Numerus XXIII. Amortianus hæc habet: „ Apo-
„ logista num. 542. censet, ab Herodiano satellite
„ nullos esse occisos infantes recenter natos ex utero.
„ Unde hoc probat contra clarum textum Evangelii,
„ nullos infantes à nece Herodiana excipientis à bima-
„ tu & infra? Si ergo etiam recenter nati, siqui erant,
„ fuerunt occisi, juxta Revelationes Agredanas, quæ
„ omnibus infantibus ante martyrium tribuunt usum
„ rationis, tales infantes necessariò se præpararunt ad
„ martyrium in utero materno, aut certè in ipso egressu
„ ex utero; quæ profectò absurdâ sunt. Dein, etiam
„ supposito miraculo illustrationis divinæ de mysteriis
„ fidei in omnibus illis infantibus, Ecclesia nunquam
„ potuisset esse certa moraliter, quod omnes consen-

„ serint motioni divinæ , adeoque nec potuisset ordi-
„ nare cultum infantium illorum absque exceptione.

DEFENSIO.

362

NE Criticus confundat mea , & aliorum Vindicūm Civitatis Mysteriæ dicta, resumo totam meam Defensionem. Impugnavi tanquam alienam à mente Agredana observationem tertiam propositionis decimæ Amortianæ illimitatè dicentem, quod infantes (ab Herode occisi) jam in utero materno ha- buerint usum rationis. Nam licet V. Scriptrix adstruat, omnes hos infantes ante mortem toleratam obtinuisse usum rationis, nullibi tamen asserit, accepisse eum in utero materno. Unde verè ab Adversario manet corruptus sensus ac textus Agredanus.

Cum verò cerneret D. Amort , sibi nihil solidi suppetere , quo à se amoliretur prædictam falsationem Scriptorum Agredanorum, ad hoc levissimum effu- gium se demisit , infantes recenter ex utero materno fūsos peremptos esse. Ad quod respondi dupliciter. Primo dixi , non omnes certè infantes primo post na- tivitatem momento esse imperfectos ; occidit enim He- rodes à bimatu & infra : hinc intuli : ergo saltem non rectè dicitur sine limitatione , & indefinite , parvulos pro Christo occisos , in utero materno jam habuisse usum rationis ex eo , quod alias extra uterum mater- num non habuerint tempus se præparandi per actus Theologicos ad martyrium. Nam hoc de plerisque falsum esset , qui jam aliquot dies , septimanas , men- ses , aut unum annum , vel adhuc plus spatii post ortum suum expleverunt.

Respondi secundò , satellites utique non egisse stricto sensu excubias ante parientes mulieres, expeditan-

res foetum in ipso parti enecandum: sive aliquod intervallum, et si forsan apud quosdam modicum intra partum & mortem cuiuslibet intercessisse; atque hoc abunde sufficisse ad actus Fidei, Spei, Charitatis, & oblationis eliciendos, in parvulis peculiariter, & extraordinariè lumine infuso excitatis & illustratis: siquidem similes actus in subjectis taliter dispositis multa mora non egent, & uno alterove, vel saltem paucis instantibus elici possunt. Ista & alia jam sunt à me reposita crisi Amortianæ, & Adversario solvenda restant.

363 Ultima quoque instantia nec hilum valet, & jam est diluta in justa Defensione. Quæro ex Critico, cur Ecclesia non potuisset esse certa, quod omnes parvuli bene usi fuerint ratione, & auxiliis Divinis consenserint? quia nempe aliqui potuerunt dissentire gratiæ concessæ, & libertate abuti ad suam perniciem; hanc rationem adstruxit in sua Controversia, & eam jam dissipavi in justa Defensione pag. 747. ubi sic urgebam Criticum. Usus rationis, & illustrations Divinæ etiam adultis, quos modo inter Sanctos veneramur, potuerunt esse in ruinam: ergo illos modo non possumus colere ut Sanctos, quia nestimamus, an illustrationibus consenserint, vel dissenserint? Vetus hoc dici non posse vel ex eo constat, quia illis usus rationis & auxilia Divina in ruinam non fuerunt, quos modo Ecclesia veneratur ut Sanctos: cum ergo Ecclesia nunc etiam omnes infantes illos ut Sanctos colat, omnes nullo exceptio consensisse gratiæ, & bene usos fuisse usu rationis, si illum habuerunt, certi sumus: atque ex hoc etiam à posteriori quasi discimus, quod Omnes nullo dempto inter Martyres sint honorandi.

364 Neque Adversarius hic requirat certitudinem aliam, quam fundatam in consuetudine universæ Eccle-

Ecclesiæ parvulos istos ut Sanctos colentis, absque
 omni dubio ex instinctu Spiritus Sancti, qui illam re-
 git, & in tanto punto errare non permittit. Nam
 sunt illi pueri, & innocentes de classe veterum Sancto-
 rum, quorum Canonizatio peracta est non tanto cum
 rigore, qui certitudinem nobis pareret; si præcisè in
 humana discussione, quæ intervenit, quiescere oport-
 eret. Ut igitur indubitatem habemus notitiam de
 sanctitate, & vita in gratia conclusa &c. similium anti-
 quorum Sanctorum, ad Ecclesiæ universalis (cui Spi-
 ritus S. assistit) consuetudinem nos unicè reflectamus,
 est necesse. Si mihi hac in parte fidem negat Criticus,
 eam vel invitus tribuat SS. D. N. BENEDICTO XIV.
 cum Ven. Card. Bellarmino lib. 1. de Beat. cap. 6.
 num. 9. sub finem ita pronuncianti: „ De universali
 „ autem Canonizatione docui, veteres Sanctos non
 „ certa lege, sed consuetudine universalis Ecclesiæ,
 „ non sine expressa, vel tacita Summorum Pontificum
 „ approbatione Canonizatos fuisse. Integer igitur sen-
 „ sus verborum meorum hic est, eos Sanctos, qui co-
 „ lebantur in particularibus locis Decreto particula-
 „ riuum Episcoporum, coepisse paulatim coli in Ecclesia
 „ universalí, non certa aliqua lege, vel Decreto, sed
 „ consuetudine à Summis Pontificibus consensu tacito
 „ approbata. Quod quidem verissimum esse non du-
 „ bito, nec omnino video, quod contradici possit.
 „ Quæro enim, quis fecerit, ut Sanctus Martinus,
 „ Sanctus Nicolaus, Sanctus Hilarius, & innumerabi-
 „ les alii in universalí Ecclesia publicè ita colantur,
 „ ut nefas sit de eorum sanctitate dubitare? Id enim
 „ Summos Pontifices fecisse certo Decreto non con-
 „ stat, neque Bullæ Canonizationum, neque Historiæ
 „ ullæ testantur. Episcopi autem particulares neque
 „ seorsum in Sedibus suis, neque in Conciliis congre-

„ gati toti Ecclesiæ legem dare possunt , neque eorum
 „ judicium certam fidem facit , nisi accedat illius con-
 „ firmatio , cui Dominus ait : *Et tu aliquando conversus*
 „ *confirmas fratres tuos.* Quærat igitur Author illius
 „ Scripti solidum fundamentum , si ei non placet uni-
 „ versalis Ecclesiæ consuetudo , quæ Sancto Augustino
 „ in ejusmodi observationibus pro lege semper fuit , ut
 „ videre est in Epist. 118. 119. & 120. & alibi. Quæ-
 „ rat , inquam , solidum fundamentum , super quo
 „ nitatur fides , quam de certa atque indubitate beati-
 „ tudine habemus veterum Sanctorum , qui non le-
 „ guntur à Summis Pontificibus nominatim canoni-
 „ zati. Sic discurrit ex Card. Bellarmino SANCTIS-
 SIMUS.

Unde sive parvuli illi habuerint usum rationis,
 sive eo caruerint , de eorum tamen omnium ceu vete-
 rum Sanctorum æterna gloria , & sanctitate , cultu
 publico digna , nos universalis Ecclesiæ consuetudo ,
 Ecclesiam verò Spiritus S. illam universam in tam no-
 tabili negotio ab errore præservans , certos reddit. Præ-
 sumere enim absque nota præsumptionis pessimæ haud
 licet , quod Deus Ecclesiam totam aliquando permit-
 tat seduci in re tanta , quanta est ista de Canonizatio-
 ne , & publico sub præcepto indicto cultu complurium
 veterum Sanctorum , quos inter sunt omnes parvuli
 Innocentes. Imò neque præsumendum est , quod
 Deus , si extraordinario privilegio parvulis illis ante-
 tempus consuetum usum rationis concessit ad majo-
 rem coronam , illos non prævenerit simul gratia effi-
 caci , cui quidem dissentire potuerint , non tamen dis-
 senserint. Voluit enim Deus ejusmodi singularissimo
 favore infantium promovere gloriam majorem , non
 eorum saluti quasi insidiari. Hæc pauca sufficient pro
 crisi Amortiana excutienda. Plura desiderans de hoc

Cap. 5. Excutiuntur Crises cæteræ. 453
Argumento, videat pag. 49. & 743. just. Defens.

ARTICULUS XVI.

CONVELLUNTUR SUCCINCTE NUMERI XXIV. XXV. XXVI. & XXVII.

Adversarii.

365 **N**umero XXIV. ita differit Criticus:

„ Apologista num. 548. 549. conce-
„ dit, quod in B. Virginie juxta Revelationes Agreda-
„ nas ex transiente visione intuitiva Dei remanerint
„ species. Has ille contendit, vocandas esse abstracti-
„ vas; ego, cum versentur circa objecta intellectualia,
„ contendo, vocandas esse intuitivas, quia intellectua-
„ lia non comprehenduntur differentiis locorum; de-
„ qua re remitto Apologistam ejusque fautores ad
„ meas Vindicias Philosophiae Peripateticæ ante triginta
„ ferme annos à me editas, & annexas Philosophiae Pollin-
„ ganæ Augustæ & Venetiis editæ, ubi de natura spe-
„ cierum circa objecta intellectualia fusè differeo.

DEFENSIO.

366 **B**reviter expedio Amortium, petens ab
eo, ut deleat corruptionem textus
imputatam, & satisfaciat meæ Defensioni, qua ostend-
di, V. Scriptricem hæc duo, ab Anti-Agredano ipsi
afficta, non docuisse, nempe primò, quod Visio Dei fiat
per species; secundò, quod contemplatio & recor-
datio visionis beatificæ, & intuitivæ jam transactæ per
species relictas habita, fuerit ipsa visio beata ejusdem
naturæ cum priore. Suam obtrudit Adversarius Phi-

Iosophilam ; ast præ illa honorem defero Doctori Eximio munito ponderosa Sanctorum Virorum authoritate , ex cuius à me fol. 749. just. Defens. allata doctrina clarè sequitur , memoriam visionis beatificæ ac intuitivæ Dei præhabitæ non esse quoque visionem beatificam ac intuitivam. Quid ait Criticus ad rationem Philosophicam à me cit. loco ex Maistro desumptam ? Ad hæc tacet ; & me ablegat ad suas Vindicias Philosophiæ Peripateticæ. Verum hoc recursu haud egeo , cùm aliunde me certiorem de his materiis reddiderim. Nonne recordatio actus fidei habitæ est actus fidei ? Nequaquam. Potest aliquis nunc non amplius fidelis recordari fidei priùs habitæ , quin eliciat per hoc fidem. Divus Paulus ob species relictas meminit eorum , quæ in raptu suo vidi , quin iterum fuerit raptus , aut ad priorem visionem elevatus. Ita quoque ratiocinetur Criticus in re proposita , inferatque : ergo neque B. Virgo habuit visionem beatificam , ac intuitivam Dei , dum ejus jam transactæ ob species inde relictas memoriam recoluit. Rationem Anti-Agredani , qua species rememorativas ejusmodi ad ordinem intuitivæ Dei visionis extollit , planè non percipio. Species istas rememorativas contendit esse intuitivas , quia versantur circa intellectualia , quæ non comprehenduntur differentiis locorum. Nova doctrina ! ergo species , vel cognitio , quæ versatur circa intellectualia , intuitiva est ? ergo Angeli in via dum fidem elicere , quæ pro objecto habuit Deum intellectualē nulla loci differentia comprehensum , habuere visionem Dei intuitivam , imò dum dœmones (quos ab initio viæ fideles , & in gratia existitissé probatum satis est) nunc recordantur ob species relictas fidei habitæ , & ipsi intuitivam cognitionem exercent. Versantur enim eorum species , & cognitio circa objecta intellectua-

Qualia nullis differentiis locorum comprehensa. En quām elegantes cosequentiae ex nova ista Philosophica cognitionis intuitivæ declaratione promanent, quas tantum soli earum authori sequendas, tuendasque relinquo.

367 Numerus XXV. Critici hic est: „ De corruptione , quam Apologista num. 551. notabilem vocat, jam in excussione Partis I. ostendi, eam fundari in versione Germanica , & occasionatam esse non temere ab ipsis in Revelationibus, dum omnibus instantibus ab Herode occisis tribuunt quoddam genus. Ecclasis.

DEFENSIO.

Corruptionem istam notabilem verè ab Adversario in prioribus Scriptis Anti-Agredanis commissam, modò in novo opusculo nec per refugium in versione Germanica , nec in usu rationis infantibus ab Herode imperfectis concesso deletam esse, supra in præsente continuatione justæ Defensionis à num. 76. clarammè est deducendum. Ubi videatur.

368 Numerus XXVI. Amortianus sic sonat: „ Apologista num. 556. explicat piè quendam textum Agredanum , ubi dicitur, omnes inclinationes in homine sic esse evellendas , ut homo Angelus sit , Et omnis malitia ignota sit. Sed ex eo , quod propositio in pio sensu explicari possit, ex intentione loquentis aliunde nota , ubi de hac re certo constat , non sequitur , eam propositionem non esse versatilem , immò proniorem in sensum erroneum.

DEFENSIO.

NIL exigitur, quām attenta lectio textis Civitatis Mysticæ, quem Criticus impugnat, & patet, quod tām ex mente Ven. Scriptricis, quām secundum obvium sensum, quem verba ipsa cuilibet īdifferenti Lectori ingerunt, textus ille sanam omnino, & nullatenus in malum versatilem doctrinam contineat. Reddo igitur textum illum cum quibusdam additis ex mea justa Defensione pag. 755. quibus Criticus necdum satis respondit: sic se habent illa: „ Textus Part. „ 2. num. 1032. Civit. Myst. ab Adversario allegatus „ hic est: *Præ omnibus autem Volo loquitur B. Virgo ad Ven. Scriptricem) ut eò contendas, ut omnis proprius „ amor, omnisque primi peccati affectus, seu nævus in te „ extinguatur, omnesque illæ propensiones in terram prone, „ quæ peccati fomitem sequuntur, evellantur, indeque ad „ columbinæ cuiusdam sinceritatis ac simplicitatis statum „ enitaris, ubi omnis malitia, & duplicitas ignota est, ac „ peregrina; in summa: in universis tuis operibus Angelum „ te esse oportet. Hic textus non petit, ut fomes peccati in actu primo, & propensiones ejus deliberatio nem, & libertatem prævenientes penitus extinguantur, sed ut amor proprius, affectus, & propensio terrena ab hoc fomite excitata voluntaria, quæ sit nævus, seu peccatum, duplicitas, ac malitia evitetur, & tali modo Angelica, seu immaculata vita agatur. Nam de motibus, & propensionibus concupiscentiarum involuntariis loqui haud potest, cùm illæ non sint nævi, nec malitiam, vel duplicitatem in se contineant, nec noceant non consentientibus, sed potius sint ad coronam, ut definit Trid. sess. 5. Can. 5. Idem docet D. Augustinus variis locis, & singulari-*

„ ter lib. 2. de Gen. cont. Manich. cap. 14. prout ip-
 „ sum Viva allegat proposit. 43. Quesnell. num. 14.
 „ ibi: *Aliquando ratio viriliter commotam cupiditatem re-*
 „ *franat; quod cum fit, non labimur in peccatum, sed cum*
 „ *aliquanta luctatione coronamur.* Hunc esse sensum tex-
 „ tus Agredani quilibet, qui cum mente sincera legit,
 „ facile, & obviè intelligit, atque illum minimè esse
 „ proclivem ad errorem, sed Sacrae Paginæ conformem
 „ patet. Ex illo ad Ephes. 1. ¶ 4. *Elegit nos ante mundi*
 „ *constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in con-*
 „ *peccatu ejus.* Et 1. Thessal. 4. ¶ 3. *Hæc est voluntas Dei*
 „ *sanctificatio vestra.* Et 1. Petri ¶ 15. *In omni conver-*
 „ *satione Sancti satis.* Ex quibus conjici potest, textum
 „ laudatum Civitatis Mysticæ nullo modo esse procli-
 „ vem in errores, neque indigere ulteriore cautela sa-
 „ næ explicationis, quam ipse textus sibi jam habet
 „ conjunctam.

369 Numerus XXVII. Adversarii ita loquitur:
 „ Apologista num. 557. dicit, circa impeccabilitatem
 „ B. Virginis me nec verbum respondere Gonzale-
 „ zio. Immò respondi monstrando, quòd Agredana
 „ propositio sit versatilis etiam in sensum erroneum,
 „ qualen illi propositioni actu attribuit P. Landelinus,
 „ dum B. Virginis impeccabilitatem fundat in excep-
 „ tione à peccato originali; illa enim impeccabilitas
 „ extrinseca, seu jus ad gratias semper congruas, non
 „ fundatur in exemptione à peccato originali, quæ
 „ etiam alteri homini potuisset concedi, sed in sola Ma-
 „ ternitate Dei.

DEFENSIO.

370 Constat legenti Controversiam Anti-Agre-
danam, adversus quam Revelationes Agre-
danarum in meo priore, & hoc opusculo tuebar, Criticum
nec mentionem Gonzalezii, nec responsonum Gon-
zalezianarum ad præsens argumentum datarum, fecisse.
Unde assertio Agredana per Gonzalezium à num. 632,
abundè manet defensa, maximè quia placitum V. Ma-
riae de Agreda ampla autoritate apud eundem robo-
ratur, cui, uti non potest, ita nec verbum reponit
Criticus.

Quid P. Landelinus cum V. Scriptrice docuerit,
demonstrant sequentia, quæ ex iusta Defensione repe-
to pag. 758; sic ibi sonant: „ Respondeo, P. Landeli-
num solum docere, quod à tempore immaculatae
Conceptionis B. Virgini à Deo jam concessa sint do-
na illa, & gratiæ auxiliantes, quibus stantibus, adeò
que in sensu composito cum illis donis, peccare nun-
quam poterat, & in hoc sensu dicit, quod dona illa
Deiparæ à Deo concessa, ne peccare possit, originem
ducant ab ipsa immaculata, gratiaque plena Con-
ceptione ejusdem; prout ex contextu toto, & remis-
sionibus ibidem facile colligitur: hoc supposito ref-
pondeo secundo, nec P. Landelinum, nec V. Scriptri-
cem docere aliquid, quod sanæ Theologiæ repugna-
ret, aut Jansenistis placere, aut ad horum dogma de-
sublatione libertatis indifferentiæ ad bonum, & ma-
lum, viam sternere posset.

Siquidem P. Landelinus id tenet, quod asserit
V. Scriptrix, quæ Part. I. num. 322. dicit fieri non
potuisse, ut B. Virgo beneficiis, & gratiis, quæ Deus in
eius anima operatus est, instructa (adeòque stantibus his
„ gratiis,

„ gratis , atque in sensu composito cum illis) in pecca-
 „ tum prolaberetur . Hanc autem doctrinam amplectun-
 „ tur plures , etiam clarissimi Theologi , & Viri gra-
 „ viissimi : nominatim Eximius Suarez tom. 2. in 3. P.
 „ D. Thomæ disp. 4. sect. 4. sic habet : Unde fit , simpli-
 „ citer concedendum esse , in prima sanctificatione (quæ
 „ fuit in ejus Conceptione rationali , & immaculata)
 „ B. Virginem fuisse confirmatam in bono , ut nunquam pec-
 „ caret ; quia hæc confirmatio idem est cum prædicto privile-
 „ gio , seu gratia speciali : (NB) ex quo fit etiam , ut in sen-
 „ su composito peccare non potuerit ; aperte enim repugnat
 „ cum tali dono gratiæ peccatum existere seu componi , ut
 „ per se constat . Ita Suarez doctissimus . Idem dicunt
 „ doctissimus Saavedra , Rupertus Tuitiensis , & Petrus
 „ Damiani , quorum concepta verba citato just . Defens.
 „ folio & seq. legi possunt . His subdidi confirmationis
 „ causa clarissimi P. Ant. Mayr de Advent. Chr. num. 45.
 „ sententiam , qua pronunciat , „ B. Virginem non fuisse
 „ minus impeccabilem in prima Sanctificatione , seu
 „ Conceptione sui , quam facta fuerit in Sanctificatio-
 „ ne secunda , seu in Conceptione Christi Domini , quia
 „ in utraque mansit intrinsecè peccabilis , extrinsecè
 „ autem , & in sensu composito in neutra fuit peccabi-
 „ lis . Hæc Vir laudatissimus .

371 Ex quibus consequitur primò , manifestè V.
 „ Scriptricem cum optimis & probatissimis Scriptoribus
 „ loqui & sentire , atque ejus placito nihil solidum oppo-
 „ ni posse .

Infertur secundò , nec V. Scriptrici , nec Vindici-
 „ bus ejusdem , laudato textu esse sermonem de jure &
 „ fundamento gratiarum illarum congruarum , cum qui-
 „ bus in sensu composito peccatum stare nequit , sed de
 „ ipsis hisce donis & gratiis supernis in dignitate Matri-
 „ Dei , etiam juxta Scripta Agredana , fundatis . Proinde
 „ Cri-

Criticus dicta Civitatis Mysticæ ex industria iterum in alienum sensum detorquet, cum intellecta in sensu proprio & obvio, ea haud valeret in controversiam vocare.

ARTICULUS XVII.

EXCUTIUNTUR NUMERI AMORTIANI XXVIII. & XXIX.

372 **N**umerus XXVIII. Critici sequentia continet: Apologista num. 559. contumaciter negat, eam impassibilitatem, quæ fundatur in temperamento corporis, dicendam esse naturalē. An ergo, si Deus per miraculum daret homini ossa vitrea, vel aurea, non essent naturaliter fragilia, & incombustibilia? An statua salis, in quam uxor Loth miraculosè conversa est, non est naturaliter salsa? An rosæ miraculosè productæ, & ex paradiſo transmissæ S. Dorotheæ non sunt naturaliter odoriferæ? Si ergo Deus in Adamo & B. Virginie ex dono supernaturali produxit temperamentum, quod vi compositionis non necessariò dissolvetur, illa incorruptibilitas, seu impassibilitas manifeste erat naturalis. Argutatur Apologista, non esse idem: *Corpus ab intrinseco non necessariò dissolvit*, & *corpus ab intrinseco non posse dissolvi*. Lepida argumentatio! sunt enim hæc duo non quidem synonyma; sive tamen convertibilia. Quidquid enim ab intrinseco non necessariò dissolvitur, nec potest ab intrinseco dissolvit, sicut substantia immaterialis, quæ ab intrinseco non necessariò moritur, nec potest ab intrinseco mori, seu dissolvi. Sic etiam in entibus necessariis, quod non

non necessariò movetur ab intrinseco , non potest
 moveri ab intrinseco. Imperitè autem adducitur tex-
 tus S. Augustini distinguentis dnos status immorta-
 litatis, unius , *qua quis non potest mori* , alterius , *qua*
quis potest non mori. Nam in altero oppositionis mem-
 bro , quod Adamo S. Doctor concedit , manifeste
 loquitur de potentia non moriendi per principia vi-
 tæ conservativa extrinseca , puta *lignum vitæ* , non
 per principia conservativa vitæ intrinseca , quale
 principium fecit temperamentum , sublata in se con-
 trarietate humorum & qualitatum. s. DOCTOR lib.
 14. de Civit. cap. 26. hanc suam mentem aperte
 declarat his verbis : *Vivebat homo in paradiſo* , quam-
 diu volebat. *Lignum vitæ aderat* , ne illum senecta dissol-
 veret. Itaque frustra laborat Apologista non solum
 pro P. Landelino , sed etiam pro Gonzalezio , qui
 cum doctrinæ meæ assenserit , solumque contra tex-
 tum Agredanum à me allegatum exceperit , non de
 fallitate doctrinæ , sed solum de exceptionis vanita-
 te conveniendus à me erat. Hunc autem exceptionis
 inaniem prætextum , dum Landelino monstraverim ,
 etiam Gonzalezio monstratum nemo est qui du-
 bitet.

DEFENSIO.

373 R Efricare oportet aliquantis per memo-
 riā Critici , qui videtur nec argu-
 mentum suum amplius nosse. In observationibus fol.
 567. illud ita proposuit : *si homo non peccasset* , non
 fuisset passus ullam molestiam à creaturis ; oppositio creatu-
 rarum est poena peccati originalis. Part. 2. num. 18. 19.
 20. Superflui humores in mulieribus sunt effectus peccati
 originalis. Part. 2. num. 139. Defatigatio , fames &c.
 etiam

etiam sunt poena peccati originalis. Part. 2. num. 1052.
*Hec doctrina non est vera, nisi limitetur, quia ignis utique
 ussisset propius accedentes, non sine dolore.* Cum argumen-
 tum istud ab igne mutuatum Gonzalezius num. 644.
 haud aliter ac parvam flammulam uno halitu exsuffla-
 set, ei D. Amort in sua Controversia nec verbum
 repositus; immo videtur, ipsum puduisse hujus suæ ob-
 servationis, cum eam in priore à se asserto, & à
 Gonzalezio bene impugnato sensu, non amplius attule-
 rit in Controversia, aut defenderit; sed duntaxat ad
 aliquas cavillationes & crises impertinentes se conver-
 terit, affingendo P. Landelino, quod in sua respon-
 sione ad istam observationem Amortianam docuerit,
*Carnem B. Virginis fuisse, tam impassibilem ab intrinseco,
 quam extrinseco; & impassibilitatem ab intrinseco, ita ue-
 corpus ab intrinseco dissolvi non possit, homini collatam fui-
 se etiam in statu naturæ integræ in paradyso.* Unde pater
 argumentum istud de immunitate à molestiis creatu-
 rarum &c. à suo Authore Amortio fuisse prorsus de-
 sertum, & ejus loco signentum aliud substitutum de
 intrinseca impossibilitate B. Virginis, & hominis in
 statu naturæ integræ, vi cuius homo ne potuerit qui-
 dem ab intrinseco dissolvi. Atque adeo Critico adhuc
 restat Defensio prioris argumenti verè à Gonzalezio
 expugnati.

374 Quod autem concernit afflictam Landelino
 doctrinam, iam ad superfluitatem probavi in Defen-
 sione justa à pag. 762. simile quid nec in Civitate My-
 stica, nec in Vindiciis Landelinianis reperiri. Ostendi
 ibi primò, quamcunque exemptionem à quibusvis mo-
 lestiis, seu internis, seu externis homini in statu in-
 nocentiae non ex conditione naturali, sed peculiari Dei
 privilegio naturæ humanæ alias indebito convenisse, tam
 juxta Civitatem Mysticam, quam Landelinum. Ostend-
 di

Ali secundò, V. Scriptricem, & ejus Vindicem mox laudatum non aliter loqui, quam SS. Augustinum, Isidorum Hispalensem, ac Bonaventuram. Horum textus omnes citatos vide in Defensione justa. In quibus, sicut Scriptis Agredanis affirmatur, & ponitur quidem, quod corpus humanum in statu innocentiae ab intrinseco non necessario dissolvi debuerit, namquam autem dicitur, illud dissolvi non potuisse.

Ostendi tertiod à speciali quoque Privilegio in statu innocentiae provenisse, quod homo in illo statu morbum nullum intrinsecum, nullam intemperiem humorum, aut pugnam qualitatum contrariarum sensisset, Deo per providentiam extraordinariam ita disponente, tam hominem ipsum, quam alia, quæ circa ipsum sunt, ne ipse proprio actu, aut alia creatura turbaret temperiem, aut concordiam humorum & qualitatum primarum, ad certum harmoniæ pondus in ipsa productione ex speciali favore reductarum, sed potius illa adhiberet media, quæ omnem corruptiōnem, morbum & molestiam &c. amoverent. Hac autem ratione solus actus secundus pugnæ istius, actusisque morbus, vel intemperies fuit exclusa, non tamen potentia, qua in carne ex se corruptibili, qualitatibusque ex se contrariis &c. semper mansit. Nam sicut secundum Criticum ossa vitrea, quomodounque per miraculum conferantur, naturaliter manerent fragilia, quia vitrum ex natura sua fragile est: ita quoque corpus humanum utut per miraculum custoditum à mörbo, vel alla corruptione in illo statu, tamen mansit corruptibile ex se; cum ex natura sua talibus partibus constiterit, quæ ex se corruptibiles fuerunt, & ad corruptionem propriam tetenderunt ab intrinseco, ab extrinsecoque ad illam impulsæ fuissent, ni Deus ex speciali privilegio tale malum avertisset.

375 Ast audiamus, quid Criticus novi afferat contra meam Defenseionem: ait, lepidam meam esse argumentationem, qua dicebam, non esse idem: *Corpus ab intrinseco non necessariò dissolvitur*: & *corpus ab intrinseco non potest dissolvi*; addit, hæc duo non esse quidem synonyma, esse tamen convertibilia: quidquid enim ab intrinseco non necessariò dissolvitur, nec potest ab intrinseco juxta ipsum dissolvi. Me hercle lepidus sanè discursus! hæc duo sunt convertibilia: *Corpus ab intrinseco non necessariò dissolvitur*, *corpus ab intrinseco non potest dissolvi*. Si hæc sunt convertibilia, & mutuo se se inferunt, tunc etiam ista: *hoc ab intrinseco non necessariò fit*: ergo *ab intrinseco non potest fieri*. D. Amort *ab intrinseco non necessariò scribit*: ergo *ab intrinseco non potest scribere*. D. Amort *ab intrinseco non necessariò bene agit*: ergo *ab intrinseco non potest bene agere*. D. Amort *ab intrinseco non necessariò peccat*: ergo *ab intrinseco non potest peccare*. Et sic sexcenta alia. Sciunt Tyrones Logisticæ, tò non neceſſe, & tò contingens, item tò non neceſſarium, vel possibile, ac tò contingenter, vel possibiliter æquipollere. Unde ista propositio: *homo ab intrinseco non necessariò dissolvitur*, æquipollent huic: *homo ab intrinseco contingenter*, id est, possibiliter dissolvitur: ast cum hac propositione non convertitur ista: *homo ab intrinseco non potest dissolvi*, seu *non dissolvitur possibiliter*, &c. Siquidem ista priori opponitur: atqui duæ propositiones oppositæ non sunt convertibiles: ergo &c.

376 Quapropter etiam cum hac propositione: *Substantia immaterialis ab intrinseco non necessariò moritur*, non convertitur ista: *Substantia immaterialis non potest mori*. Insuper non bene & cum veritate enunciari potest: *Substantia immaterialis non necessariò moritur*: huic enim propositioni æquivalet ista: *Substantia immaterialis*

Ita possibiliter , vel contingenter moritur , vel potest mori . Hinc Criticus , ut verum afferat , debet dicere : *substantia immaterialis necessariò non moritur* ; inde enim legitime infertur ista convertibilis : ergo *substantia immaterialis non potest mori*. Idem judicium ferendum est de prioribus propositionibus. Cùm itaque enunciatio illa , quam conformiter Scriptis Agred. ex D. Bonav. Landelinus & ego usurpavimus , non sic sonet : *homo in statu innocentiae ab intrinseco necessariò non moritur , necessariò non dissolvitur &c.* sed ita se habeat : *homo in statu innocentiae ab intrinseco non necessariò moritur , vel non est necesse hominem mori* ; nihil omnino diximus , quod difforme est veritati , & sanæ doctrinæ.

377 Ad hæc aliqua verba Anti-Agredani sunt declaranda , ne Lectorem decipient. Dicit Criticus : *Apologista contumaciter negat , eam impassibilitatem , que fundatur in temperamento corporis , dicendam esse naturalem*. Si ipsis afferit , à me admissum esse pro statu innocentiae temperamentum tale , quod ex natura sua incompossibile est cum corruptione , & passione , vel quod naturaliter impassibilitatem importat , falsum dicit , & singit. Non enim temperamento corporis secundum naturam suam spectato , talem impassibilitatem cum Landelino aut Ven. Scriptrice tribui. Si vero solùm sustinet , me defendere , quod temperamentum istud ex natura sua corpus non reddiderit impassibile , sed tantum divina speciali , & conditioni humanae indebita assistentia ita in sua productione fuerit temperatum , & posteà conservatum , ne humores alias corruptibiles , & qualitates ex natura sua corruptivæ ac inter se inimicæ mutua pugna corpus ita afficerent , ut in eo , vel corruptio , aut morbus , aut molestia sequeretur ; si in hoc sensu loquitur , & me consentientem habet , & mecum Ven. Scriptricem , S. Au-

guistinum, D. Bonaventuram, & S. Thomam, quorum lingua & verbis solum in justa Defensione fui locutus, nec plus, nec aliud adstruens, quam citati. In hoc igitur sensu necesse non erat, tunc hominem pati a qualitatibus contrariis, & per eas dissolvi, non quod ex natura sua corruptivae haud fuerint, aut homo, & caro humana corruptionis ex natura sua extiterit expers; sed quia, Deo ita has qualitates in primo homine ex speciali gratia temperante, & conservante in accepta prima temperie, illarum nativa activitas corruptiva, & mutua pugna fuit impedita. Unde deducitur, exempla superius adducta, si paulisper rei praesenti accommodentur, pugnare contra suum Authorem, ut partim jam vidimus, partim adhuc ostenditur. Siquidem v. g. rosa in hyeme producta, & longiore tempore, quam naturaliter est possibile, in suo flore primo supernaturaliter conservata, ex se & ex natura sua manet corruptibilis, etsi per virtutem supernam amorem agentia extrinseca, quam impedientem qualitatum corruptivarum intrinsecam actionem, sic in vigore suo perseveret. Ita in proposito discendum est.

378 Dicit ulterius, me imperite adduxisse D. Augustinum distinguentem duos status immortalitatis, unius, quo quis non potest mori, alterius, quo quis potest non mori, atque, S. Doctorem loqui de potentia non moriendi per principia extrinseca vitae conservativa, puta lignum vitae, non per intrinseca, seu per sublatam contrarietatem humorum & qualitatum &c. adducit hunc in finem paucula verba. Verum totum textum, quem ego ex S. Augustino fol. 764. justae Defensionis protuli, afferre non audet, utpote ipsi manifeste adversum: dicitur enim prater alia ibi, id est lib. 14. de Civit. cap. 26. *Nil corruptionis in corpore (hominis in nocentis)*

neque ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat.
(NB) nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur,
summa in carne sanitas. Ecce! nulla corruptio, nullus
morbis intrinsecus, sed summa tunc in carne sanitas
fuisse: ergo intrinseca temperies humorum, & qualitatum alias contrariarum, & corruptivarum, debuisset
tunc quoque esse; hac enim sublata, & humoribus, &
corruptivis qualitatibus pugnantibus in homine, exurgunt morbi, putredo, & tandem corruptio.

379 Dicit tertio: „Itaque frustra laborat Apolo-
„gista non solum pro P. Landelino, sed etiam pro
„Gonzalezio, qui, cum doctrinæ meæ assenserit, so-
„lumque contra textum Agredanum à me allegatum
„excepit, non de falsitate doctrinæ, sed solum de
„exceptionis vanitate convenientius à me erat. Hunc
„autem exceptionis prætextum, dum Landelino mon-
„strarerim, etiam Gonzalezio monstratum nemo est
„qui dubitet. Hæc audacter Criticus, non timens si-
„bi de palpabili, quam ita loquendo committit, falsita-
„te. Gonzalezius nullo modo excepit contra textum
Agredanum ab Eusebio Amort allegatum, sed dunta-
xat reprobavit crisi Amortianam, quia sine causa, ac
non satis theologicè textum Ven. Scriptricis sanum
ac irreprehensibilem divexavit. Brevitatis gratia ipsa
verba Gonzalezii omitto; possunt autem non inutiliter
legi apud ipsum pag. 392. & num. 644. Jam su-
periūs notavi, quod Adversarius nec verbalium res-
ponderit eidem Gonzalezio; videtur enim territus
fuisse ejus Defensione, qua totum argumentum ex
igne ascendens velut fumus evanuit: unde diverticula
quæsivit, ac reliquo arguento ipso, & textu Agre-
dano nodum in scirpo, id est, in responsione Lande-
liniana quædam effugia quæsivit: quæ cum ibi non in-
veniret, novam difficultatem de impassibilitate in-

trinseca in sensu tali, in quo de ea Landelinus nec cogitavit, eideem affinxit. Sic consuevit agere, qui veritatem etiam agnitam persequitur. Videatur justa Defensio.

Numerus XXIX. Anti-Agredani.

380 **I**ste est: „Apologista num. 561. negat „ideo in Revelationibus à Deo occulta tam aliquamdiu fuisse dæmoni formationem Adæ & Evæ, ne conaretur eam impedire; sed aliud „hujus occultationis motivum prudens non insinuat „tur in Revelationibus.

DEFENSIO.

Corruptionem textus Agredani nondum expunxit Adversarius. Nam certum est, hoc motivum imprudens, quod Criticus affinxit Revelationibus Agredanis, in ipsis non contineri. Licet enim illæ adstruant Part. I. num. 137. Deum noluisse fieri statim dæmoni manifestam Adæ, & Evæ formationem, non tamen dicunt, ideo hoc factum esse, ne impedit eam. Nec propterea, quia aliud motivum non insinuatur, hoc statim fuit intentum, cum utique Deo non desint alii longè prudentiores fines. Et nunquid Deus imaginariis solum motivis Amortianis fuit alligatus? Videatur justa Defensio pag. 769.

ARTICULUS XVIII.

NUMERUS XXX. AMORTIANUS

381 **T**ria complectitur membra singillatim excutienda. Primum sic habet: „ Apologista num. 562, tres meas impugnat propositiones. „ Primò, quòd in dœmone non reperiatur *ingens exultatio*, qualem Revelationes Agredanæ prætendunt. „ Verùm exultationem *veram* præsertim *ingentem*, à spiritibus damnatis jure excludo.

DEFENSIO.

Falsum est, quòd Revelationes Agredanæ prætentant *ingentem exultationem* in dœmonibus, id quod in justa Defensione folio 770. jam luculenter probavi. Adduco ibidem dicta, quæ sic sonant: „ Primum jam dissolvit Gonzalezius à num. 670. ex Autographo Hispanico Civitatis Mysticæ, in quo non tribuitur dœmonibus *ingens exultatio*, immò nec exultatio ulla: nam verbum Hispanicum *alborozo* teste Gonzalezio non significat lœtitiam, exultationem, gaudium &c. sed est signum externum, quo alias sollet indicari gaudium, propter consecutionem aliqui jus rei valdè concupitę.

„ Jam verò possunt externè dari ejusmodi signa gaudiī, vel mœroris, quin aliquis gaudeat, aut tristetur. Fuit igitur (ut dicit Gonzalezius) in dœmone signum illud, Hispànice *alborozo*, exultatio ex modis significandi; non ex parte rei significatæ. Unde Doctor Angelicus in 4. dist. 45. q. 2. art. 1. ad 4. loquens

„ de gaudio dœmonum ait : *Hoc gaudium non verum,*
 „ *sed phantasticum est, dum impletur.* Quæ confirmat
 „ Illustrissimus Herinex. Part. 1. Summæ Theol. Tract.
 „ 3. disp. 5. num. 46. ubi docet primò certum non esse,
 „ quod dœmones de nulla re verè gaudeant, nonnullis
 „ admittentibus verum gaudium in illis , aliis autem
 „ passim id negantibus. Cum posterioribus inter quos
 „ etiam citat Alensem, Scotum , Angles , probabilius
 „ docet secundò , propriè dictæ lætitiae in Angelis ma-
 „ lis locum non esse. Sunt namque continuò in im-
 „ mensa tristitia, cum qua non bene consistit gaudium,
 „ & quamvis cum illa consisteret, verisimile tamen est,
 „ Deum nolle ad gaudium ipsorum concurrere. Quæ
 „ proinde (ita prosequitur sermonem laudatus) de læ-
 „ titia dœmonum , etiam quandoque per eachinos
 „ ostensa referuntur, ad exteriorem gaudii simulatio-
 „ nem (prout homines amaritudine pleni ostentant læ-
 „ titiam , quam non habent) & interiorem complacen-
 „ tiā in rei desideratæ successu sunt referenda. Ita He-
 „ rinex. Plura de hac re habet Gonzalezius , quæ ibi
 „ videri possunt.

„ Porrò in Revelationibus quoque S. Birgittæ lib.
 „ 6. cap. 31. dicitur : *Et multum latare videbatur de hoc*
diabolus , & cœpit plauderé manibus. Cui dixit Iudex,
quare lataris tantum? Hæc textus Birgitanus , cuius
 „ notæ sunt quoque dignissimæ lectu.

Pergit Criticus cit. num. XXX.

382 „ **S**ecundò non approbat Apologista, quod
 „ Lucifero, seniori dœmonum , negave-
 „ rim defectum memorie , qualem Revelationes Agreda-
 „ næ concedunt. Verum jure eum defectum memorie
 „ in dœmonibus nego : cùm enim sint spiritus intelle-
 „ *Elua.*

„ *Etiales*, qui simul uno obtutu cognoscunt, quæcun-
 „ que cognoscunt, in iis non habet locum potentia re-
 „ memorativa. Imò si in dœmone reperiretur po-
 „ tentia rememorativa, ea à Deo non ligaretur, nisi
 „ ita exigeret necessitas pro conservatione generis hu-
 „ mani, qualis tamen non apparet in casu ibi allegato
 „ necessitas.

DEFENSIO.

383 Jure defectum memoriæ in dœmonibus

admitto. Nam primò probabiliter falsum est, quod docentes, & alii Angeli uno simplici obtutu omnia cognoscant, quæcunque cognoscunt. A Scotistis enim & aliis pluribus optimæ notæ Theologis conceditur dœmonibus compositio, divisio, & discursus, ut vocant, formalis, qui actus non simplici ac uno obtutu absolvuntur. Videantur de hac re P. Herinex Part. I. Disp. 3. de Angelis, num. 32. & 33. P. Ant. Mayr Theol. Sch. tract. 2. n. 80. & alii.

Deinde demus, omnia sine divisione, compositio-
 ne, aut discursu per simplicem intuitum intelligi ab
 Angelis, ut defendunt probabiliter Thomistæ: ergo
 non datur memoria, vel potentia rememorativa in An-
 gelis? Qualis hæc consequentia: si hæc subsistit, Angelii
 non recordantur præteritarum prius habitarum cogni-
 tionum. Etiam à Thomistis formalem discursum in-
 tellectui Angelico negantibus, & ei meros simplices
 obtutus objectorum tribuentibus, adscribitur in An-
 gelis & dœmonibus successio quædam actuum, & co-
 gnitionum, ita ut Angelus non omnia objecta simul
 cognoscat, sed unum post aliud, & ab hujus objecti
 cognitione cessans ad alterius considerationem se trans-
 ferat, ut Joannes à S. Thoma, & Gonet tenent. Jam

sic infero. Angelus potest meminisse alicujus cognitionis anteà habitæ, vel objecti prius cogniti, & à cùjus consideratione jam pridem cessavit: quis enim hoc deneget Angelis, cùm homo multò imperfectior habeat vim recordandi, & rememorandi cognitiones præteritas &c. ergo Angelus habet potentiam rememorativam rerum, & cognitionum præteriorum. Præterea species rememorativas, per consequens etiam potentiam rememorativam præteriorum intellectus in Angelis affirmat expressè P. Ant. Mayr Theol. Sch. tract. 2. num. 62. nec facile aliquem repieres, qui recordationem, & memoriam præteriorum anteà cognitorum Angelis hanc concedat.

384 Oblivionem quoque naturaliter in dœmone reperiri posse, Gonzalezius probat num. 680. sequenti discursu: „ Quod autem Angelus, & præcipue malus patiatur oblivionem, mihi indubitatum est: quia „ oblivio nihil aliud est, quam non perseverare in „ cognitione rei præteritæ, quam quis semel habuit: „ quod autem Angelus non semper perseveret in actuall cognitione, quam de te præterita aliquando habuit, negari non potest: & consequenter quod obli- „ vionem patiatur, certum est, maximè loquendo de „ Angelis malis, qui ex intensa, & coacta considera- „ tione, tum amissionis beatitudinis, tum ignis, & „ aliorum objectorum, in quibus violenter in poenam „ peccati detinentur, impediti his considerationibus, „ non possint uti expedite, & perfectè intellectiva po- „ tentia, nec speciebus, sive concreatis, sive acquisitis, „ unde magis expositi sunt oblivioni: præterquam „ quod in nostro casu oblivio Luciferi speciali provi- „ dentiae, & protectioni Dei erga Virginem Matrem „ attributenda videtur. Ita Gonzalezius, qui jam præ- „ occupavit alteram crism Amortianam. Nam pecu- „ lia-

Maris protectio, & Providentia Divina erga Deiparam
 fuit sufficiens motivum interdum ligandi potentias
 dæmonum naturales, intellectum, & memoriam. Huc
 faciunt, quæ P. Herinex Disp. 3. de Angelis num. 12.
 habet, sic dicens: „ Nota, dæmones interdum divi-
 „ nitus ad bonum nostrum impediri, ne deprehendant
 „ illa, quæ manifestè non excedunt naturalem eorum
 „ industriam. Hoc modo ignorarunt, an Deipara
 „ fuisset Sponso Joseph commixta nècne, & an Chri-
 „ stus esset filius Joseph; quia videlicet non permitte-
 „ bantur accedere, vel attendere. Hinc Ignatius Mar-
 „ tyr & alii PP. tradunt, Mariam fuisse despousatam,
 „ ut coelestis ex Virgine partus celaretur diabolo &c.
 Hæc Illustrissimus Herinex, quibus & Gonzalezii di-
 etis satisfit scrupulo alteri Amortiano. Videatur justa
 Defensio fol. 774.

Continuat Anti-Agredanus crisin suam

385 **H**icce verbis: „ Tertiò censet, SS. Tri-
 „ nitati rectè tribui in Revelationibus
 „ colloquium de B. Virgine tanquam Matre Unigeni-
 „ ti. Verùm, cùm objectum inadæquatum hujus col-
 „ loquii sit ipsum Verbum, vellem ex Scriptura mon-
 „ strari textum, in quo Verbum quæ tale, de seipso lo-
 „ quatur ad Patrem, ita ut reperiatur in SS. Trinitate
 „ Verbum Verbi ad Patrem.

DEFENSIO.

PRæprimis falsum est, quod Verbum Divinum
 observatis à Critico locis loquatur ad Patrem.
 Quod liquet inspectis ambobus textibus, quos Adver-
 sarius hac nova, & aliis prioribus crises carpebat.

Hi (ut ex Cperc Observat. fol. 569. constat) sunt sequentes. Primus ex Part. i. Civit. Myst. num. 220. sic ait: *In instanti, quo anima Virginis Sacratissimæ producta, corporique infusa fuit, Beatisima Trinitas majori affectu protulit verba illa à Moyse notata: faciamus Mariam ad imaginem, & similitudinem nostram, veram filiam, & Sponsam, Matremque Unigeniti substantię Paternę futuram.* Et alter num. 221. ibidem hic est: *Virtute Divinorum horum verborum, & amoris, quo ea ex ore Omnipotentis prodiere, creata, corporique Mariæ infusa fuit anima felicissima &c.* En! neutro textu filius ad Patrem loquitur. Unde nova hac in parte additur falsitas antecedenti assertæ pag. 525. Controversiæ, ubi affirmavit Criticus laudatis, textibus exprimi opus Dei ad intra, & non ad extra.

386 Reduco in memoriam aliqua ex meis pag.
 773. just. Defens. adductis, quæ simul profligant novam observationem Anti-Agredani mox commemoratam, vel verius demonstrant eam (si recentem falsitatem excipias) non esse novam. Sic ea nunc citato folio sonant: „ Expendamus quoque Argumentum Adversarii : *Hæc locutio, Faciamus Mariam Matrem Unigeniti substantię Paternę futuram: Hæc locutio, ait, dum pro objecto habet se ipsum, utique non refertur ad extra: imò est cognitio reflexa supra se ipsum: & sic est Verbum Verbi: Quæ si Agredanus responderet Adversario, ab eo vapularet pessimè. Hæc locutio pro suo objecto directo terminativo habet formationem B. Virginis Mariæ, quæ B. Virgo est opus ad extra: non enim identificatur Deo: ergo hæc cognitio, & locutio respicit directè opus ad extra. Neque dicat, quod indirectè etiam attingatur Filius Dei ; quia Maria formanda, futura erat Mater Dei : quid enim ex hoc inferitur ? ergo productio Matris Dei non est* „ opus

„ opus ad extra ? Certè juxta omnes Theologos pro-
 „ ductio Incarnationis & unionis hypostaticæ est opus
 „ Dei ad extra , & quidem præcipuum , & tamen hæc
 „ operatio non potest intelligi , quin simul terminus
 „ hujus unionis Deus , vel Verbum Divinum intelli-
 „ gatur. Sic actus amoris Dei , quem Deus unà no-
 „ biscum efficit , est opus ad extra , quamvis concipi
 „ haud possit sinè ordine ad Deum : idem dic de pro-
 „ ductione Matris Divinæ. Deinde hæc locutio San-
 „ ctissimarum Personarum Divinarum Genes. 1. *Facia-*
 „ *mus hominem ad imaginem , & similitudinem nostram;*
 „ importat operationem ad extra: idque fatetur ipse
 „ Adversarius afferens in Controversia pag. 525.
 „ principii loco esse tenendum , quod omnis locutio trium
 „ Personarum , quæ illis in Scriptura tribuitur , importet
 „ operationem ad extra. Si autem hæc locutio versatur
 „ circa operationem ad extra , si non est Verbum
 „ Verbi , si non se reflectit supra se ipsam , licet etiam
 „ Deum , ad cuius imaginem creatus erat homo , attin-
 „ gat , neque illa locutio : *Faciamus Mariam Matrem*
 „ *Unigeniti substantiæ Paternæ futuram:* erit de opere
 „ ad intra &c. quamvis simul attingat Filium Divi-
 „ num , cuius Mater futura destinabatur Maria. Ast
 „ moras rumpo in re , aliunde vel terminos primos
 „ Theologiæ intelligentibus , notissima. Ostendit Ad-
 „ versarius , dum ejusmodi nil valentia argumenta ad-
 „ hibet , se nihil in Civitate Mystica invenisse , quod
 „ speciem alicujus veræ & solidæ difficultatis præse-
 „ rat , moliminaque ipsis aranearum telis esse similia,
 „ quibus solæ muscæ capituntur. Hucusque justa De-
 „ fensio , quam nondum concussit Criticus.

ARTICULUS XIX.

EXCUTITUR NUMERUS XXXI.

Critici.

387 „ **A** Pologista num. 566. improbat, quod
 „ in V. Maria de Agreda assertuerim
 „ dispositiones ad illusionem dæmonis aut phantasiæ;
 „ ostendi namque, quod frequenter Revelationes eam
 „ excitent ad considerandas perfectiones proprias, &
 „ quod fuerit phantasiæ debilis ac timidæ. Apologista
 „ quidem bene præsumit, quod nec per vanam sui
 „ complacentiam laudibus cesserit, nec timoribus an-
 „ xiis. Verum, cum etiam personæ sanctæ non ab
 „ omni levi quandoque defectu immunes sint, mora-
 „ lem impossibilitatem ejusmodi levis defectus non
 „ ostendit. Si ergo in V. Scriptrice non monstratur
 „ moralis impossibilitas levis alicuius incuriaæ, aut in-
 „ advertentiæ vincibilis, vel ignorantia leviter culpa-
 „ bilis, quibus justo Dei judicio patere potuerit illu-
 „ sioni phantasiæ, aut dæmonis, eo ipso non habetur
 „ moralis certitudo de divinitate omnium Revelationi-
 „ um contentarum in illo codice Reyelationum. Si
 „ autem non habetur moralis certitudo de divinitate
 „ omnium earum Revelationum, eo ipso contra eas
 „ vim suam retinent gravissimæ præsumptiones, & argu-
 „ menta moraliter certa de earum falsitate. Quod si præ-
 „ sumptiones violentæ, & argumenta moraliter certa
 „ de earum falsitate robur suum retinent, nil juvat cau-
 „ sam Agredanam earum Revelationum seorsim specta-
 „ ta probabilitas ab Adversariis, prout n. 572. & 573.
 „ contestantur, unice intenta, utpote quæ tollitur

„ comparativè per præsumptiones violentas, & moralem
 „ certitudinem oppositam. Itaque etiam Apologistam
 „ nil juvat probabilitas aliarum Revelationum, v.gr.
 „ S. Birgittæ. Rectè enim probabilitas earum Eccle-
 „ siam movet ad earundem tolerantiam, quia illa pro-
 „ babilitas non enervatur per præsumptiones violen-
 „ tas, & moralem certitudinem argumentorum in
 „ oppositum. Multò minus Apologistam juvat proba-
 „ bilitas harum Revelationum extrinseca ex testimo-
 „ niis virorum doctrina, & pietate insignium. Illa
 „ enim extrinseca probabilitas non tollit violentas
 „ præsumptiones, & moralem certitudinem argumen-
 „ torum meorum nondum ab iis expensorum, quibus
 „ proin nuda probabilitas cedat, necesse est. Omnia
 „ verò maximè imbellis est illa perpetua Apologistæ in
 „ me retorsio, quod, dum Adversarios meos calum-
 „ niarum reos ago, ipsem et calumniarum erga Ven.
 „ Mariam de Agreda, & corruptionum quoad illius tex-
 „ tus reus sim. Revelationes enim falsitatis convicis
 „ corruptiones expunxi, immò ipsosmet Adversarios
 „ non raro sensim textus Agredani corrupisse ostendi
 „ in versione Gallica, Latina, & Gonzaleziana, atque
 „ in Glossa Landeliniana, & Kikiana. Calumnia vacat,
 „ qui præsumptionibus violentis, & argumentis mora-
 „ liter certis pugnat; qui autem gravissimi criminis de
 „ non æqua circa cultum Immaculatæ Virginis doctrina,
 „ aut de doctrina, quam nullus verè Catholicus doceat,
 „ publicè accusat virum cultus Mariani zelatorem, &
 „ toto sive vitæ tempore desidantem pro fide & deco-
 „ re Ecclesiæ Catholicæ, & in probatione, sicut Apo-
 „ logista, deficit, veræ calumniæ reus est, de qua
 „ dabit rationem Deo. Finio, atque judicio Sedis
 „ Apostolicæ, quid in hac causa ad ædificationem Ec-
 „ clesiæ, vel ad securitatem eorum publicam, qui nec
 fa-

, fabulas nec mulierum somnia amant , tandem expedit,
 , diat , animo submisso ac indifferenti relinquo.

DEFENSIO.

388

Tandem finem respicit universa justæ Defensionis(ut Anti-Agredanus appellat) excussio. Proin exposcit , ut & ego vela , & hactenus discussa contraham. Quam ob rem assero, me non tantum bene præsumere , sed per decursum justæ Defensionis bene quoque probare , quod Ven. Scriptrix fuerit immunis ab illusionibus dæmonis , & phantasiam , omniisque nota superbiam , vanam , ac inordinatae anxietatis, aut timoris. Repetat, rogo, Lector benevolus , quæ in justa Defensione ex actis authenticis causæ Agredanæ , maximè à pag. 31. item 44. produxi , & quæ à fol. 776. usque ad finem citatæ justæ Defensionis dixi , & nullus ambigo , quin in meam sententiam manibus pedibusque sit concessurus. Probavere diligentissimè vitam , doctrinam , & spiritum V. Mariæ de Agreda adhuc viventis , non solum nostri Ordinis , sed & alii Viri in Ecclesia nominatissimi , ut Eminentissimi Cardinales Rospilosus , posteà CLEMENS IX. & Cæsar Montius Archi-Episcopus Mediolanensis , in Hispaniis Apostolicorum Nuntiorum munere præclarè functi , Michael Escartin Episcopus Ordinarius laudatissimæ Ancillæ Dei , doctissimus Petrus de Ariola Ordinis B. Virginis de Mercede , sicut & eximiæ pietatis ac doctrinæ , & prudentiæ Theologus Joannes à S. Thoma Ordinis celeberrimi Prædicatorum , ac Catholico Regi à confessionibus , aliquie : & hi omnes nihil , quod reprehensionem mereretur , invenerunt; contrà verò scientiam verè cœlitùs infusam , vitam ad leges perfectionis christianæ ac religiosæ om-

nimodè compositam , ac ab illusionibus penitus alienam in famula Dei commendaverunt. Tantis testibus omni exceptione majoribus, contemporaneis, plus certè fidei admittendum est , quæam Eusebio Amort tantum ea scribenti , quæ eidem sinistro affectu corruptus, & præjudiciis occupatus animus ad calamum dictat. Frustra igitur D. Amort moralem impossibilitatem levis cuiusdam defectus, aut illusionis exigit, cùm alitinde satis testatum habeamus , similes nævos absuisse à V. Scriptrice.

389 Verùm ne multum abducatur à præcipuo Defensionis meæ scopo , qui non est tueri , quod Revelationes istæ sint certò Divinæ , sed quod sint probabiles, & tales, quæ more aliorum librorum possint permitti, ut licet legantur , proindèque non contineant doctrinam certò falsam , aut non sanam , vel regulis fidei , & morum in aliquo puncto contrariam. Afferro ulterius, contra placita totius Civitatis Mysticæ , seu universim, seu singillatim considerata, nec ullam gravem præsumptionem , neque unum moraliter certum argumentum , quod illa falsitatis convinceret, ab Adversario hucusque esse allatum ; quod facile inspiciet quivis, qui tam justam meam Defensionem , quæam ejus continuationem in præsenti opusculo à me adornatam perlegit. Unde & optimo fundamento frequenter exempli, & probationis gratia à me sunt exhibitæ aliæ Revelationes ab Ecclesia approbatæ. Quæ vel ideo sunt ad propositum , quia illas duntaxat adduxi pro refellendis illis Amortianis assertis , quæ Revelationibus ejusmodi jam ab Ecclesia approbatis adversabantur. Inde enim sequitur , illas ipsas doctrinas, quas Criticus in Scriptis Agredanis impugnat , esse jam antecedenter à Sede Apostolica probatas , & edi ac legi permissas in aliis Revelationum libris.

390 Hinc etiam abs ratione excipit D. Amort contra testimonia efficacissima Virorum sanè omni pietate, & eruditione insignium, pro Civitate Mystica ranquam pro aris & focis militantium. Ista enim minime infringuntur per violentas præsumptiones, & moralē certitudinem argumentorum Amortianorum. Scriptis enim Anti-Agredanis omnibus, quæ hucusque sunt ab Adversario protrusa, nihil inesse certitudinis, nihilque quod præumptionem aliquam violentam contra asserta Agredana, sive conjunctioni, sive seorsim inspecta gignere posset, vindiciæ in duobus meis opusculis (quorum alterum *Defensionem*, alterum *continuationem Defensionis* appello) luculenter comprobant. Liber à præconceptis opinionibus animus, & attenta evolutio utriusque operis, collatiōque cum oppositionibus Amortianis solum requiritur in Lectore, &, ut coafido, in partes Agredanas abibit lubentissimè. Ulterius: quis sine nota præumptionis haud levis poterit præsumere, quod aliqua præsumptio violenta stet adversus Civitatem Mysticam à tot, tantæque Authoritatis, Dignitatisque Ecclesiasticæ, Pietatis, ac Doctrinæ Viris rigidissimè examinatam, ac in forma optima probatam, laudib[us]que maximis exornatam? Quis præsumat, solum Amortium vidisse nævos, quos, post accuratum studium omnibus viribus huic negotio impensum, plurimi in Ecclesia celeberrimi Doctores & Theologi deprehendere nequierunt? Profecta gravitas horum testium gravem, violentamque præumptionem pro Scriptis Agredanis contra insultus Amortianos suppeditat, ostenditque, crises Adversarii sola in imaginaria, ac pertinaci aliis contradicendi libidine, proinde in arena, non vero in solida veritatis petra esse fundatas.

391 Calumniam intuli nullam Adversario, sed illa-

illatas duntaxat ab eo V. Scriptrici , & Agredanis jure
Defensionis justæ , ac omnibus licitæ propulsare sum
conatus. Quòd Criticus verè corruperit textus non
paucos Agredanos , & quòd nullam à me impactam
corruptionem à se amoverit , sentiet quivis , qui sepo-
sito partium studio ambo mea opuscula consideratè le-
gerit. Falsitatum cumulum non parvum Scriptis
Amortianis ingestum reperi , notavique , ita tamen
ut nullibi invenerim me cujusdam corruptionis textus
Agredani , aut falsitatis à Critico convictum ; licet
enim ille ex insidiis meas , & V. Scriptricis assertiones
aggressus , eas utùt planas collo quasi obtorto in sen-
sum à mea , & V. Ancillæ Dei Mariæ de Jesu mente
alienum pertrahere laboraverit ; nihilosecias hoc toto
nisi suo id unum effecit , ut falsitates suas pristinas no-
vis auxerit , eàsque maximum in numerum fecerit ex-
crescere.

392 Quàm vera sint illa , quibus Amortium po-
stulavi de non æqua circa cultum Immaculatæ Virginis
Doctrina , ostendunt luce meridiana clariùs , quæ
huic opusculo inserui à num. 226. ubi observavi quo-
que , Adversarium in allegandis Scriptis Eruditissimis
Felicissimè Regnantis BENEDICTI XIV. nequaquam
fidelem fuisse. Restè etiam pronunciavi in Defensione
justa , & in præsente opusculo num. 282. & sequen-
tibus confirmo , nullum vere catholicum circa ibidem
tractatam materiam cum D. Amort sentire , & etiam-
num persuasus sum , quòd nullus verè addictus Roma-
næ Ecclesiæ , cum ipso tam abjectè de Summis Ponti-
ficibus sentire possit. Veritatem locutus sum. Ast
dum quis veritatem clarè ostendit Adversario , is re-
cepto jam more calumniam sibi factam clamitare , &
ad Divinum Tribunal provocare solet. Interea hujus-
modi inanes clamores non sunt attendendi. Me in

probatione assertorum non defecisse, Criticum vero defectus complures contra manifestam veritatem ac modestiam religiosam commisisse, ex præcedentibus colliget facili negotio Lector indifferens, cuius judicium hac in parte imploro, meum suspendo, ne in propria causa iudex velim esse.

Non amo fabulas, nec eas amat, nec sectatur V. Scriptrix; fictions tamen ab Amortio vendi pro veritate in re Agredana, non certum esse non potest volventi ejus Scripta Anti-Agredana, & conferenti ea cum Vindiciis Agredistarum. Desudaverit Criticus antea etæ vitæ tempore pro decore Ecclesiæ; pergit ergo, & inutilibus suis crisiis dimissis, quæ offenditionibus non parvis viam apertam sternunt, ad utiliora convertatur. Cordi igitur ducat sui SS. Patris nempe D. Augustini aureum effatum ex Epist. ejus ad Januar. olim 118. nunc 54. depromptum: *Sensi ita loquitur S. Doctor) sæpe dolens, & gemens, multas infirmorum perturbationes fieri per quorumdam fratrum (NB) contentiousam obstinationem, vel (NB) superstitionem timiditatem, qui in rebus hujusmodi, quæ neque Scripturæ Sanctæ auctoritate, neque universalis Ecclesiæ traditione ad certum possunt terminum pervenire (tantum quia subest qualisunque ratiocinatio cogitantis) tam litigiosas excitant quæstiones, ut, nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment.* Hæc sibi imprimat Criticus, & à pertinaci, contentiousaque impugnatione Scriptorum Agredanorum, contra quæ solidum adhuc in medium protulit nihil, aliquando desistat, ne infirmis seu fidelibus, seu heterodoxis majoris scandali, aliis vero justi doloris ampliorem materiam præbeat.

APPENDIX.

EXCUTITUR PROBLEMA Amortianum.

DICTA AMORTIANA PROPONUNTUR.

Pagina 100. suæ, sic appellatæ, novæ demonstratio-
nis, excussionis &c. Criticus hoc producit Pro-
blema: *Utrum plura incredibilia miracula contineantur in
Pseudo-Evangelio de infantia Iesu, quam in Revelationi-
bus Agredanis?* Problema certè suo Authore dignum,
qui tantum in id incumbit solertissimè, ut in causa
Agredana possit ludere, ac heterodoxis aperire cam-
pum insultandi rebus nostræ Religionis. Problemati
subjungit ipsum Pseudo-Evangelium de infantia Jesu
fabulis insulsissimis plenum, quod, ne offendiculo sit
aliis, hic totum ponere non audeo, præsertim etiam
ea ex causa, quia ipse Anti-Agredanus sequentia dun-
taxat puncta ex Pseudo-Evangelio à se studiosè allato
Civitati Mysticæ potuit opponere: Ita enim pag. 125.
subdit Pseudo-Evangelio recitato: „ Hucusque Pseudo-
„ Evangelium de *infantia Iesu*, in quo patet multa
„ reperiri miracula, iis, quæ in Revelationibus con-
„ tinentur, non dissimilia. Sic enim primum, quod
„ Jesus in cunis jam fuerit locutus, reperitur saepius
„ in Revelationibus Part. 2. num. 578.625. 626.635.
„ prout in *argumento ex silentio scriptorum* petito osten-
„ sum est. Ibidem reperitur, quod Simeon Iesum, &
„ & Mariam coruscos viderit num. 599. prout etiam
„ in Pseudo-Evangelio annotatur num. VI. de mira-

„ culis in Ægypto patratis , si quædam ab hæreticis
 „ conficta excipiuntur , multa quoad genus , & multi-
 „ tudinem miraculorum convenienter cum iis , quæ ex
 „ Revelationibus l. cc. attuli . Itaque benevolo Le-
 „ stori Problema proponitur , plurane in istis , quæ
 „ illo numerari queant incredibilia . Hactenus D.
 „ Amort.

DEFENSIO.

Crisis memorata Adversarii nec hilo melior est illa , quam discussi pag. 800. meæ justæ Defensionis , seu non est digna responsione . Nihilominus ne opinetur Criticus , se ejusmodi absurdis , & nihil ad propositum deservientibus commentis silentium Agredanis imposuisse , aliqua eidem reddo .

Primò : si tot & tam absurdæ , ac tam falsæ (ut finit iterum Amortius) reperiuntur in Civitate Mystica , qua ratione Summi Pontifices , ac Florentissimæ Inquisitiones Hispanica , & Lusitana potuere permittere lectionem ejusdem ? Dein , qui potuere Cardinales , Episcopi , Doctoresque celeberrimi , & ipse Ordinarius quidam Reverendissimus Augustanus librum hunc probare , & tantis laudibus extollere ? Hi enim , si tam absconsa , qualia Anti-Agredanus affingit Scriptis Agredanis , dum ea comparat cum fabulis ineptissimis dicti Pseudo-Evangelii , permisere legi , vel omnino commendavere encomiis , aut pessimis , aut certè ignorantissimi fuere . Quis enim , nisi ignorantia aut malitia duce , tam disconsensu regulis fidei & sanæ doctrinæ audebit probare ? Respondeat Criticus huic rationi jam factæ in justa Defensione folio citato , neque ad talia , quæ ipsum adeò præmunt , os & calamus ita comprimat , sicut in novo suo perfuctorio , & tumulo opusculo fecit .

Secundò : quicunque legerit Pseudo-Evangelium,
 Et contulerit cum Civitate Mystica , hanc ab illo , sicut
 cœlum ab inferno discordare videbit . Ubi aliquid ha-
 betur in Civitate Mystica de anu à S. Josepho quæsita ,
 ut B. Virginis in partu adesset , ubi aliquid de plurimis
 aliis gestis in Ægypto , & extra Ægyptum Christi & B.
 Virginis , quæ in Pseudo-Evangelio illo narrantur , vel
 verius finguntur ? ubi , ut alia taceam , ista leguntur ,
 quæ Criticus pag. 117. ex Pseudo-Evangelio profert ,
 & sic habent?

„ XXXV. Alia ibidem mulier degebat , cūjus filius
 „ à Satana vexabatur. Hic Judas nomine , quoties-
 „ cunque Satanas iste illum corripiebat , quosvis præ-
 „ sentes dentibus appetebat , ac , si neminem juxta se
 „ inveniret , suas ipse manus & coetera membra mor-
 „ su vexabat. Audiens ergò mater hujus miseri , fa-
 „ mām divæ Mariæ , & filii ejus Jesu , surrexit prope-
 „ rē , ac filium suum Judam in ulnas sublatum ad Do-
 „ minam Mariam detulit. Interim Jacobus , & Joses
 „ commodum Dominum Jesum Infantem abduxer-
 „ rant , ut cum coeteris infantibus colluderent , ac do-
 „ mo egressi confederant , & cum illis Dominus Jesus.
 „ Accedebat verò Judas obsessus , & ad dexteram Jesu
 „ assidens , cùm agitaret etim pro consuetudine sua
 „ Satanas , dentibus Dominum Jesum appetebat , &
 „ quoniam attingere non poterat , latus ipsius dexte-
 „ rum percutiebat , ita ut Jesus ploraret. Eademque
 „ hora fugiens exivit ex puerō isto Satanas , cani rabī-
 „ do similis. Hic autem puer , qui Jesum percussit , &
 „ ex quo Satanas sub forma canis exivit , fuit Judas
 „ Ischariotes , qui illum Judæis prodidit ; & idem ejus
 „ latus , in quo percusserat illum Judas , Judæi lancea
 „ confixerunt.

„ XXXVI. Cùm verò Dominus Jesus septimum à

„ nativitate sua annum complevisset , die quodam cum
 „ aliis pueris sodalibus suis coætaneis versabatur , qui
 „ ludentes , varias ex luto formas fingebant , asinos
 „ boves , volucres , & alia his similia ; & unusquisque
 „ jactans suum opus super cæterorum plasmate efferre
 „ conabatur . Tunc Dominus Jesus dicebat pueris : ego
 „ illis , quas feci , figuris præcipiam ; ut incedant . Ro-
 „ gantibus verò pueris , numquid ipse creatoris esset
 „ filius , præcipiebat illis Dominus Jesus , ut incede-
 „ rent ; eademque hora subsiliebant , & cum reverti
 „ illas juberet , revertebantur . Fecerat autem avium
 „ passerinique figuras , quæ cum volare ipsas juberet ,
 „ volabant , & cum stare juberentur , consistebant
 „ quod si cibum , & potum illis porrigeret , edebant &
 „ bibeant . Cum deinde abjissent pueri , & parenti-
 „ bus ista suis retulissent , dicebant illis patres ipso-
 „ rum : cavete in posterum , ò filii , à consortio ejus ,
 „ quoniam veneficus est ; fugite illum , & vitate , ne-
 „ que ab hoc momento unquam cum ipso collu-
 „ dite .

„ XXXVII. Quodam etiam die Dominus Jesus
 „ cum pueris Iudens & discurrens , officinam tinctoris
 „ præteribat , cuius nomen erant Salem ; erantque in
 „ officina ejus panni plurimi civium illius urbis , quos
 „ variis coloribus imbuere parabant . Ingressus verò
 „ Dominus Jesus officinam tinctoris , pannos hosce
 „ universos sustulit , & in cortinam tinctoriam conj-
 „ ecit . Rediens Salem , pannosque perditos cernens ,
 „ voce maxima exclamare coepit , & Dominum Jesum
 „ objurgare , dicens ; quid fecisti mihi , ò Fili Mariæ ?
 „ & me , & cives meos injuria affecisti ; quilibet enim
 „ commodum sibi colorem expetit , tu verò adveniens
 „ omnia perdidisti . Respondebat Dominus Jesus : cu-
 „ juscunque panni colorem mutare volueris , hunc
 „ ego

„ ego tibi immutabo ; statimque pannos ex cortina
 „ producere coepit , singulos illo colore imbutos ,
 „ quem tinctor desiderabat , donec omnes eduxisset .
 „ Hoc prodigium atque miraculum videntes Judæi
 „ Deum celebrabant .

„ XXXVIII. Josephus autem per totam urbem
 „ circumiens , Dominum Jesum secum ducebat , cum
 „ propter artificium ejus , homines illum accerserent ,
 „ ut portas ipsis , aut mulieralia , aut cribra , aut ar-
 „ cas conficeret ; eratque cum ipso Dominus Jesus ,
 „ quocunque proficiseretur . Quotiescumque ergo Jo-
 „ sepho aliquid operis sui longius aut brevius , latius
 „ sive angustius faciendum esset , Dominus Jesus ma-
 „ num suam versus illud extendebat , ac statim , prout
 „ vellet Josephus , res succedebat ; ita ut opus non esset
 „ ipsi quidquam manu sua perficere , quia nec admo-
 „ dum peritus erat artis fabrilis .

„ XXXIX. Quodam autem die accersivit illum
 „ Rex Hierosolymæ , & , volo , inquit , Josephe , ut so-
 „ lium mihi construas ad mensuram loci illius , in quo
 „ sedere consuevi . Paruit Josephus , ac statim operi
 „ manum admovens , biennium in Regia mansit , do-
 „ nec fabricam istius solii absolvisset . Cum itaque
 „ illud in sede sua collocaret , ab unoquoque laterè
 „ duas illud spithamas à præfinita mensura deficere ad-
 „ vertit . Quo viso Rex Josepho admodum irasceba-
 „ tur , & Josephus iram Regis metuens incœnatus
 „ dormiebat , cum nihil omnino gustasset . Tunc ro-
 „ gante Domino Jesu , quare metueret ? quoniam , in-
 „ quit Josephus , opus , in quo biennium integrum
 „ elaboravi , perdidì . Cui Dominus Jesus : omittę ,
 „ inquit , timorem , neque animum abjice , tu unum
 „ istius solii latus apprehendes , & ego alterum , ut ad
 „ justam illud mensuram redigamus . Cumque fecisset

„ Josephus , quemadmodum dixerat Dominus Jesus , &
 „ uterque à latere suo validè traheret , paruit solium ,
 „ & ad justam loci illius mensuram redactum fuit .
 „ Quod prodigium cùm cernerent adstantes , obstupes-
 „ cebant , & Deum celebrabant . Fabricatum verò erat
 „ solium hoc ex ligno illo , quod exstiterat tempore
 „ Soleimanis , ligno scilicet variis formis & figuris in-
 „ signito .

„ XL. Alio quodam die Dominus Jesus in pla-
 „ team egressus , & pueros , qui ad ludendum conve-
 „ nerant , conspicatus , eorum se turbæ admiscerit .
 „ Quo viso illo cum sese occultarent , ipsique investi-
 „ gandos præberent , pervenit Dominus Jesus ad por-
 „ tam domus cuiusdam , & stantes ibi mulieres roga-
 „ vit , quonam pueri isti adjissent ? Cùmque neminem
 „ ibi adesse responderent , iterum Dominus Jesus : hi ,
 „ inquit , quos in fornace videtis , quinam sunt ? res-
 „ pondentibus illis , hædos esse triennes , exclamavit
 „ Dominus Jesus , dixitque : huc exite , o hædi , ad
 „ Pastorem vestrum . Et confestim egrediebantur pueri
 „ hædis similes , & circa ipsum exsultabant , quòd con-
 „ picatae mulieres istæ obstupuerunt admodum , ter-
 „ rorque ipsas , & tremor occupavit . Properè igitur
 „ Dominum Jesum adorabant , & obsecrabant dicen-
 „ tes : O Domine noster Jesu , fili Mariæ , tu revera-
 „ es Pastor ille bonus Israëlis ! miserere ancillarum
 „ tuarum , quæ coram te consistunt , quæ minimè du-
 „ bitant , quin tu o Domine noster ad sanandum , non
 „ verò ad perdendum veneris . Deinde , cùm respon-
 „ disset Dominus Jesus , filios Israëlis esse inter popu-
 „ los , taquam Æthiopes , dicebant mulieres : Tu Do-
 „ mine omnia nosti , neque te quidquam latet ; nunc
 „ ergo te rogamus , & à pietate tua petimus , ut pue-
 „ ros istos , servos tuos , in pristinum ipsorum statum

„ restitutas. Dicebat ergò Dominus Jesus: adeste ò
 „ pueri, ut abeamus & ludamus: & ex templo ad stan-
 „ tibus hisce foemini, hædi immutati sunt, & in for-
 „ mam puerorum redierunt.

„ XLI. Mense autem Adar congregavit Jesus pue-
 „ ros, eòsque tanquam Rex dispositus; straverant enim
 „ vestes suas in terra, ut super illas consideret, & co-
 „ ronam è floribus consertam capiti ejus imposuerant,
 „ & satellitum instar, Regi adstantium, à dextris, &
 „ à sinistris coram ipso consistebant. Si quis autem per
 „ viam illam transiret, illum vi abstrahebant pueri,
 „ dicentes: huc ades, & Regem adora, ut felix tibi
 „ iter contingat. Hæc exempli gratia retuli ex Pseudo-
 Evangelio de Infantia Jesu, addens, quòd totus iste
 liber verè apocryphus à capite usque ad calcem hujus-
 modi fragmentis sit refertus. Sed percontari liceat ite-
 rum, an similia quis legerit in Civitate Mysticæ? cer-
 tè quisquis eam evolvit, tam absurdâ haud invenit.
 Quanta ergò audacia viri hujus Eusebii Amort, qui
 adeò falsa & rationi, & Historiæ Evangelicæ, ac Digni-
 tati Christi nullo modo convenientia, Scriptis Agreda-
 nis comparare præsumit, cùm tamen in his nec vesti-
 gium ejusmodi commentorum reperiatur?

Ast sunt tamen aliqua, quæ non sunt absimilia
 relatis in Historia Civitatis Mysticæ? Quid inde sequi-
 tur? In Pseudo-Evangelio isto etiam recensentur quæ-
 dam, quæ leguntur in Evangelii veris: commemo-
 ratur enim Descriptio Orbis sub Augusto, Nativitas
 Christi Bethleemii peracta, adventus Pastorum ad Chri-
 stum Natum, Circumcisio ejusdem octavo die facta,
 Canticum *Nunc dimittis* &c. in templo à Simeone di-
 citum, quod totum quo ad sensum in isto Evangelio
 Apocrypho pag. 103. apud nostrum Adversarium ex-
 primitur, & alia hujusmodi: ergo ista non sunt vera,
 quia

quia sunt Scripta in Pseudo-Evangelio? Quis hoc dicerebit? Ergo aliqua in Pseudo-Evangelio scripta, possunt esse vera.

Proinde non statim licet inferre: hic liber continet aliqua, quibus similia vel eadem reperiuntur in Pseudo-Evangelio: ergo hic liber est rejiciendus, & quæ in ipso continentur, præsertim, quæ similia sunt scriptis in Pseudo-Evangelio, sunt figmenta, sunt fabulæ. Etiam Pseudo-Evangelii, & libris hæreticis quædam vera immisceri possunt. Videat Criticus illa, quæ jam superius tractans Part. 2. hujus opusculi, de libro Nativitatis Mariae sub finem dixi.

Verum ut noverit, istam nil salis habentem objectionem prius fuisse solutam, quam à suo Authore, cuius planè dignum est opus, fuit formata, hæc ex actis ultimis Romanis anno 1747. editis transcribo, ubi lit. A. fol. 50. ista ponuntur: „ Demùm, neque illud „ prætereundum est, quod aliquibus forsan obstare posse „ prædictæ approbationi videri possit, nimirùm, Ven. „ Abbatissam aliqua ex apocryphis libris suis in scrip- „ tis desumpsisse. Pro qua re advertendum esse existi- „ mamus, non omnia, quæ in apocryphis libris con- „ tinentur, ea mala esse, & improbanda, immò & „ plurima in illis sèpè comprehendi, quæ bona sunt „ & laude digna, quæque possunt à Catholicis Viris „ in usum transferri, & quidem Catholicè, & piè. „ Quemadmodum enim ex Ethnorum libris, quæ „ bona & probanda occurrebant, Apostolus ipse Pau- „ lus in usum suum convertebat, atque Arati, Me- „ nandri, & Epimenidis versus allegabat, ut patet Act. „ cap. XVIII. Epist. ad Titum cap. I. & I. ad Corinth. „ cap. XV. quin etsi Clementi Alexandrino lib. VI. Stro- „ matum fides adhibenda sit, ad Sibillæ, & Histapis „ oracula Auditores amandabant; ita etiam ex apocry- „ phis

phis libris nonnulla, quæ in illis vera esse comperie-
 bant, in Canonicis libris Sancti Apostoli inserue-
 runt. Nam quod Sanctus Paulus refert de Joanne
 & Mambre Ægypti Magis, qui Moysi restiterunt 2.
 „ Timothei cap. 3. ver. 8. id illum accepisse ex libro
 „ Joannis & Mambres, qui inter apocryphos relatus
 „ est à Gelasio in Decreto edito in Concilio septua-
 ginta Episcop. relat. in Canon. Sancta Romana, dist.
 „ 15. testatur Origenes homilia 35. in Mathæum. Si
 „ militer quod asserit Sanctus Judas in Epistola Cano-
 nica vers. 9. de altercatione Michaelis Archangeli
 „ cum Satana de Moysis corpore, id etiam desumptum
 „ esse ex libro apocrypho, cui titulus, Ascensio Moysis,
 „ quem citant Origenes lib. 3. Periarchon, cap. 2. &
 Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, senserunt
 „ multi ex antiquis apud Cornelium à Lapide Com-
 ment. in Epist. Canon. S. Iude ver. 9. quem librum
 „ inter apocrypha rejectum fuisse à Gelasio Papa scri-
 bit Sixtus Senensis Biblioth. sanct. verbo Moysis Af-
 censio. Idem Apostolus cit. Canonica Epistola vers.
 „ 14. citat prophetiam Henoch. At librum Henoch,
 „ cuius crebra mentio est apud antiquos Patres, & in
 „ apocrypho libro, de testamento duodecim Patriar-
 charum, utcumque antiquissimum sit, suppositi-
 tium, ac fabulosum testantur S. Hieronymus lib. de
 Script. Ecclesiast. in Iuda, & S. Augustinus lib. 15. de
 Civitate Dei cap. 23. & lib. 18. cap. 38.

Si quis autem dicat, ea, quæ in præfatis apocry-
 phis libris narrantur de Joanne & Mambre, de alter-
 catione Archangeli Michaelis cum diabolo, propter
 Moysis corpus, ac de prophetiis Henoch, Apostolum
 Paulum, ac Judam, ex eisdem libris non desumpsisse,
 sed vel ex traditione accepisse, vel ex revelatione, ut
 sentiunt cum Cornelio à Lapide prædictis in locis

„ plu-

„plurimi ex antiquis , libentissimè assentimur ; sed id
 „evidenter probat , quod multa in apocryphis possunt esse
 „vera , ut inquit idem celebris Commentator in Epist.
 „Canonica fud & vers. 9. quæ proinde à Deo revelari
 „possunt. Si igitur aliqua deprehenderentur in libris
 „nostræ Ven. Abbatissæ , quæ in apocryphis contine-
 „rentur , non illico propterea rejicienda essent , & im-
 „probanda tanquam falsa , ac minimè revelabilia , sed
 „ea ipsa examinanda essent , num continerent errores
 „contra fidem , & bonos mores , vel doctrinam pere-
 „grinam , à communi Ecclesiæ sensu , ac consuetudi-
 „ne alienam. Hucusque acta Agredana , quæ crisin
 Amortianam ante ejus conceptum & ortum , jam suffo-
 carunt.

Puncta illa paucissima , quæ D. Amort adduxit
 pro inferenda inde similitudine , certè minima inter af-
 fectiones quasdam Agredanas , & illius Pseudo-Evange-
 lii in solo silentio Scriptorum fundantur ; verùm illud
 argumentum de silentio Authorum ita in Defens. justa
 pag. 446. & scqq. est protritum , ut & ipse Adversarius
 ad mea de hoc argumento ibidem dicta obmutuerit.
 Videatur ibi , ubi etiam pag. 812. alia de miraculis in
 Egypto à Christo patratis legi possunt.

Quibus præmissis liceat Amortiano Problemati
 aliud substituere , scilicet hoc : *An in libris cuiusdam Au-
 thoris verè fidelis plura falsa sit reperire , quam in Scriptis
 Anti-Agredanis Amortii ? Solutio hujus dubii & Prole-
 matis sponte sua , & pleno alveo fluet ex præsentibus
 & aliis Vindiciis Agredanis. His tandem expensis*

Excutitur conclusio operis novelli
Amortiani.

SIC habet conclusio Adversarii: „Finio tandem,
 „postquam certatum satis est. Ex omnibus huc-
 „usque benevolis Lector colliget. 1. dari veras de-
 „monstrationes de falsitate Revelationum Agredana-
 „rum, v.g. ex annis Herodianis demonstratis ex con-
 „sensu Scriptorum veterum Judæorum, & Gentilium,
 „& ex falsitate Æræ Vulgaris, quam à Revelationi-
 „bus Agredanis adoptari convincenter à me ostensum
 „Parte tertia. 2. colliget, dari præsumptiones vio-
 „lentas contra Revelationes Agredanas, duetas par-
 „tim ex argumentis variis seorsim sumptis, partim ex
 „aggregato complurium probabilium. Finem Con-
 „troversiæ à Summo Pontifice exspectamus, si illi tot
 „inter pro universa Ecclesia majores curas vires & an-
 „nos, pro quo clamamus quotidiè in cœlum, provi-
 „dum Numen servarit & auxerit. Me quod attinet,
 „qui hos motus non incepi, utpote de materia Reve-
 „lationum modestissimè sine ullius injuria *Regulas &*
 „*difficultates* præcisè ostensurus, æquum est ut finiam.
 „Fautoribus verò Revelationum Agredanarum amicè
 „author sim, ut si Beatificationem V. Mariæ de Agre-
 „da promovere cupiant, ejus Revelationes universas
 „ab omni illusione saltem phantasiæ liberas esse tueri
 „desinant, sed eas potius in classem *piarum meditatio-*
 „*num, & insinuationum divinæ pietatis referant.*

DEFENSIO.

Exordium sumo à fine, seu ultimis lineis Critici, quæ ejus ignorantiam in causa Agredana, & aliis ejusmodi manifestant. Nescit enim, vel fingit se nescire, quid hucusque fuerit agitatum. Ut autem deinceps sciat, id discat ex Sapientissimis Operibus SS. D. N. BENEDICTI XIV. qui lib. 2. de Beatif. cap. 32. n. 8. ait: „ De Meditationibus, Revelationibus, Visionibus, ac Prophetiis judicium institui in Sacrorum Rituum Congregatione tribus de causis. Prima est, ut juxta Decreta Urbani VIII. inquiratur, an in eis aliqua infinit contra fidem, & bonos mores, aut aliqua doctrina nova à communi Ecclesiæ sensu, ac consuetudine aliena. Secunda, ut videatur, utrum Visiones, Revelationes, ac Prophetiæ fuerint supra naturam, ideoque recensendæ inter gratias gratis datas, necne Tertia, ut constet, utrum sint laudandæ &c. Ex tripli ergo inspectione, in quam quasi partiri diximus examen Visionum, Revelationum, & Prophetiarum, prima, quæ instituitur, ut videatur, an in eis aliquid insit contra fidem, & bonos mores, vel aliqua doctrina in eis habeatur nova, & peregrina, atque à communis sensu Ecclesiæ aliena, fieri ante omnia, & ex pleri necessariò debet in Sacrorum Rituum Congregatione, cum ab ea dependeat progressus Causæ ad ulteriora, vel silentium Causæ ipsi imponendum. Secunda verò, quæ ad id respicit, ut constet, an illa, vel illa, cui contigerunt Visiones, Apparitiones, & Revelationes, fuerit gratiis gratis datis à Deo illustratus, expletur tantum in eadem Sacra Rituum Congregatione, quando agitur de Virtutibus. Hæc SS. D. N. ex quo constat primò, in isto examine, quo SS. Rituum

tum Congregatio etiamnum occupatur circa Civitatem Mysticam, non inquiri, an Revelationes Agredanæ sint *veræ à Deo factæ Revelationes*, consequenter, an sint immunes ab illusionibus. Quæstio enim moderna in eo versatur cardine, an materia Revelationum nihil contra fidem, & bonos mores, aut sanam doctrinam contineat, & sic non obstet ulteriori processui Beatificationis, secundum Decretum Urbani VIII. Id quod clarissimè patet ex actis mox adducendis.

Multò magis illa examina, quæ à Theologis instituuntur, ad nihil aliud possunt collineare, quàm ut Doctrina Revelationum, & materia earum expendatur secundum pondus Sanctuarii, inquiraturque, an sit fana, nec fidei, aut morum regulis aduersetur. Hoc enim ad Theologos pertinet. Reliqua, & an Visiones, ac Revelationes fuerint supernaturales, & à Deo verè procedant, non ad Theologorum privatorum, sed alia Tribunalia, ad hunc effectum à Sede Apostolica ordinata, spectant. Unde D. Amort, ni falcam velit mittere in alienam messem, à similibus examinibus abstineat, neque invitum me pertrahat ad controversiam alterius fori. Aliqua quidem, sed pauca inspersi justæ Defensioni de signis verarum Revelationum privatrum: *illa autem non ex mente mea, bene ex mente Reverendissimi Ordinarii Ven. Scriptricis, actis Romanis, ac ex Scriptis & dictis illorum Virorum, qui Spiritum V. Scriptricis probavere, desumpsi, cogente ipso Adversario, qui, ut talia facerem, suis dictériis mihi ansam præbuit.*

Hoc quoque secundò ex dictis Sapientissimi Pontificis notet Criticus, suum consilium, quod ad finem opusculi suggerit Agredanis, prorsus esse nullum, & ad rem nihil conferre. Si enim Civitatem Mysticam negaverimus esse veras Revelationes, & eas tantum in-

ter Meditationes, & alia scripta pietatem insinuantia, reposuerimus, nihilominus idem examen restat: si quidem juxta Decretum Urbani VIII. & Doctrinam BEATISSIMI PATRIS NOSTRI laudatam, Meditationes scriptæ à V. Servo, vel Ancilla Dei etiam ad trutinam discussionis rigidissimæ à SS. Rituum Congregatione vocantur, antequam in Causa Beatificationis, vel Canonizationis progressus ad alia fiat. Et quidem hoc examen debet quoque fieri circa Scripta, & Libros jam anteā solemniter à S. Congregatione etiam Indicis approbatos, ut ex SS. D. N. docui pag. 589. just. Defens.

Cæterū ut ignorantia Amortiana, quam hīc vel habet, vel affectat, funditus tollatur, ista, quæ ex actis Agredanis affero, bene suæ memoriae commendet, ne iterum contra ea impingat cum tædio peritorum. Sic sonant: „ Ne approbationis nomen, quod satis am-
 „ biguum est, in animis nedum simplicium, sed etiam
 „ eorum, qui utcunq; Docti, perspectos non habent
 „ varios modos, quibus ab Apostolica Sede approbari
 „ solent Opera, & Scripta Servorum Dei, anxietatem
 „ aliquam pariat, putantibus per approbationem à
 „ nobis exoptatam conari nos, ut cudentur tot articuli
 „ fidei, quot sunt Revelationes his in libris assertæ,
 „ vel ad præstandum assensum eisdem Revelationibus
 „ fideles adigantur; necessarium duximus qualitatem
 „ approbationis, de qua in præsentiarum agitur, expli-
 „ care. In primis enim hīc non agitur de approbandis
 „ Apostolico judicio assertis Revelationibus tanquam
 „ veris, certis, ac divinis: hoc enim judicium appro-
 „ bativum numquam præstare consuevit Apostolica
 „ Sedes privatis Sanctorum hominum Revelationibus.
 „ Nam quamquam plurimæ Sanctorum Mulierum Re-
 „ velationes approbatæ ferantur ab Apostolica Sede,

„ ut Sanctorum Gertrudis , Ildegaridis , Birgittæ , alia-
 „ rumque , non idcirco tamen per hanc approbatio-
 „ nem Revelationes illæ nascæ sunt infallibilem certi-
 „ tudinem , ut de illarum veritate ambigere non li-
 „ ceat : quippe non positivo Apostolicæ Sedis judicio ,
 „ sed negativo tantum , seu permissivo approbatæ fue-
 „ runt , servata cuique illis assentiendi , vel dissentendi
 „ libertate , ut præclarissimè docet Sanctitas Tua &c.
 „ in aureo Opere de Beatific. & Canonizat. Sancto-
 „ rum lib. 3. cap. 50. 52. & ultim. Integrum propterea
 „ est nobis post præfatam approbationem , modò su-
 „ perbè ac temerè Revelationes illas non contemna-
 „ mus , eis assensum nostrum accommodare , vel dene-
 „ gare , juxta humanæ prudentiae regulas . ac solidæ
 „ pietatis dictamen ; quippe nulla necessitate cogimus
 „ confessionem nostram eisdem præstare .

„ Secundò non hic agitur de approbatione spiritus
 „ Servæ Dei circa Revelationes , quas ipsa à Deo se
 „ accepisse refert . Quippe non discutitur in præsenti ,
 „ an reverè acceperit ex Divina Revelatione , quæ ipsa
 „ sibi à Deo revelata esse dicit , an potius in hoc de-
 „ cepta fuerit , & illusa , vel ab hominibus acceperit ,
 „ quæ à Deo se accepisse dicit . Hanc enim discussio-
 „ nem ad aliud judicium spectare , Te docente , Pater
 „ Beatisime , monuimus in exordio harum observa-
 „ tionum ; nimirum ad discussionem dubii super vir-
 „ tutibus in gradu heroico , ubi de gratiis gratis da-
 „ tis , ac de prophetiæ dono agendum erit . Ad hujus-
 „ modi autem approbationem obtinendam petenda
 „ sunt argumenta , non tantum ex irreprehensibilitate ,
 „ ac integritate doctrinæ , quæ revelata asseritur , sed
 „ ex virtutibus Ven. Servæ Dei , & ex signis , quibus ,
 „ juxta præstantissimorum Theologorum Doctrinam ,

„ veræ & divinæ à falsis, & illusoriis Revelationibus
„ discernuntur.

„ Approbatio igitur, quam nunc optant Postu-
„ latores, ea est, quæ non supra Revelationes ipsas, vel
„ spiritum Ven. Abbatissæ, sed supra materiam, seu
„ doctrinam fertur, quæ afferitur revelata, quocun-
„ que tandem spiritu, vel impulsu ipsa Ven. Scriptrix
„ ducta fuerit ad scribendum ea quæ scripsit. Neque
„ talis approbatio nunc exigenda est, juxta morem Sa-
„ crorum Rituum Congregationis, quæ aut doctrinam
„ ipsam in tali gradu certitudinis constituat, ut nemi-
„ ni contra eam sentire liceat, aut illi certitudinem
„ aliquam, aut robur addat præter id, quod ex se ipsa
„ habeat; id est, non exigitur approbatio positiva, &
„ confirmativa, sed negativa tantum, per quam id
„ solum certum fiat, quod ejus Scripta permitti pos-
„ sunt, nihilque contineant, quod ulteriori ejus Cau-
„ sæ processui valeat obstare.

Denique concludendum est opusculum isthoc: quid enim supersit dicendum amplius, non video. Vidimus primò, novam (ita enim appellat) Demonstrationem Critici esse nil aliud, quam purum ex pluribus falsitatibus, & contradictionibus coalescens figmen-
tum. Vidimus secundò, hallucinari admodum Criti-
cum in suo ex libro Nativitatis Mariæ petito, & male
applicato Parallelō. Vidimus tertio, Excussionem
meæ justæ Defensionis esse omni ex parte excussam, in
eaque complures contradictiones manifestas, contra
Chronologiam ipsam Amortii, & alia ejus asserta, ac
falsitates notabiles non paucas esse repertas. Vidimus
tandem, à principio usque ad finem, ab Adversario ni-
hil fuisse adductum, quod probabilitatem Revelatio-
num Agredanarum concutere posset. Jaçtat quidem

Criticus sæpius certitudinem, jaētat & præsumptiones: ast nec certitudine aliqua, nec præsumptione sibi opposita gravari Scripta Agredana, certum erit volventi vindicias tam meas, quām aliorum Agredistarum.

Rogo benevolum Lectorem quemvis, ne sibi imponi permittat Scriptis Anti-Agredanis Amortii. Certè enim evidentem vim veritati in iis continuò infert, non sollicitus, ut rectè, & verè loquatur, sed ut solùm errata inexcusabilia tegat, & occultet, ac aliis falsitatibus augeat. Oro itaque, atque obsecro, ut, qui perlegunt vulgata à Critico adversùs Civitatem Mysticam, ea diligenter cum Apologiis Agredanis comparent, & perpendant, alioquin in plures eos errores induci est necesse. Amortio autem dictum sit, ne aliis suis falsitatibus in re Agredana aliàs satis abundantibus, & obviis, istam adjiciat, quod motus hos, ipsum inter, & Agredistas, agitatos non inceperit, quodque modestissimè difficultates insinuaverit. Quis enim ex Agredanis ipsum provocavit? Nonne Sororem nostram V. Scriptricem, ab Amortianis priùs infixis morsibus duntaxat vindicavimus? Injurias tantùm nostræ Sorori, & Religioni, plurimisque aliis honoratissimis Viris ab Amortiano calamo illatas, concedente jure naturæ, repulimus. Amortius ille est, qui ad criminis privatam retraxit Causam, jam in altiori Romano Tribunali pendentem, & libros tam solemniter, tam honorificè probatos à Cardinalibus, Episcopis, Doctoribus, & Universitatibus &c. insimulavit doctrinæ certò falsæ, propositionum periculosarum, si non hæreticarum, hæreticis tamen faventium &c. Et hoc est modestissimè difficultates insinuare? Si talia de ipso scriberet Agredanus, nonne calumniator audiret, ad Divinum, humanumque Tribunal evocandus?

Hanc itaque falsitatem , & alias deinceps crises Anti-Agredanas plane non laudandas omittat Adversarius , audiātque sequens monitum seria mente repūtandum ex S. Hieronymo ad Ruffinum scribente excerptum , quod sic habet : *Melius est te pœnitere facti tui , quam in errore persistere , nec erubescas de commutacione sententiae : non es tantæ authoritatis , & fame , ut errasse te pudeat.* Erravit , & errores retractavit D. Augustinus , tantus Ecclesie Doctor , quidni & D. Amort utitur doctus , & pius tanto tamē Doctor & Patriarcha tam pietate , quam doctrina multò inferior si- lius?

Hæc ad D. Amort. Illis , quæ mox sequuntur , cogatum atque monitum velim Lectorem indifferen- tem , ac benevolum , ne existimet , labores Agreda- norum eō tendere , ut Civitas Mystica pro Dogmate fidei , Regulāque Sacrae , aut profanæ scientiæ , secun- dum quam dirimi petant sententiae in Scholis etiam- num controversæ , suscipiantur. Id enim afferere in mentem nostram venit nunquam. Protestamur enim continuò , rem nobis solùm esse de Revelationibus pri- vatis , quæ tantum ut piè credibiles , ac probabiles , recepto more in Ecclesia probari , ac permitti solent , nec quæstionibus scholasticis seu Theologicis , seu Philosophicis , seu Historicis , adjiciunt , vel auferunt quid probabilitatis ; sed eas in illo certitudinis , dubii , aut probabilitatis gradu relinquunt , quem ante exor- tum ejusmodi Revelationum possederunt , ut adeò non obſistentibus hisce , etiam à Sede Apostolica approba- tis , cuilibet sua sentiendi integra maneat libertas. Quod per decursum præsentis , & alterius prioris mei opusculi ad tedium usque , ita adigente Adversario in- culcatum est frequentissime. Cujus etiam exemplum

in nostris , seu Agredanorum Scriptis tam Theologis , quām Philosophicis ministramus apertum , quibus hodiernum in diem usque sextamur placita Doctoris Mariano-Subtilis , circa non paucas conclusiones , evidenter contraria assertis Civitatis Mysticæ .

Præterea , quæ scripsi hucusque , præsertim in Causa Agredana , cuncta verbis mellifluis S. Bernardi prudentum , præcipue Sacrosanctæ Ecclesiæ , judicio mente obsequentissima submissa esse affirmo . Sic ille suam . 174. finit Epistolam , sic ego cum illo clando meam Defensionis (ut arbitror) justæ moderatam continuationem , publicè & dissertè ita contestans : *Quæ autem dixi , absque præjudicio sane dicta sint sanius sapientis . Romanæ præsertim Ecclesiæ Authoritati , atque examini totum hoc , sicut &c cetera , quæ ejusmodi sunt , universa reservo : ipsius , si quid aliter sapio , paratus judicio emendare .* Quem in finem etiam Decretum Apostolicum anno 1625. editum , & anno 1634. confirmatum , juxta Declarationem illius à SS. D. N. URBANO VIII. anno 1631. factam inviolatè servare volo , & ut omnes sciant , me velle illud observare , huic opusculo præmissam hic repeto protestationem , qua iterum iterumque profiteor , illis , quæ de Visionibus , Miraculis , Revelationibus , sanctitate , vel fama , & opinione sanctitatis cuiuscunq; à Sede Apostolica nec inter Beatos , nec Sanctos adhuc relati huic opusculo , & priori , quod jam anno 1750. à me vulgatum est , me nullatenus adstruere fidem quamdam Divinam , aut Ecclesiæ , vel Sedis Apostolicæ , sed præcisè humanam , quæ alijs humanæ Historiæ , aut narrationi , pondus solū ab Authorum suorum fide obtinenti , convenit : nec velle me vel cultum , aut venerationem aliquam per similes meas narrationes ulli arrogare , vel famam ,

& opinionem sanctitatis inducere , seu augere , nec quidquam ullius , nondum ab Ecclesia Sancti , aut Beati pronuntiati , existimationi adjungere , nullumque gradum facere ad futuram aliquando ullius Beatificationem vel Canonizationem , aut miraculi comprobationem , sed omnia in eo statu à me relinquiri , quem seclusa hac mea lucubratione obtinerent , non obstante quocunque longissimi temporis cursu . Hoc tam Sanctè profiteor , quād decet eum , qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi cupit filius , & ab ea in omni sua scriptione , & actione dirigi .

Porrò omnes , quas hucusque pro Defensione Doctrinæ Agredanæ in Civitate Mystica propositæ exaravī Litteras , denuo Dei Omnipotentis , ac Deiparæ sine labe Conceptæ honoribus mente Devotissima consecratas , dicatasque volo .


FINIS.





Jan





C

C

3

67

278